ACTORUM ERUDITORUM,

QUÆ

LIPSIÆ PUBLICANTUR,

SUPPLEMENTA.

TOMUS IX.

Cum S. Cæsareæ Majestatis & Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ,

Prostant apud JOHAN. GROSSII Hæredes,

JOH. FRID. GLEDITSCHII B. FIL.

ET

JO. CHRISTIANUM MARTINI.

Typis BERNHARDI CHRISTOPH. BREITKOPFII.

A. MDCCXXIX.

ACTORUM ERUDITORUM,

Quæ Lipsiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. IX Sect. I.

FRANCISCI DE FARGNA, CIVITATIS Plebis Patritii, Philos. S. Theol. & J. U. Doctoris ac in Rom. Curia in Beneficialibus, sive in Jure Canon. Advocati, Commentaria in singulos Canones de Jure Patronatus, qui sparsim tam intra, quam extra Corpus Juris Canonici vagantur.

Tom. I.

Montisfalisci, apud Laurentium & Thom. Pagliarinos, 1717, f.
Alphab. 3 plag. 10.

Tom. II.

Romæ, apud eosdem, 1718, f.
Alph. 7.

Tom. III.

Ibidem, apud eosdem, 1719, f.
Alph. 6 pl. 10.

NOva hæc atque diffusa Commentatoris opera est, quæ per singulos Canones discurrit, cum interpretes antehac juxtim atque alii de Jure Patronatus Autores in ipsis fere tituli *de Jure Patronatus* textibus subsistere, atque ad eorum illustrationem reliquos canones transferre, vel hos ex illis explicare consueverint. Suasit hunc laborem suscipiendum Nostro, præter amorem, quem in Jus Canonicum profitetur singularem,

gularem, ipſum, quo in Curia Romana fungitur, munus Advocati in Beneficialibus. Hinc videmus opus *Clementi XI Pontif. Max. ut ſacrorum Canonum defenſori acerrimo, Bonarum Artium Patrono ſummo*, conſecratum, *quo, velut primitiæ Deo debitæ, ejus Vicario in terris offerretur, & ad Pontificium thronum commentaria in Canones accederent, e quo Canones proceſſerint.* Privato quidem uſui primum quoscunque Canones Jus Patronatus concernentes in unum quaſi locum redegerat, hoc inſtituto, ut ſingulis ſuas concluſiones ſubjiceret, easque tum rationibus, tum collectis Doctorum ſacræ Rotæ & reſolutionum ſacræ Congregationis Concilii autoritatibus confirmare ſtuderet, caſusque complures unicuique concluſioni adderet, quos argumentis, teſtimoniis, rebusque judicatis illuſtraret. Ex iſtis collectaneis enatos præſentes commentarios tanto minus dubitavit in publicum edere, quanto gratius utiliusque futurum opus in foro Pontificio verſantibus, maxime ob Deciſiones Rotæ Romanæ & cauſas in ſacra Congregatione noviſſime ventilatas, quæ hic primum publici Juris fiunt, merito reputavit. Itaque non tam exactior Juris Patronatus repræſentatio, quam potius doctrinarum de iſthoc Jure Canonicarum praxis in his voluminibus requiri debet. Nec, ſi dicendum, quod res eſt, videtur a Noſtro melior ac diſtinctior ſibique magis cohærens Juris Patronatus tractatio expectari poſſe, quam qualem a plerisque hujus argumenti Autoribus traditam habemus. Id enim ſatis licet colligere ex *Apparatu*, ut vocat, ſeu potius diſcurſu præliminari, *de origine, definitione, & diviſione Juris Patronatus*, qui duabus paginis coarctatur. Ibi, poſtquam Autores quosdam laudavit, *Rocchum de Curte, Cæſ. Lambertinum, Paulum de Citadinis, Jul. Vivianum, Franciſcum de Roye, Franciſcum Florentem, Fraſſum de Regio patronatu Indiarum, Jo. Petrum Fontanellam, Cardinalem de Luca, & Pitonii, Advocati, Præceptoris ſui, opus de controverſiis Patronorum*, quod brevi publicandum promiſit; juris Patronatus originem ad Seculum V refert, *Franciſcum de Roye* ſecutus: Definitionem vero mutuatus eſt a *Roccho de Curte*, quod ſit *Jus honorificum, oneroſum & utile, alicui competens in Eccleſia pro eo, quod de Diœceſani conſenſu Eccleſiam fundavit, conſtruxit, vel dotavit ipſe, vel is,*

a quo

a quo causam habuit: cujus definitionis defectus notavit *Ill. Boehmerus, Juris Ecclesiast. Protestant. P. III, p. 464.* Dividit Jus Patronatus Noster in *Ecclesiasticum*, quod vel de bonis Ecclesiasticis fundatum, & creatum sit, vel competat Clerico ratione suæ Ecclesiæ: *Laicale*, quod Laico, sive Clerico, ratione sui proprii patrimonii competat; & *mixtum*, quod partim de bonis Ecclesiasticis, partim de bonis patrimonialibus fundatum & creatum sit. Hinc ad cognoscendam Juris Patronatus qualitatem, docet, inspici debere qualitatem personæ præsentantis, non accidentalem, qualis est Clericatus in præsentante ratione successionis hereditariæ, vel consanguinitatis, sed essentialem, & quæ requiritur ad habendum Jus præsentandi. Porro autem divisiones Juris Patronatus addit, in *familiare*, seu *gentilitium*, *hereditarium*, & *mixtum*; item, in *passivum*, per quod certi de certa familia præsentandi, & *activum*, per quod fit, ne quis beneficium conferat, nisi ad præsentationem talis personæ. Ista certe vulgares Canonistarum conceptus non transcendunt. Ipsi vero Canones per VI partes dispositi sunt ita, ut *prima Pars* contineat VII Canones Decreti Gratiani, casus LVIII, *secunda*, Canones Decretalium XXXI, casus CXXXV, *tertia*, Canonem unicum Sexti Decretalium, casus VI, *quarta*, Clementinarum Canones II, casus X, *quinta*, Concilii Tridentini Canones XIII, casus XXX, *sexta*, Canones XXV, desumtos ex Bullis, sive Constitutionibus Apostolicis & ex Regulis Cancellariæ, casus vero XXVIII. Prima pars Tomo I, altera Tomo II absolvitur, reliquas partes Tomus III habet. Ne specimen desit, paucis indicabimus, quæ in P. I ad Can. III, in Toletano Concilio IV c. 37, qui est 16 qu. 7 c. *quicunque*, Noster sit commentatus. Primo omnium deducit e Canone conclusionem: *Dotans Ecclesiam ipse & ejus filii acquirunt in illa jus Patronatus, seu jus alimentorum in casu inopiæ.* Conclusioni testimoniis Canonicorum, Rotæ aliquot decisionibus & resolutionibus S. Congregationis Concilii confirmatæ rationem addit: quia Dotator Ecclesiæ dicatur Pater; unde juxta leges civiles " sicuti filius, aut filia cogitur patrem alere, & tenetur nedum " reverentiam, sed etiam vitæ subsidium exhibere, secundum " *l. fin. C. de bon. quæ liber. & l. 5 C. de patr. potest.* ita Ecclesiam " dotatam debere non solum honorem & reverentiam, sed & "

 ali-

„alimenta Dotatori, ſeu Patrono, ad inopiam vergenti, tum ex „æquitate, ut benefacienti benefaciamus, tum etiam ex pietate „propria Eccleſiæ, cui conveniat ſuccurrere lapſis. Et ſicuti „Dotator propriis bonis aluerit Eccleſiam imbecillem & indo-„tatam, ita mox ipſum imbecillem & pauperem factum eadem „alimenta a valente Eccleſia reportare debere.“ Sequuntur caſus decem, in quorum primo *de requiſitis neceſſariis ad hoc, ut Eccleſia teneatur præſtare alimenta Patrono*, diſpicitur: in ſecundo, *an Patrono egeno debeantur alimenta, non deductis neceſſariis pro victu Rectoris, quando hic habet aliunde vivere de beneficiis*: in tertio, *an Patrono extraneo debeantur alimenta in caſu inopiæ, & quid ſit, ſi Patronus ſit perſona ficta, nempe communitas, aut collegium*: ſubjicitur Deciſio Rotæ Romanæ: in quarto caſu quæritur, *ſi ex tribus Patronis Eccleſiæ unus vergat ad inopiam, an huic debeantur pro alimentis omnes fructus ſuperflui & ſuperextantes Eccleſiæ Patronalis*: iterum ſequuntur Rotæ Sacræ Deciſiones: quintus caſus eſt, *defuncto uno ex tribus Patronis egenis, an portio ei aſſignata pro alimentis ſit æqualiter inter ſuperſtites dividenda*: ſextus, *an fundator poſſit dotare Eccleſiam de bonis Emphyteuticis*: ſeptimus, *quod tradens pro dote Eccleſiæ parochialis quædam bona inſufficientia pro ſuſtentatione Rectoris non acquirat Jus Patronatus; ſed ſi alius ſuppleat defectum dotis, ambo in ſolidum futuri ſint Patroni*: octavus caſus, *an minor poſſit dotare Eccleſiam ſine Decreto Judicis: & an in relictis ad pias cauſas ſint ſervandæ ſolennitates Juris Civilis*; id quod Deciſione Rotæ illuſtratur: nonus caſus, *ex dotatione non acquiri Jus Patronatus, ſive alimentorum*: decimus, *de requiſitis neceſſariis ad acquirendum Jus Patronatus ex redotatione*, agit. Hæc ipſis fere Autoris verbis referre viſum, quo, præter commentandi rationem, quam tenet, etiam de ſtylo ejus Lectori noſtro conſtare queat. Ceterum, quod nuper edocti ſumus, hæc commentaria vendi prohibita, eorumque exempla omnia Bibliopolis ademta & fiſco addicta ſunt; num forte ob liberalius inſertas ſuper cauſis Juris Patronatus & alimentorum odioſis, maxime ſuper cauſis Juris Patronatus Neapolitanis & Sardinienſibus deciſiones, an aliis de cauſis, nobis quidem nondum ſatis liquet.

CONSI-

CONSILIUM PIETATIS DE NON SEQUENDIS *errantibus, sed corrigentibus, ad appellantes ad futurum Concilium generale, per P. M. F. BERNARDUM DESIRANT, Ord. Erem. S. Augustini, S. Theol. Doctorem.*

Tomi III.

Romæ, apud Jo. Mariam Salvioni, Typogr. Vaticanum, 1720, 4. Alph. 3 pl. 15.

NOtum est, quantas turbas Constitutio *Unigenitus* excitaverit in Gallia quamque acres contradictiones. Id cum monarchicam Papæ autoritatem majorem in modum labefactet, Autor Clementis XI Pontificis, cui hoc opus dedicavit, se gratiam initurum putavit haud exiguam, si Gallorum animos cum ipso reconciliaret. Commodissime autem id fieri posse existimavit, si ex historia superiorum temporum produceret & Gallis ob oculos poneret exempla eorum, qui & ipsi Papæ decretis sese opposuerunt, at tandem ad frugem quasi redierunt, sanctissimoque Patri præstiterunt obedientiam. Sunt autem sex retractationum hujusmodi exempla, quæ pertractanda suscepit, 1) Philippi IV Galliæ Regis, 2) Joannis Gersonii, 3) Concilii Constantiensis, 4) Gallorum Basileensi Concilio adhærentium, 5) Parliamenti Aquensis, 6) Petri de Marca, Archiepiscopi Parisiensis. Tribus hisce Tomis priora quatuor persequitur. Reliquorum duorum copiosam tractationem brevi subsecuturam esse, non est, quod dubitemus.

Dissertatione itaque *prima* ostendit, Philippum IV Regem appellasse quidem ad futurum Concilium generale, sed non ab ullo dogmatico Bonifacii VIII decreto; nec appellasse, quamdiu Bonifacium haberet pro Pontifice legitimo, sed tum demum, postquam inductus fuisset, ut crederet, eum vitiose fuisse electum, adeoque non esse legitimum Papam. Porro docet, istius temporis appellantes in ipsa litis contestatione professos esse, a nullo legitimi Pontificis Romani judicio ad generale Concilium appellari posse. Ultimo loco monstrat, Regem illum una cum

ſuis poſtremo appellationem ſuam retractaſſe. Omnem igitur hujus controverſiæ hiſtoriam triginta Capitibus perſequitur, ſimul refellens narrationes Natalis Alexandri.

Diſſertatio *ſecunda* inſcripta eſt de retractationibus Joannis Chartier Gerſonii, Cancellarii Univerſitatis Pariſienſis, circa omnes ſuas novitates. Hic ſtatim Cap. I vitam Gerſonii exhibet, contra Cap. II vitam ejus ab Edmundo Richerio ſcriptam vocat *fabuloſam de Gerſonii ſcriptis factisque ideam.* Cap. XI Gerſonium appellat Origenem Gallicanum, cui merito applicaveris illud Caſſiodori: *Ubi bene, nemo melius; ubi male, nemo pejus.* Dum vero de Gerſonio agit, eadem opera hiſtoriam illius ævi eccleſiaſticam exponit, ita quidem, ut omni modo patrocinetur cauſæ Papæ Romani & autoritati ejus nullis limitibus circumſcribendæ.

T. II. *Tertia* Diſſertatione Capitibus XLIX exhibet, ut ipſe p. 115 ſcribit, *Conciliabuli Piſani & Concilii Conſtantienſis hiſtoriam ex noviter detectis reſtauratam.* Omnia tamen hiſtoriæ iſtius capita & hoc loco eum tractat in modum, ut confirmetur Papæ & *μοναρχία ἀνυπεύθυνος* & infallibilitas. In Concilio Conſtantienſi, cujus hiſtoriam fuſe exponit, multa, ait, tumultuoſe, non rite juſteque facta eſſe. Nec hic ſuum in Gerſonium odium diſſimulat. Maxime illud illius Concilii decretum, quo Papa ſubjicitur Concilio, nec conciliariter fabricatum eſſe, nec conciliariter publicatum contendit, adeoque id reum agit maximæ nullitatis. Oſtendit etiam, in ipſo illo Concilio A. 1418 novum Papam Martinum V definiiſſe, Papam habere ſupremam poteſtatem in Eccleſia, ab ejusque judicio & ſententia non poſſe provocari ad futurum Concilium.

T. III. Diſſertatione *quarta* de Concilio Baſileenſi agit, cujus Patres ſcribit Piſanos furores repetiiſſe, & Papam legitimum Eugenium IV ad ſuppoſititium ſuum tribunal vocaſſe, damnaſſe, & depoſitionis umbram fulminaſſe. Nec vero ſolum Baſileenſe hic deſcripſit Concilium, ſed etiam ea, quæ proxime id anteceſſerunt, maxime Concilium Papienſe & Senenſe. Cap. X docet, pravam Gerſonii doctrinam multum influxiſſe in Schiſma Baſileenſe, non obſtantibus ejus retractationibus. Unde in Gerſonium, Papalis

παμβα-

παμβασιλείας adversarium, acerrime invehitur, vocans eum *Saulum spirantem minarum*, & *prodigium ignorantiæ. Hic primus*, inquit p. 36, *armamentarium condidit, ex quo sequaces rapuere tela iniquitatis, quibus jura impetunt Apostolicæ Majestatis.* Capite XLIV, quod postremum est, ostendit, plures Gallos antea subscripsisse Concilio Basileensi, tandem vero totam Ecclesiam Gallicanam asseruisse contra Basileenses primatum & monarchicam potestatem Romani Pontificis Eugenii IV.

JOANNIS ALBERTI OBSERVATIONES Philologicæ in sacros Novi Fœderis libros.

Lugduni Batav. apud Jo. Arn. Langerak, 1725, 8.
Alph. 3 pl. 4.

Reliqua, quæ in Actis A. 1725 Mens. Jul. p. 308 promisimus, nunc sequuntur. Tam cultus enim ac dives est hic liber, ut non per partes quasdam gustandus, sed totus absolvendus sit. Act. I, 18. Postquam se suspendisset Judas, non esse necessarium, statuit Vir doctissimus, ut dicamus, ex alto in saxum fortasse asperum, vel ligni truncum acutum, aut alias delapsum, atque ita medium disruptum esse, sufficere, si hanc diruptionem dicamus singulari indicio vindictæ divinæ ἀμέσως factam, ceu insolitum supplicium. Nam & proditoribus patriæ, distractis corporibus viscera exseruntur. Scilicet apud Matthæum laqueus omnino indicatur. *Coll. 2 Sam. XVII, 23.* Hæc Judæ mors cum jam percrebuisset late, non opus erat, laquei mentionem iterum facere Petrum, altera autem circumstantia, quam non habet Matthæus, addenda nunc erat: Judam, cum ita pronus ad terram penderet, (quod contingit suspensis, ut erectam cervicem non monstrent) medium crepuisse, citra ullam conjecturam facti cujuscunque intervenientis, de quo in textu nullum sit vestigium. Ita vero lites omnes finitæ sunt. Nec tamen hoc etiam novum plane est. Perizonius enim eandem opinionem Patribus quibusdam tribuit, quamvis eos non nominet. *Ad notit. II p. 62, 64, 66, 69.* Nemo forte est suspicatus, potuisse legi, καὶ πνιγεὶς γενόμενος, a πνίγω, *suffoco, strangulo.* Ita enim Petrus repeteret diserte, quod Matthæus

dixe-

dixerat de laqueo. Et vestigium est in iis Codd. qui habent *πρινὴς*, γ mutato in abbreviatum ν, & ει in η. Inde *πνικτὸς*, *Act. XV, 20, 29.* & *XXI, 25.* Act. XII, 7: *Et lumen refulsit in habitaculo.* Carcer hic Nostro οἴκημα dicitur *Attice; quia Attici rebus turpibus & malis dederint nomina blanda, εὐφημίας gratia.* Soloni primum hoc non tribuit Plutarchus, *οἱ νεώτεροι λέγουσιν*, *recentiores ajunt*, Athenienses id fecisse. Ergo & recentiores dixerunt, *πρῶτον Σόλωνος ἦν, ὡς ἔοικε, σόφισμα*, *ni fallor.* Opponit commento illi Plutarchus *τῆς σεισαχθείας* inventum Solonis. Sic apud Athenæum Philemon, *σὺ γὰρ λέγουσιν τοῦτ' ἰδεῖν πρῶτον, Σόλων, καί μοι λέγειν τοῦτ' ἐστὶν ἁρμοστόν.* Et Nicander apud Harpocrationem, *Σόλωνά φησι σώματα* &c. Eustathius vero in Homerum, *τ.* v. 282 f. 1185: *ille, qui tradit, quod est in fabula, Solonem e quæstu mulierum emptarum templum Veneri dedicasse.* Scriptores certe Sacri nullibi imitantur hos Atticos. Carcerem vocant *φυλακὴν*, *Act. XII, 4. 5, 6* alibi. Ob reverentiam angeli fortasse, cum lumen Domini subito refulgeret *ἐν τῷ οἰκήματι*, non erat carcer amplius, sed aperta omnia, porta ipsa etiam ferrea, *com. 10.* Statim autem post discessum Petri *com. 17* iterum *φυλακή.* LXX cum Hebræis appellant domum, sed carceris. Attici vero *τὸ πορνεῖον* etiam dicebant *οἴκημα.* Nullum talis *εὐφημίας* indicium, *Ezech. XVI*, sed *domus meretricia, com. 24.* Ita Dio Prusæensis lupanaria vocat *οἰκήματα*, sed *ῥυπαρά, sordida, Orat. 7 f. 125 seq.* Act. XVI, 30 custos carceris Paulo & Silæ, *κύριοι*, dixit, *quomodo veteres Græci & Romani compellabant, quorum conditionem & nomina ignorabant.* Apostoli autem paulo ante putabantur Dii esse, propter miraculum hominis ægri, *XIV, 8, 11, XXVIII, 6.* Hic terræ motus ingens effecit, ut custos iste procideret ante pedes illorum. Si Spiritus impurus *com. 17* nominabat eos legatos Dei altissimi, custos etiam potuit ac debuit dominos dicere, quorum conditionem non ignorabat amplius. Act. XX, 22: *ἐγὼ δεδεμένος τῷ πνεύματι*, *vinctus spiritu*, Noster autem, *ego munitus & quasi circum ligatus, atque corroboratus spiritu, proficiscar Hierosolymam.* Utrumque recte dicitur. Sed præmittit Paulus, videre se per revelationem vincula & afflictiones ibi, nec propterea moveri. Non frustra tamen idem ille

Spiritus

Spiritus Sanctus XXI, 4, 11 monebat, cingulo alligandos ipsi pedes ac manus Hierosolymæ. Act. XXII, 3 verba textus ita distinguit ταύτῃ, παρὰ τοὺς πόδας Γαμαλιὴλ πεπαιδευμένος, κατὰ. *Enutritus ego in hac civitate, institutus autem ad pedes Gamalielis accurate.* Quod transeat. Samuelem Petitum tamen non ausus est Noster refutare, qui *L. 3 Obs. c. 2* asseruit, ætate Pauli stetisse adhuc discipulos, nec fuisse projectos in solo ad pedes præceptorum. Post mortem autem Gamalielis desiisse stantes discere, & assedisse. Quid Serrarius & Scaliger hic senserint, pridem vidit Petitus, eisque respondit. An Petito hactenus satisfactum fuerit, Noster non definit perspicue. Rom. VIII, 7 τὸ φρόνημα τῆς σαρκός. *Non est prudentia* φρόνημα, ait Noster, *licet Vulgata sic reddat, sed* φρόνησις. Etiam φρόνησις non occurrit hoc sensu absolute, sed δικαίων, *Luc. I, 17, Eph. I, 8,* quam impartivit nobis Deus & Pater. Similiter φρόνημα est prudentia, si sit τοῦ πνεύματος, *Rom. VIII, 6, 27,* & φρονέω etiam dicitur media significatione. *Matth. XVI, 23, Marc. VIII, 33, Rom. VIII, 5.* Eod. c. VIII, 15 *Abba, Pater.* Ridet tantum non eos, qui grande mysterium quærant in hac geminatione. Sane grande mysterium non quæsivit Augustinus in eo, quod Abba ad Judæos, Pater ad gentes, ad ejusdem tamen fidei unitatem pertineat, motus scilicet Gal. III, 28. *Exposit. ad Galat. Tomo IV Part. II p. 756.* Rectius videtur Nostro, Paulum alludere ad blandam puerorum vocem balbutientium, & forte Syriacum additum esse ob teneritatem in hac voce latentem. Atqui Alex. Morus, quem ipse laudat, adultos filios & ætatis maturæ intelligendos sensit, p. 199, τὸ κράζειν enim esse robustorum, non tenellorum: ac præsertim Christum, qui puer non erat, sed adultus & perfectus Dei Filius, eodem modo Patrem invocare. Neque ideo additur Syriacum, quod hic lateat teneritas quædam. Bis dixit Christus, Abba, Abbi: *Pater, Pater mi!* Marc. XIV, 36. Et in hoc exemplo agonizantis Messiæ est utique emphasis maxima, quam ideo inculcat aliquoties, & applicat nobis imitandam Spiritus Sanctus. Talis autem nondum deprehenditur Jobi XXXIV, 36, multoque minus in voce Dianæ ad Jovem, Ἄππας, ὁ τροφεύς, apud Callimachum, etsi Diana etiam ibi loquatur adhuc in tenera ætate. Eod. c. VIII, 19, 20, 21

 Expe-

Expectatio Creaturæ. Totum comma 20 facit parentheticum, & ita collocat verba, ἀπεδέχεται ἐπ' ἐλπίδι. *Comma enim 20 rationem præcedentis exhibere obiter.* Nihil autem obiter hi Scriptores dicunt. Promptius annectentur priora verba commatis 20 commati 19, ἀπεδέχεται. Τῇ γὰρ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη ἐπ' ἐλπίδι. Et pauca illa manerent parenthetica, οὐχ ἑκοῦσα, ἀλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα. Hoc sensu tamen non usus est Theognis τῷ ἐπ' ἐλπίδι, *v. 333, cave, hominem exulem osculeris ob spem, qualis futurus sit redux*, neque ullus alius gentilium. Et solam soni convenientiam rejicit in istis Noster caute p. 314. Similis vero spes liberationis *Ps. XVII, 9, 10* & *Act. II, 26, 27* innuitur, nempe a morte, per resurrectionem, sicut ibi a servitute corruptionis: ἐπ' ἐλπίδι τῆς δόξης, *Rom. V, 2, 1 Cor. IX, 10, Tit. I, 2.* Aquila Ps. XXXVI, 7 ἀποκαραδόκει κύριον, *exspecta dominum.* Eod. c. VIII, 26 στεναγμοῖς ἀλαλήτοις. Mallet Noster: *succurrit Spiritus sanctus in suspiriis nostris ipsis vagis ac turbati animi, quæ ore tremulo fundimus.* Ita vero expresseris gemitus tantum infirmitatis nostræ inconditos, nec idoneos ad colloquium cum Deo. Nervus autem est in interpellatione Spiritus, quæ fit στεναγμοῖς adeo profundis & Deo gratis, ut ne sancti quidem illos possint eloqui. Clamant quidem per illum Spiritum, *comm 15*, sed ipse tamen etiam pro his sanctis intercedit, *comm. 27.* Non ergo exhauries textum, quasi scripsisset Paulus, interpellat ἐν στεναγμοῖς ἡμῶν ἀλαλήτοις, *in nostris gemitibus inarticulatis.* Nam ille duo dicit: Spiritus intercedit ὑπὲρ ἡμῶν, quam arcem nemo nobis eripiat, &, intercedit pro nobis eo modo, qui est supra nos, & nobis ineffabilis. Soli enim Deo patent opera sua. *Act. XV, 18.* Eod. c. VIII, 37 ὑπερνικῶμεν. Negat, in hac vocula emphasin quærendam; plane enim convenire cum vernacula, ubi eadem præpositio nudam vincendi significationem, & nihil amplius involvit. Quod plane frigidum est & putidum. Sic enim ὑπερύψωσε Phil. II, 9, p. 378. Atqui Ælianus etiam sic loquitur, ὑπερθαυμάζει τὸν ἄνδρα, *XII, 49,* ὑπερασπάζεται τὸν ἄνδρα, *XIV, 14,* ὑπερβάλλουσα σπουδῇ, *II, 27.* Alibi certe graviter scriptum est, ὁ νικῶν, *Apoc. III, 12.* Hic autem crescit oratio: Deus enim, qui dilexit nos, vinci non potest: quæ est victoria prægnans, adeoque huma-

humana omni multo sublimior. *v. 37, 39.* Locus Aristophanis nil probat. Jaculator enim, qui alios superat, vel uno puncto vincit. Nos per eum, qui dilexit nos, vincimus & omnes creaturas & omnibus punctis vel modis. Rom. IX, 10 ἀλλὰ καὶ Ῥεβέκκα. Supplet ellipsin, *sed & Rebecca promissionem habuit.* Nam *comm. 9* dicitur, *hic est sermo promissionis: erit Saræ filius.* Pergit: *non solum autem ἡ Σάῤῥα, sed & Rebecca ex uno concepit*; nec tamen omnes, qui sunt ex Isaac, sunt Isaac. *Comm. 6.* Jam vide, quem ordinem sequatur Noster. Corrupta, inquit, est antiqua lectio, *Rebecca ex uno concubitu habens*, pro, *concubitum habens*, κοίτην, i. e. uterum gestans. Rejicit hanc emendationem, sed statim laudat iterum eam ceu elegantissimam, quæque vim augeat argumentationis. Sterilem enim hactenus Rebeccam nunc uno congressu gemellos concepisse, citra omnem superfœtationem, eosque uno tempore etiam edidisse. Ceterum opponitur Saræ Rebecca in eo, quod illa non conceperit Isaac & Ismael ex uno Abrahamo, sed Hagar Ismaelem ex eodem, hæc autem Jacob & Esau ex uno Isaaco. Tenendum igitur, Rebeccam ex uno patre uterum prægnantem habuisse, neque sollicitanda hæc lectio. Atqui absurdum est, ait Havercampus, a tam casta Rebecca peregrinam opem velle removere per τὸ ἐξ ἑνός. Nemo autem dixit, ea mente istud scripsisse Paulum. Nam si ex uno congressu patris Isaaci concepit gemellos, utique id factum est citra peregrinam opem, & vere dixisset Paulus simul, eam ex uno patre Isaaco illos concepisse. Hæc ipsa ergo lectio recepta, & textui conformis, involvit ac tuetur castitatem Rebeccæ. Alias scribendum erat, ἐκ μιᾶς κοίτης, si κοίτη est *concubitus*, secundum glossas, ceu vult Noster. Rectius autem Beza, κοίτην *dare maritum*, κοίτην ἔχειν, *habere uxorem*, i. e. semen. Κοῖτος etiam dicimus, sicut κοίτη. Scribendum ergo fuisset, ἐξ ἑνὸς κοίτου. Peritque adeo transpositio commatis nova, Ῥεβέκκα ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα, *ex uno congressu prolem suscepit*, quæ fuit uxor patris nostri Isaaci. 1 Cor. II, 9 *quæ oculus non vidit.* Geminus, inquit, locus apud Maimonidem, *non potest ore proferri* &c. Imo idem est, sumptus ex Esa. LXIV, 4. Comm. 11 *quæ sunt Dei, nemo novit, nisi Spiritus Dei.* Addit Noster, hic de Deo ejusque Spiritu recte

 dici,

dici, quod Hirtius de Cæſare, *erat in eo veriſſima ſcientia conſiliorum ſuorum explicandorum.* B. G. Libr. 8 ſub init. Poſſumus carere hoc ſtudio comparandi humana cum divinis, ſi res ſerio agitur, nec ſola ſoni convenientia allicit. 1 Cor. III, 23 *Vos eſtis Chriſti, Chriſtus vero Dei.* Simile Noſtro eſt illud Philemonis, *ſunt ſervi regum, ſed rex ſervus Deorum.* Satis diſſimile. Cur non addas, *Deus vero ſervus eſt fati, quia mutare nequit.* 1 Cor. VIII, 10 *Si quis te conſpexerit in templo idolorum, οἰκοδομηθήσεται.* Karus hic vocis uſus obtinet, inquit, laudatque Cl. Clericum, qui novam lectionem Tan. Fabri refutaverit ex Plauti *Trinummo.* Diſſimulari autem non debuit locus Clerici primarius, *Malach. III, 14, 15,* ubi *ædificatio* accipitur in ſequiorem partem; quod Paulum latere non poterat, etſi Plautum nunquam vidiſſet. Fabro ergo concedi non debebat, nuſpiam legi *ædificare,* niſi de virtute. Eſt is ſignificatus omnino famoſior, non tamen unicus. Vidit hoc jam ante Camerarius & Eraſmus Schmidius. Ædificari enim dicitur imbecillior conſcientia in pejus, quando augetur infirmitas ac creſcit uſurpatione alienæ cognitionis, & eadem ratione dixit Malachias, improbos ædificari, augeri & incrementa capere, per iniquitates ſuas. Hi ſunt ædificantes illi, qui rejiciunt lapidem angularem, *Pſ. CXVIII, 22,* qui ponunt os ſuum in cœlo, & ædificant tamen in terra, *Pſ. LXXIII, 9, Luc. VI, 49,* imo in ſanguine, *Mich. III, 10, Habac. III, 12.* Bonis contra gratia ædificatur æterna. *Pſ. LXXXIX, 3.* Οἰκοδομεῖν enim eſt etiam *κατασκευάζειν, καταρτίζειν, ἐξαρτίζειν, inſtruere, præparare,* quod æque fit ſolo exemplo. *Act. XXI, 21, 24.* 1 Cor. IX, 18 *gratuitum efficiam evangelium.* Obiter hic notat, Helladium emendandum, ubi agit de Pherecyde Syrio & Athenienſi. Argumentum autem hoc cum pleniſſime excuſſerit Salmaſius, *Plin. Exerc. ſ. 841-847.* ibique non duos, ſed plures ſtatuerit Pherecydas, pluraque etiam illorum ſcripta, eo remittendum eſſe Noſtrum exiſtimamus. 1 Cor. XV, 29 *qui baptizantur ſuper mortuis.* Adſtipulatur Noſter Cl. Hombergio, *Parerg. S. p. 261.* Ejus autem ſententia non eſt nova de ſtatu martyrum. Baptiſma ὑπὲρ νεκρῶν eſſe mortuale vel ad mortem, non autem pro aliis, ſed ὑπὲρ εἶναι τοὺς νεκροὺς αὐτοὺς, pro ſe ipſis, i. e. ita baptizantur, ut mors inde ſequa-

ſequatur. Quomodo *Rom. I,5* accepimus munus Apoſtolicum, ut obediant gentes fidei ὑπὲρ τȣ̃ ὀνόματος τȣ̃ Χριςȣ̃. *Joh. II, 4* ἡ ἀσθένεια ἐςι ὑπὲρ τῆς δόξης τȣ̃ Θεȣ̃, habita ratione finis, ἵνα δοξασθῇ. Eadem perhibetur fuiſſe expoſitio Chryſoſtomi & Photii. Simon certe Epiſcopius *Tom. I P. 2 f. 34*, intendebant, ait, ſuam, non aliorum reſurrectionem: teſtabantur, ſe ita vivere, ac ſi jam mortui, & jam reſurrexiſſent. Adde *Tom. II P. 1 f. 209.* Frid. Spanhemius notat, fuiſſe hanc ſententiam Theodoreti & aliorum Veterum. Ipſe vero de gentibus converſis exponit, qui ad Chriſtianiſmum permoveantur conſtantia martyrum, quorum mortem cernerent. *Diatr. p. 48, 146 ſeq.* 2 Cor. V, 1 *Si terreſtre noſtrum domicilium.* Illuſtrat Noſter hunc locum ex Clemente Alex. qui doceat, corpus a Platone etiam vocari γήϊνον σκῆνος, Dialogo de Morte, *f. 365 Tom. 3.* Sed plura tum ibi dixit Plato, tum alibi, quam collaudare debebat Clemens. Quale illud *Strom. L. 5 f. 447*: ὃ νῦν σῶμα περιφέροντες, ὀςρέȣ τρόπον δεδεσμευμένοι. Cave igitur, ne crude dicas, Paulum hic & in ſequentibus phraſibus ex Philoſophia Platonica deſumptis uti. Nam & idem Clemens recte docuit, Platonem potius ex Moſe ſumpſiſſe τὸ σῶμα γήϊνον σκῆνος, eo, quod Moſes ſcripſerit, ἐκ γῆς μὲν τὸ σῶμα διαπλάττεσθαι, *d. l. f. 433, 435.* Epheſ. II, 1 *cum eſſetis mortui peccatis.* Illuſtrat iterum hoc Noſter verbis Clementis Alex. *d. l. f. 419*, etiam in barbarica philoſophia vocari mortuos, qui animum ſubjiciunt affectibus naturalibus. In Ariſtophanis Ranis autem nihil hic deprehendas. Peccaminoſos enim mortuis comparari, quis neſcit? *Luc. XV, 24, 32, Coloſſ. II, 13, 1 Tim. V, 6.* Et hoc ipſo c. II, 5 & V, 14. Intelligebant ergo hæc Epheſii, etſi de philoſophia barbarica nil unquam audiiſſent. Nemo etiam ſermonem Apoſtolorum dixerit inficetum aut adeo novum, quod non immiſceat fabulas gentilium turpiſſimas. Furta illorum recte detexit paſſim Clemens, quia μάλιςα τὰ καλὰ παρ' ἡμῶν ὥρμηται τοῖς Ἕλλησιν, *maxime pulchra noſtra a nobis ad Græcos pervenerunt, d. l. f. 405*, imo dogmata præcipua Moſis & Prophetarum, *Lib. 1 f. 229, 258, Lib. 5 f. 401*, lucem a Sole artificioſe ſuffurando, *f. 408.* Philipp. II, 6, 7 *Chriſtus quum eſſet in forma Dei.* Affert Noſter ſententiam Joan. Conr. Kesleri:

Christus, quum ipse Deus verus esset, non putavit, tam pertinaci retinendum sibi hoc esse, ut Deo æqualem majestatem in omnibus exerceret, quam pertinaciter homines retinent rem ab hostibus multo labore raptam. Christum fuisse æqualem Deo, ceu Deum, æque ac Deum, instar Dei, veramque illius effigiem etiam Schlichtingius concedit, sed æqualitatem non debere extendi ultra rem subjectam: æqualitatem enim illam fuisse Dei gratiam ac donum, ideoque se vacuum reddidisse divina majestate, quam præferebat, *ad h. l. f. 201.* In reliquis, quæ sequuntur, verbis Keslerus respexisse quodammodo videtur ad tradita Jo. Cunr. Diterici Antiquit. N. T. f. 147, quæ etiam transscripsit Thomas Crenius ad oram Merici Casauboni *Diatr. de Verborum usu, p. 111.* Eod. c. II, 30 παραβουλευσάμενος. Sexcenties, inquit, monuerunt viri docti, per *o* scribendum. In Hesychium vitio librarii eundem errorem certum est irrepsisse, qui tamen veram significationem adhuc bis eodem loco retinuit. Lamb. Bos *Obs. Misc. c. 45*, cum in eodem folio emendaret παραθεωρῶ, *p. 178*, præsens vitium non animadvertit. Qui factum est ergo, ut Heinsius post Erasmum, cum Beza & Leigh, hic taceret, Salmasius autem copiose causam strinxerit? *de modo usur. c. 5 p. 198*, & Jac. Gothofr. *Tom. 6 C. Theod. ad L. 42 de Episc. & Cler.* Millio de consensu Codicum accedit Jo. Gregorius. Whitbyus autem p. 276, unicus hodie forte est, qui lapsum hunc non intellexit, & Millio dicam scribere non verebatur. Coloss. III, 15 *Et pax Dei gubernet in cordibus vestris*, βραβευέτω. Deserit Bezam, qui a brabeutis in certaminibus præmia vel dantibus, vel eripientibus factam translationem asseruit. Dicit igitur, Paulum scribere ad tales, apud quos pervagata erat sententia, Angelos esse *brabeutas*, *sequestros*, internuncios & intercessores inter Deum & homines: vos Angelos pro his habetis, ego alium vobis proponam, si quis aliquam habeat querelam, *comm. 13*, pacem sc. Dei: hanc amplectimini. Non liquet sane vel e textu, vel aliunde, in ecclesia Colossensi hanc tunc temporis hæresin pervagatam fuisse. Cavendum tantum monuit Paulus *c. II, 18, 23*, ne quis ἐν θρησκείᾳ τῶν Ἀγγέλων καὶ ἐθελοθρησκείᾳ, de futuro palmam ipsis intervertat. Imo Theodoretum carpit Baronius ad ann. 60, quod mentem Pauli *Tom. 3 opp.* hic non sit assecutus, & Canonem 35 Laodi-

Laodicenum perperam exponat. An Baronio satisfecerit Garnerius in auctario operum Theodoreti, excutiendum adhuc Nostro fuerat. Scaliger etiam *Elench. Trihæres. c. 27 p. 465 seq.* erudite illustrat Epistolæ hujus commata plura, quæ nisi probe sint trutinata, præstabat hunc locum non omnino tangere. Quid enim Plato hic senserit, & quinam illum in ecclesia sectari clam cuperent, textum nondum exhaurit. Petav. *Dogmat. Th. T. 3, Lib. 2 c. 10* & Forbes. *Instruct. L. 7, c. 4* monstrant conflictus veterum. Morus *h. p 227* per contemptum loqui Paulum, ait, ut *κατατομή, Philipp. III, 2,* sed obiter: posterius nollem. 1 Thessalon. IV, 6 *ne quis opprimat fratrem in negotio.* Tecte loquitur hic de castitate, & limitat *comma 5*, abstinendum esse a concupiscentia utique; cavendum tamen etiam, ne quis fratrem suum ob causam levidensem hic suspectum habeat, cujus actiones in bonam potius partem interpretandæ. Sed non dilucide exprimit, quam actionem, vel factum fratris ἐν τὸ πράγματι Paulus intelligat. Si Hammondum sequi hic voluit, respondendum etiam erat Clerico, qui ne somniasse quidem de isto sensu Apostolum ostendit. Nam ille c. II, 3 de se ipso ait, se nihil fecisse ἐξ ἀκαθαρσίας, quæ juncta est τῇ πλάνῃ καὶ δόλῳ. Non ergo ad carnis libidinem coarctandum est, quod c. III, 6, 7 dicitur. Peritque adeo hic etiam nova parenthesis. 1 Thessal. V, 13 *pacem habete cum illis*, ἐν ἑαυτοῖς. Perperam, inquit, sic enim εἰρηνεύειν τε dixisset potius, sicut εἰδέναι καὶ ἡγεῖσθαι. Atqui *comm. 11* dixerat Paulus, παρακαλεῖτε καὶ οἰκοδομεῖτε ἀλλήλους. Ab his distinguit *comm. 12, 13* ministros Verbi. An ad illos referre oporteat τὸ εἰρηνεύετε, an vero ad *comm. 14* νουθετεῖτε, Codicibus hactenus relinquimus, seu pluribus seu melioribus. Marcus *IX, 50* noluit bis dicere, ἐν ἑαυτοῖς, dixit ergo eodem sensu, ἔχετε ἐν ἑαυτοῖς καὶ εἰρηνεύετε ἐν ἀλλήλοις, *in vobis & inter vos.* 2 Thessal. I, 3 *gratias agere debemus Deo*, εὐχαριστεῖν. Forte hic iterum risit Barthio dictus censor acutus scriptorum sacrorum pariter & profanorum, Phrynichus, sicut in διδάσκαλοι. p 39. Sed præter Arrianum & Phalarida, Diodorus Siculus, Josephus etiam hoc verbo utuntur. Inde Glossæ, εὐχαριστῶ, εὐχαριστεῖ, εὐχαριστία. Aquila *Psal. CVI, 22* θυσίας εὐχαριστίας. Apud Gruterum χαριστήριον, εὐχαρίστησεν δημοσίᾳ Θεῷ,

Θεῷ, ob morbum ab Æſculapio curatum, ter in tabula marmorea, εὐχαριςῶμεν, *f. 505, 1067, 7571.* Apud Reineſium, ὑπὲρ εὐχαριςίας, *f. 200.* Quod autem David Hœſchelius Patrum exempla Phrynicho hic opponit, rem non conficit. Poterat enim fortius loca ſacra annotare. Et Meurſius, qui in lectionibus Atticis verſabatur, ne nominat quidem Phrynichum. Apud Thomam ſtricturam hanc non reperio. 1 Timoth. IV, 8 *pietas ad omnia utilis.* Similis, inquit, eſt ſententia Artemidori, ἡμίονοι δὲ πρὸς πάντα ἐπιτήδειοι, *muli ad omnia ſunt apti.* Egregia comparatio. 1 Timoth. VI, 16 *Lucem habitans inacceſſam.* Sic, inquit, Dionyſius Areopagita de natura Dei, ὐδὲ ὄνομα αὐτῆς, adde, τῆς ὑπὲρ πάντα ὑπερουσίως ὑπερούσης ὑπερθεότητος, ἐςὶν, *f. 269.* Nec dicas iterum, in ὑπὲρ emphaſin non quærendam. Tit. I, 12 *Cretenſes ſemper mendaces.* Incerti operis eſt is verſus Meurſio, & dictum adeo tritum, ut in ore pueris etiam haberetur. Paulus tamen id non ex trivio protulit, ſed autorem præclarum nominat, εἰπέ τις ἐξ αὐτῶν ἴδιος αὐτῶν προφήτης. Bis αὐτῶν. Idque de Epimenide veteres, Plato *L. 1 de LL.* Diog. Laert. *in Epimen.* Plutarchus *Solone.* Hebr. VI, 4 *qui ſemel guſtaverint.* Imprimis, inquit, obſervandum, γεύσασθαι hic ſumi pro leviter tantum delibare, & hinc locus lucem feneratur. Ecce emphaſin, quæ Noſtro eſt ad palatum. Servit enim hypotheſi, ex hoc textu τὴν ἀποςασίαν ſanctorum & vere credentium non poſſe doceri. Similem ſenſum dicuntur οἱ ἅπαξ φωτισθέντες experiris. Ita enim jam diu Wittichius *b. p. 157:* leviter, i. e. *citra attentionem & converſionem animi, citra ſuccum & ſanguinem.* Van Hoeke p. 87: *extremis labiis guſtarunt.* Sermonem, dicunt, non eſſe de vere regenitis, ſed iis qui inter reſipiſcentes veros non fuerant: quia deficiant. Qui autem deficiunt, veram fidem non habuiſſe. Alias non defeciſſent. Ergo non excidunt gratia credentes, etiam per peccata graviſſima & atrociſſima. Petro autem etiam οἱ ὄντως ἀποφύγοντες τὰ μιάσματα τῦ κόσμυ iterum involvuntur ac ab iis ſuperantur: ὄντως, ἀληθῶς, quod apponitur fere jurejurando. Noſter p. 426: Si πρόσκαιροι fuerunt, quomodo veritatem erant complexi cum omni illius perceptione nobiliori, accedente gratia illuminante & convincente? Deerat, inquis, *gratia regenerans*

& ſancti-

& sanctificans. Ergo Davidi & Petro defuit ante lapsum gratia Spir. S. regenerans & sanctificans, & habebant tantum gratiam communem. Braunius contra: retrocesserunt ex infirmitate passum unum atque alterum, sicut miles etiam strenuus aliquando facit, qui tamen militiam ideo non deserit, p. 687. Ergo illi nondum habuerunt τὰ κρείττονα τῆς σωτηρίας, c. VI, 9, quia hæc opponuntur, ceu Noster ait, levi isti gustationi virtutum futuri seculi, c. VI, 5, quæ sint descripta in Davidis Ode 145, 12. Abolebis ergo Odas antecedentes omnes de resipiscentia. Hebr. X, 22 ἐν πληροφορίᾳ πίστεως. Georgio Pasori tribuit emphasin, *petitam a navi, quæ plenis velis fertur,* quod multi, inquit, sequuntur. Piscator sane non est secutus Pasorem, sed hic istum, p. 220. Beza similiter ad Luc. I, 1 non habebat vocabulum Latinum, Græco huic par, idem sentiens ad Coloss. II, 2 & 1 Thess. I, 5. Ludit autem Noster vocabulo. Rejicit metaphoram de navi, & substituit aliam de plena mensura, plenoque pondere solutionis, & certitudinis alicujus rei. Braunius tamen recens retinet p. 343 navem plenis velis latam in alto mari. Sed neque opponitur τῷ μειαγωγεῖν. Nam μεῖον quidem est *minus*, at μειαγωγὸς est ὁ εἰσάγων puerum in tribum, & μειαγωγεῖν est εἰσάγειν ἱερεῖον. Pollux & Hesychius. Nam & qui non minus quam decebat, inferebant, μειαγωγεῖν dicebantur. Synesius *Dione*, ὅ τις ὑπηρέτης μειαγωγήσῃ δημόσιος, *f. 55.* Harpocration, ibique Aristophanis Scholiastes apud Valesium *p. 123* Hebr. II, 37 ἐπρίσθησαν, ἐπειράσθησαν. Omittit Noster lectionem Tanaqu. Fabri, ἐπειρώθησαν, cujus meminit Clericus h. Apud Cyrillum Hierosolymitanum ἐπρήσθησαν non invenias. Cyrillus Alexandrinus *lib. 6 contra Julianum* attulit quidem *f. 189. C. XI, 32 sq.* usque ad ultima verba comm. 37, litigiosa autem hæc nostra omisit. Gatakerus suam veluti lectionem planeque novam, ἐπρήσθησαν in medium protulit, *Miscell. posth. f. 897*, neque vidit Millium, qui eam Cyrillo Hierosol. assignat, Millium autem secutus est Noster. 2 Pet. I, 3, 4, 5. Iterum parenthesin tentat commatis 4. Sed facilior fit connexio hoc modo: postquam (*comm. 3*) Deus nobis per agnitionem filii sui, qui nos vocavit per gloriosam suam potentiam, largitus est non tantum omnia, quæ ad vitam spiritualem


& pietatem pertinent, ſed & (*comm.* 4) majora adhuc donavit, ut ſcil. participes fieremus, per priora illa, divinæ naturæ, ſiquidem effugerimus concupiſcentiam mundi, &, quæ illam ſequitur, corruptionem; etiam (*comm.* 5) veſtrum reciproce nunc eſt, in hanc ipſam fugam concupiſcentiæ mundanæ omne ſtudium adhibere, & in fidei exercitiis, quæ enumerantur, nunquam reperiri otioſos. *comm.* 8. 2 Petr. II, 13 *ἐν ταῖς ἀπάταις ἀυτῶν.* Contendit, legendum eſſe *ἀγάπαις*. Concurrere tamen videtur utraque lectio. Non enim rejeceris expoſitionem Oecumenii *p.* 206, ut ſenſus ſit: Convivantem quidem vobiſcum, *συνευωχέμενοι ὑμῖν*, in agapis nimirum veſtris; non tamen ceu viva membra eccleſiæ, ſed hoc ipſo opportuno tempore agaparum, in fraudibus ſuis, *ἐν ταῖς ἀπάταις ἀυτῶν*, deliciantes. Illuſtrantur hæc clarius *comm.* 14. Statim enim ſequitur hinc, eo ipſo tempore habere illos hypocritas oculos plenos adulterii, i. e. nihil aliud intuentes tunc, quam occaſionem adulterii. Ita vero *ἐν ταῖς ἀγάπαις* veſtris exercent *τὰς ἀπάτας ἀυτῶν.* 1 Epiſt. Joh. II, 22 *qui negat, Jeſum non eſſe Chriſtum: hic eſt Anti-Chriſtus.* Duo annotat. Attice verbis negantibus ſuperaddi particulam negantem. Et in hunc cenſum refert verba 1 Timoth. IV, 3, *probibentium nuptias contrahere, abſtinere cibis.* In *κωλυόντων* enim latere negationem, ut & in *ἀπέχεσθαι*. Concedit Eraſmus Schmidius, Paulum potuiſſe verbo *κωλυόντων* particulam addere negantem, *μὴ γαμεῖν, & probibentium non contrahere.* Ergo ex mente Schmidii repetitur, *κωλυόντων ἀπέχεσθαι βρωμάτων.* Negatio enim, quæ verbo *ἀπέχεσθαι* jam ineſt, reſolvitur in *τὸ μὴ φαγεῖν, & probibentium non comedere cibos*, ſeu quod idem eſt, prohibentium cibos, jubentium abſtinere cibis. Alterum: Ἀντίχριςον dici poſſe, qui eſt Chriſto contrarius, &, qui ſe gerit pro Chriſto, vice illius, & quaſi Chriſtus. Statim addemus, etiam hunc eſſe Chriſto contrarium, ſi deeſt ei legitimatio ad cauſam, nec in via Chriſti incedit. Apud Ariſtophanem contra leo, canis defendebat populum, ceu conſervator & caput illius, ac poterat ſuo jure dicere, *ego tibi ſum ἀντὶ τοῦ λέοντος*, gregem ſuum tuentis, ceu tutor. Populus etiam grata mente reſpondet, *quomodo me latuiſti, qui mihi ἀντιλέων, inſtar*

inſtar leonis eras? Locus itaque iſte parum eſt appoſitus. Neſtoris eloquentia laudatur ceu divina, & hoc ſenſu ipſe vocatur ἀντίθεος, valde abuſive, cum Dei eloquentia comparandus, per adulationem Poeticam. Eadem ratione Agenor vocatur ἀντίθεος; ſed paulo ante Ἀγήνορα δῖον excitaſſe dicitur Apollo, virum fortem, ejusque cordi robur injeciſſe, ut mortis graves manus arceret. Talis autem mera ſoni & apicum convenientia a ſtudio ſacro plane excludenda. Epiſt. Judæ, comm. 5 *cum ſciatis ſemel illud.* Nodum in ſcirpo dicuntur quærere & fluctus in ſimpulo excitare, qui τὸ ἅπαξ vertunt *ſemel.* Quod enim ſcimus, neque ſemel ſcimus, neque bis aut ter. Tenendum hic erat, Judæ Epiſtolam omnes Epiſtolas obſignare Apoſtolorum & ultimo per eam excitari ad certamen, Deo ita jubente, debuiſſe eccleſiam. *Volo, vos, ſcientes*, inquam, *vos*, & jamdiu informatos in fide, *ſemel adhuc*, i. e. extremum *commonefacere.* Hic nemo negaverit, τὸ *omnino*, *prorſus*, *certe*, *perfecte*, *plane*, latere hic in τῷ ἅπαξ, ſicut *comm. 3 fidei ſemel datæ ſanctis*: & *Hebr. VI, 4, IX, 7, 9, 11, 12, 26,* X, *2, 10, 14, XII, 26, 27, 1 Petr. III, 18, 20.* Epiſt. Judæ, comm. 7 *propoſitæ ſunt exemplo.* Ignatii locum difficilem ad Philadelph. §. 8 tentat exponere duobus modis. Primo τὸ πρόκειται accipit pro παράκειται, *a latere tantum poſitum extat*, non proprie ſcriptum in autographis. Vel, hodie quidem proſtat & publice proponitur ac legitur, non tamen in authenticis codicibus ita ſcriptum eſſe inde eviceris. Neutrum forte placuerit Cl. Clerico. Nam & Voſſius jam vidit illud παράκειται, *p. 283.* In authenticis autem Chriſtianorum codicibus ita ſcriptum fuiſſe Evangelium, ceu prædicabat illud Ignatius, ne Judæi quidem negabant tunc. Legebantur etiam in eccleſiis non modo ſcripta Apoſtolorum, ſed & Prophetarum. *Juſtinus Apolog. I, 87.* Judæi autem, vel Judaizantes dicebant, niſi invenero Evangelium in antiquis libris, veteris ſc. T. Evangelio non credo, volebant enim hiſtorias de Chriſto etiam ibi referri & reperiri. Reſpondente Ignatio, ibi quoque reperiri Evangelium ſcriptum, replicabant Judaizantes, πῦ πρόκειται; Pergit itaque Ignatius, totam hiſtoriam illius, crucem ejus, mortem, reſurrectionem, & fidem, quæ per ipſum, conſignatam eſſe in antiquo fœdere. *Nam & Prophetæ*

annunciarunt Evangelium, & in Christum speraverunt eumque expectarunt, & in eum credentes salutem consecuti, atque ab eo connumerati sunt in Evangelio spei communis, §. 5, αὐθεντικόν μοι ἐστὶν ἀρχεῖον (ἀρχαῖον) ὁ σταυρὸς αὐτοῦ. Idem argumentum persequitur Ignatius Epistola ad Magnesianos, §. 8, *divinissimi Prophetæ juxta Christum Jesum vixerunt*, §. 9, *etiam discipuli ipsius fuerunt*. ἄτοπον οὖν, Ἰουδαΐζειν, §. 10. *Tom. II Patr. Apost. f. 32, Edit. 1724.* Quum igitur copiose respondeat Ignatius, interrogatio videtur omnino antecessisse, neque nuda negatio, οὐ πρόκειται, quod Vossio placuit. Apoc. XIV, 13 *Beati mortui a modo.* Nihil ait incommodi esse, si punctum ponatur post ἀποθνήσκοντες. Ἀπαρτὶ, ναὶ, *omnino, næ, requiescunt.* Sed ista asseveratio latebat jam in eo, quod in Domino dicuntur mortui; illi enim non possunt non esse beati. Sufficiebat etiam, spiritum exclamare, ναὶ, ἵνα. Ad determinandum autem articulum temporis inchoandæ istius felicitatis, adjectum, ἀπ᾽ ἄρτι, *a momento* requiescunt morientes in domino. Dumque hæc confessio ad fidem nostram pertineat, nulla alia expositio ei præferenda est.

THEOPHILI SIGEFRIDI BAYERI Epistola ad J. B. M.

JAmdiu tibi hanc operam debeo, ut, quæ de Tartarorum litteris mihi constabant, tecum communicarem, a quo officio meæ me occupationes invitum retinuerunt: ne nunc quidem satis libero inter publicas ferias animo meditate proferre possum, quæ sentio, sed cogor pleraque repetere, quæ in libro de Christiana religione in Sinis & Tartaris peculiari capite pertractavi. Litteris Tartari universi non iisdem utuntur. Qui Mahumetanis sacris sunt addicti, Arabicas adhibent, sed accedentes propius ad Persicas, quibus schedam in charta Indica lingua majoris Tartariæ exaratam ex Bibliotheca Joannis Reyheri, ad Magnos Russiæ Duces A. M DC LXXXVIII a Friderico Duce & Electore Brandenb. legati, curiosissimi talium viri, cum multis aliis ejus generis mihi comparavi. Accepi deinde Orationem Dominicam Tarta-


Sanctificetur
voluntas tua sicut ad
Panem
terra
remitte
et
debitoribus
nostris
u
u
u
dsch
schu
tu
tschu
tzu
xu
b
ch
ch
ch
d
d
d fin
d fin
g dur.
g dur.
gis g Gall.
h
k
l
m
n
n
p
ph
r
r
s
sch
sch
t
tci

Tartarice & Russice descriptam, quam, quia talium versionum avida Europa est, tibi mitto. (vid. Tab. V Fig. 1) Orationem hanc Buthnero, Rectori quondam Moscuæ, Tartarus, ex eorum numero, qui circum Caspii littora maris colunt, converterat. Eam cum ostenderem Salomoni Assadi seu Nigro, Damasceno, Viro & in omni litterarum genere, & Turcicæ Persicæque linguæ doctissimo, referebat, Turcicam linguam multum abire a veteri Tartarica, ac in hac versione pauca se intelligere, quædam negligentissime a Tartaro scripta, ne legere quidem posse dicebat. Ea autem, quæ legebat, Turcica esse deprehendebat (quorum lingua in Turcestania, veteri patria, adhuc manet, de qua passim quædam Thomas Hyde in historia religionis Persarum & ludis orientalibus inseruit) ipsumque principium اکب بدم بارمز *I pader baramuz* legebat, quod Turcæ hodie dicunt باباموز *Babamuz*. Postea, interjecta vocula, legebat کوکر طورسن porro اول اذکا *ol adene* & اول کلر بیرینه *ol geler gerine*, & *ad locum veniat*, *executioni mandetur*. Sed longum esset, omnia retractare. Hoc autem solum satis est ad ostendendum, quibus & quam corruptis litteris Mahumetani e Tartaris scripturam peragant. Utuntur & Turcæ peculiaribus litterarum notis, (قرمه *Kirma* vocant,) quibus tabulas accepti & expensi perscribunt. Ejusmodi librum satis spissum habeo, ex quo tamen nihil exsculpere potui, nisi quod Indicos numeros passim mihi videor reperisse. Itaque nec dicere possum, sitne hæc scriptura ad Seraglii arcana occultanda ab eunuchis excogitata, (quo fere inclinat animus, quoniam extra aulam Turcicam non efferri audio,) an ab aliqua Tartaricarum veterum oriunda.


Tab. V. Fig. 1.

Duo sunt alia litterarum genera, rara antehac in Europa & vix ulli cognita, antequam Russorum Imperatoris fortissimi & sapientissimi herois expeditiones eruditorum curiositatem adverterent. Quanta fama de libris ad Caspium mare repertis concitata fuerit, recens memoria est. Serius ex iis lineam unam videndam accepi, ex qua id intellexi, quod unum maxime quærebatur, cujus gentis illæ litteræ essent: maximam autem littera-

 turæ

turæ ejus partem in obſcuro jacere facile animadverti. Itaque A. 1722 XII Kal. Sextil. Novis publicis, quæ Latine apud nos Strimeſius edebat, nonnulla de illis eruditos admonebam, quæ poſtea Pruſſiæ eruditæ apud Torunienſes a Georgio Petro Schulzio V. C. inſerta fuerunt. (*) Expoſtulantibus autem mecum amicis, ut Tangutanas litteras evulgarem, Epiſtolam ad Joannem Samuelem Strimeſium, celeberrimum Virum & Academiæ Rectorem Magnificum, VIII Kal. Sext. ſcripſi, quæ in Hiſtoria eruditionis noſtri temporis (**) impreſſa exſtat, una cum Jo. Gottlibii Krauſii, Viri doctiſſimi & amiciſſimi, Epiſtola, in qua de quibusdam me monuit. Is enim collata ſcheda, quæ in Actis Er. ejusdem anni p. 376 exhibetur, quædam in meo apographo elementorum mutavit, quod Schedæ amplius, quam Mogulenſi meo crederet. Interea Maturinus Veyſſiere Lacroſus, Vir illuſtris & mutuis officiis mihi ſemper cultus, litteras Tangutanas, quales a me jam A. 1716 exeunte acceperat, ad Te, Vir Ampliſſime, miſit, eodem anno p. 414 Actis veſtris inſerendas. Hæc Lacroſi elementa ſola, pro Gabrielis Mogulenſis opere, mea induſtria in eum ordinem redacto, cenſeri velim, nam illa, quæ in Hiſtoria eruditionis leguntur meo nomine, paullulum, ut dixi, immutata fuerunt. Accepi autem ea A. MDCCXVI. Quo anno iter Gedanum faciens, gratiſſima conſuetudine utebar Maruthæ Pauli filii Armeni, graviſſimi ſenis, quem Ludovicus Lenfant (Jacobi frater) Gedani Gallorum presbyter, in Perſia noverat, præfectum deinde mercaturæ Perſicæ apud Holmienſes & eodem poſtea munere functum Moſcuæ, ubi frater ejus conſul nationis Perſicæ fuit. Erant & eximii duo viri mecum in navi, Joannes Georg. Sorgerus, Merſeburgenſis, proprætoris claſſium Ruſſicarum Sacerdos, & C. M. Roddius, nunc apud Narvenſes Sacerdos, qui, diſcedente a nobis Gedani Marutha, me Berolinum usque proſecuti eodemque hoſpitio uſi ſunt. Rara in illis erat rerum & Ruſſicarum & Tartaricarum peritia, præſertim in Roddio, qui Narva, in illis bellorum tumultibus, abreptus in Siberiam usque, multis beneficiis a Jo. Bernardo Mullero (qui e metallis magnos reditus habebat,

(*) *Gelehrte Preuſſen T. I p. 228.*
(**) *Hiſtorie der Gelehrſamkeit unſerer Zeit, Faſcic. V p. 385.*

habebat, cujusque liber de Oſtiacis prodiit) fotus, cum Tartaris converſandi opportunitatem nactus erat. Iſthic Gabriel quidam Mogulenſis interpretis vice fuit, homo nunquam ſobrius, a quo tamen disjectas male litteras Tangutanas Mogulenſesque extorſit Roddius, mirifice talia prodere reluctante. Hunc ergo ea laude fraudari, aut a primo autore in me averti, non ſum paſſus. A Roddio accepta utriusque ſcripturæ monumenta in ordinem redegi (erant enim veluti lacera crudeliter membra) commodiusque, ut tum in itinere licebat, deſcripſi, omiſſis tamen quibusdam litteris, quæ obſcuriſſimæ eſſent. Cum hæc in vulgus exiſſent, Sam. Koleſeer de Kereſeer ſuperiori anno III Kal. Maji Cibinio ad Te litteris datis, Tangutana elementa, ex anonymi cujusdam MSto excerpta, miſit, de quibus quid ſentiam, pro incredibili tuo adjuvandi doctrinas ſtudio me rogas. Sunt in eo MSto tantum 30 litteræ, pleræque omnes ſecus exaratæ, aliæ bis occurrunt, nullæ per vocales ſuas augentur. Subſidio tamen mihi fuit, augendis elementis meis, quod grato animo prætermittendum non erat. De libro Tangutano a me deſcripto in epiſtola ad Strimeſium memoravi. Ejus verſionem a Gabriele Ruſſice factam illatamque bibliothecæ Orphanotrophii Halenſis ſcio, e qua credo acceptam Lacroſus ſe editurum recepit. Multa ibi de ſuperiorum ſanctorum matre  *Darecha* exſtare accepi. Itaque philoſophiæ Tartaricæ ratio ex eo libro cognoſcetur, cujus philoſophiæ quoddam ſpecimen in Epiſtola edidi.

Hæc quaſi quædam hiſtoria eſt, quomodo litteræ Tangutanæ in his regionibus cognitæ, evulgatæ, auctæ fuerint. Cum autem eas Delbergjin a veteribus appellari commemorarem, non viſus ſum rem ſatis probaſſe eruditiſſimo Krauſio, præſertim cum immortalis Lacroſus Oiguræas eſſe, in Actis aſſeruiſſet. Duo enim litterarum Tartaricarum genera nota eruditis fuere, nominibus ab Arabſiade vulgatis, *Delbergjin* & *Oigur.* (*)

وفي الخطا (لهم) خط يسمى دلبرجين ، رايت
حروفه احدا واربعين - وسبب زيادته انهم يعدون

(*) *p. 435. ed. Golii.*

لانفاخيم والامالات حروفا وكذلك البين وبينات
فيتولد الزوايد فكل حرف زايد واما الجغتاي
فلهم قلم يسمي اويغور وهو بالقلم المغولي مشهور
وعدته اربعة عشر حرفا وسبب نقصانه وانحصاره
في هذا العدد ان حروف الحلق يكتبونها على
هيئة واحدة وكذلك تلفظهم بها ومثل هذا
الحروف المتقاربة في المخرج مثل الباء والفاء
ومثل الزاء والسين والصاد ومثل التاء والدال
والطاء وبهذا الخط يكتبون توقيعهم ومراسيمهم
ومناشيرهم ومكاتيبهم ودفاترهم ومخازيهم وتواريخهم
واشعارهم وقصصهم واخبارهم
وسجلاتهم واسعارهم وجميع ما يتعلق بالامور
الديوانية والامور الجنكيزخانية والماهر في هذا
الخط لا يبور بينهم لانه مفتاح الرزق عندهم

In Chataia eſt ſcripturæ genus, quod vocant Delbergjin. Vidi litteras ejus unam & quadraginta. Cauſſa ejus ſunt litteræ ſerviles. Quoniam numerant lenioris & plenioris ſoni litteras & ita quoque mobiles & quieſcentes & generant ſerviles litteræ & omnis littera novas. Verum, quod attinet Zagathæos, illis eſt ſcriptura, quæ vocatur Oiguræa, & illa eſt Mogulorum nomine celebris. Numerus illarum litterarum eſt quatuordecim. Cauſſa diminutionis & paucitatis harum litterarum eſt, quod litteræ gutturis eodem charactere exprimuntur & in eundem modum vicinæ ſono litteræ be & pe, ze ſin & zad the dal & ta. Et hac ſcriptura ſcribunt omnia diplomata regia & mandata & diplomata patentia & epiſtolas & regiſtra & tabulas & calendaria & carmina & hiſtorias & monumenta & ſyngrapha & rationes & omnia quæ tractantur in negotiis judicii & legis Gingiſcanicæ. Et ratio illa ſcribendi non peribit, quia ea ad ſuſtentationem vitæ utuntur.

Ludovi-

Ludovicus Piquesius in epistola ad Christianum Menzelium, locum hunc affert Arabice ex Anonymo, cum totus sit Arabsiadis. Principium autem in MS. ejus hoc fuit: وفي الخطا خط يسمي دلبر جين Cataja (nam rectius scribi قتا *Kata*, Autor libri Lagat Mesnavi annotavit, asserens, qui خطا *Chataja* scribunt, vere scribere خطا *errorem*, quanquam sic omnes scribunt) extra Sinas ponenda est, in his ipsis regionibus Tanguticis & Tibeticis, ut liquido ostendi in libro de Christiana religione in Sinis & Tartaris. Et memini, Lacrosum rationes meas olim vehementer probasse. Possis quoque pronuntiationem vocis Dulbergjin ex hoc MS. cognoscere. Quæsitum est autem de litteris Dulbergjin ab Andrea Mullero Greiffenhagio & Thoma Hydo. De illo dicam postea. Sed Hydus cum quædam Tartaricæ scripturæ exempla ederet, vehementer deceptus est. Primum evulgavit (*) scripturam Mogulensem turpissime scriptam: addidit deinde, nullum Mogulenses habere alphabetum, sed more Sinensium & Japanensium notis & rerum characteribus uti: quod quam verum sit, ex alphabeto meo Mogulensi liquet. Secundo dedit scripturam Tartarorum de Boutan, quæ Tangutanis litteris corruptissime scripta fuit. Tertio, si diis placet, nobis dat litteras Delbergjin, de quibus sic præfatur: *Damus Tartarorum scripturam dictam* دلبرجين *Delbergjin, quæ usurpatur in Oigbur (vulgo Jougour) citra Imaum supra Persiam ad Borrapelioten, atque (dicente Arabshiade) in Chita, videlicet in Chataja illa, quæ in Globis: non autem in China. Isti Tartari Chatajenses seu Kytæi (inquit Joannes de Plano Carpini 500 abhinc annis ad eos legatus) erant Nestoriani, & nullas habebant litteras, donec tandem circa 450 abhinc annis victor evadens, ille monarcha Gjenkiz-chan suos characteres Mogulenses eis obtrusit. Et postea circa 300 abhinc annis (ut ex Arabshiade colligi posse videtur,) commodiores nacti sunt litteras, quas heic vides.* Quot pæne verba, tot errores. Dicam de uno præcipuo, Arabsiades distinguit litteras *Delbergjin*

D a litteris

(*) *Historia religionis veterum Persarum p. 522.*

a litteris *Oigur:* Hydus tanquam easdem nobis offert. Præterea cum diſtinguit Mogulenſium litteras a novis Catajenſium, dicitque, ſe poſteriorum ſpecimen edere, nihilominus tamen Mogulenſes exhibet. Eas autem contra morem gentis illius deſcripſit. Oportuerat eas χαμαιφόρως (ut commoda voce appellare ſoleo) ſeu more Sinenſium edi, ut litteræ a ſummo deſcenderent imum verſus: at Hydus tanquam Europæam ſcripturam lineis a ſiniſtra ad dextram vergentibus deſcripſit. Enimvero Mogulenſes, ut dixi, Sinenſium ritu ſcribunt, hoc uno diverſitatis obſervato, quod Sinenſes a ſiniſtra lineas ſuas ordiuntur, Mogulenſes autem a dextra. Nec opitulari poteſt Hydo, quod ornamenta quædam in illius charta cernimus, qualia apud nos in ſumma pagina pingi ſolent. Nam Mogulenſes, ut ipſe vidi in MSto libro, talia primæ paginæ ornamenta a ſiniſtra ſcripturæ ponunt, ac deinde lineas ſuas χαμαιφόρως usque ad dextram peragunt. Andreas Mullerus propius ad veritatem acceſſit in Diſquiſitione de Chataja p. 73. Credidit, ſcripturam *Delbergjin* eſſe Bramanicam. *Quia quadraginta & una litteris exacte abſolvitur. Videturque diverſarum nationum philoſophis uſitata fuiſſe, etiam Chatajis. Ut & Tartari orientales hodienum ſimilem ſcribendi rationem obſervant. Sunt etiam Brachmaniæ ſcripturæ litteræ quædam craſſioris, quædam lenioris ſoni, eæque non punctis diſcernuntur, uti a Perſis Turcisque be & pe; Indisque Arabicantibus br. ſed figuris propriis. Hinc augmentum litterarum eſt.* (Hoc obſcurius dicitur.) *Sed & hoc de Brachmanica ſcriptura conſtat, quod conſonæ quandoque moveantur, hoc eſt, una aliqua vocali vel diphtongo efferendæ ſint, quandoque quieſcant, vel (ut earum magiſtri loquuntur) claudicent; vocalium etiam ac diphtongorum ſigna ipſis conſonis appingantur.* Nempe, id, quod ſuſpicatus eſt Mullerus, oſtendi, e Bramanicis Tangutanas litteras eſſe factas, ut adhuc ſervent priſtinæ originis manifeſtiſſimas notas. Vides autem in meo diagrammate planiſſime litteras unam & quadraginta. Tametſi enim alias notavi a me obſervatas in MS. quæ in eo alphabeto non recenſentur: tamen eæ utrum novas litteras efficiant, nondum conſtat. Habes hic quoque litteras lenioris & plenioris ſoni, habes quieſcentes, ut apud Arabas aut Ebræos potius, habes

mobi-

mobiles, generant litteræ omnes ex ſe novas & Tartaricæ ad poſtremum ſunt. Omnia Arabſiadis in uno hoc ſcripturæ genere concordant. Bramanicæ hæc omnia non item: nam pluribus litteris continetur, ut ipſe Mullerus in ſyllabario Braçhmanico & manuductione grammatica in illud agnovit, recenſitis litteris Brachmanicis ſex & quadraginta. Bengalenſes quidem litteræ, ut ex elementis meis vides, una & quadraginta ſunt: ortæ item e Bramanicis: ſed cetera longiſſime diſſident, utpote cum non augeantur more Hanſcretio & Tangutano, ſed ad Europæorum inſtitutum intra conſonantes accipiantur vocales eodem ſemper charactere ſignandæ.

Aſt, Oiguræas dici Tangutanas, aliquis malit? Nempe hoc multo eſt proclivius probatu, Oiguræas eſſe Mogulenſes. His enim Tartari profanos libros & diplomata (quorum ego a Sinici & Tartarici populi Principibus elegantem copiam poſſideo) & ſyngrapha & leges ſcripſere. Si quis commemoret, quatuordecim litteras apud Oiguræos tantummodo fuiſſe, plures autem in meo alphabeto exſtare, is monendus eſt, Arabſiadem quidem Mogulenſes litteras vidiſſe, ſed minime calluiſſe. Id e MS. Pariſienſi evinco. Nam iſthic litteræ Mogulenſes adjectæ ſunt nimis imperite, quas Golius in editione ſua prætermiſit. Hæc vero Arabſiadis verba ſunt, quæ vides in Fig. 2. Abul Mohaſem in vita Tamerlanis MS. ita de his litteris tradit: Tab. I. Fig. 2.

ثم لما لم يكن لهم كتاب ولا خط ولا لاوليكى
الحروف فلم يعرفون به خط امر راكبا قبيلتم
وعقلا مملكتم أن يضعوا له خطا وقلما
يكون لهم علما وعملا فوضعوا له قلم المغول
واستغلوا به اشد شغل ونسبوه الي قبيلته ليدلو
به علي فضيلتم فقالوا فونات قوا يعني قلم قوتات
وهي قبيلة تلك الفتنات، فوضعوا مفرداتم
ورتبوها ثم جملوها وركبوها وهي اربعتم
عشر حرفا ظاهرة بينهم لا تخفا فهذه صوره مفرداتها

 Itaque

Itaque cum illis nec libri essent nec litteræ, nec litteram ullam in scriptura quapiam cognoscerent, præcepit, ut per regnum suum profecti investigarent litteras easque opera data elaborarent. Ex quo litteraturam Mogolicam confecerunt & opera summo studio collocata, secum perduxerunt ad populum suum, quem in scribendi arte erudirent. Vocarunt autem Kutat kua, id est, scripturam Kutat. Constituerunt autem simplices litteras suo ordine, quibus pulchre recteque compositis, coagmentarunt litteras, ut essent quatuordecim scripturæ elementa pura non mixta. Hæ figuræ sunt simplicium. Subjungit eas Abul Mohasem fere sic ut Arabsiades. Sed operæ pretium non est, litteras hasce non multo accuratius, quam ab Arabsiade, descriptas, ex eo repetere. Utcunque hæ litteræ exaratæ sunt & ab Achmede & ab Abul Mohasem, corrupte, inepte, false, tamen non sunt aliæ, quam Mogulenses, ut cuivis comparanti eas cum alphabeto meo elucescet. Oiguræ autem sunt dictæ a gente, quam Golius & Gravius Iguræam nuncupavit. Sed Hydus ex vocabulario Tartarico MSto docet اويغور Oighur esse legendum, & Tartaricum seu Tartarum significare. Ceterum videntur Mogulenses formatæ e vocalibus Parthicæ veteris scripturæ, quæ adhuc ad Gangem fluvium a Gauris seu Magis conservatur, qua & Zoroastrem ab illis legi Th. Hyde accepit. Sunt autem hæ litteræ, quas dedimus in Fig. 3. Quas conferas licet cum Estrangelo & Cuficis: invenies enim, ex his esse ortas, & quidem serius. Nam antiquissimis temporibus, ut e Persepolitanis ruderibus erutæ inscriptiones testantur in Transactionibus Anglicanis, Palmyrenicis & Phœnicicis litteris scribebatur in Persia. Comprobavi idem in epistola ad Strimesium testimoniis Diodori, Persas Syriacis, hoc est, Phœnicicis usos fuisse litteris. Hæ ergo sunt stirpes Mogulensis litteraturæ. Prima vocalis Mogulensis a orta ex prima vocali Parthica conversa, tertia Mogulensis ex quarta Parthica, quarta Mogulensis ex octava Parthica, quinta Mogulensis ex nona Parthica brevi, sexta Mogulensis ex sexta Parthica longa. Vocalibus contenti Mogulenses novo & toto orbe terrarum inusitato genere scribendi, solis vocalibus ausi sunt uti, adjunctis certis notis aut ductibus

Tab. I. Fig. 3.

ductibus parum mutatis, ſi qua conſonans exprimenda eſſet. Ingenioſum opus & admiratione dignum. Exhibeo nunc alphabetum Tangutanum, cum Æthiopico & Bramanico comparatum, & hoc loco quidem vocales exhibeo e Bramanicis ortas:

ེ e, quod vocant *ſingu*, ི i, quod *gigu* vocant.
ོ o, quod vocant *narro*, ſ. ུ u, quod *ſchauſu* vocant.

Tres priores vocales ſuperne, ultima inferne, more Hanscretico conſonantibus ſuis adjiciuntur, ut:

Tangutanice	མ	ma	མེ	me	མི	mi	མོ	mo	མུ	mu.
Bramanice	म	ma	मे	me	मि	mi	मो	mo	मु	mu.
Æthiopice	መ	ma	ሜ	me	ሚ	mi	ሞ	mo	ሙ	mu.

Conſonantes vero vocalibus auctæ repræſentantur in Tabula I Fig. 4: quas lubet hoc loco notulis juxta numeros in figura annotatos illuſtrare. (1) In MS. Tangutano, quod penes me eſt, uterque character ſæpe occurrit. Gabriel Mogulenſis legit *a*, at MS. Koleſerianum *u*, uti idem character apud Brachmanes legitur. (2) Primus character de manu Gabrielis, & in MSto meo Tangutano: alter in Scheda Moſcovienſi. (3) Gabriel Mogulenſis ex *ba* & *wa* duas fecerat litteras, quæ eædem ſunt, eodemque charactere ſcribuntur. (4) Hic character ab antecedente nihil differebat ſecundum Gabrielis manum. Sed ex MS. adparet, in ſuperioris apicis ſeu lineæ anteriori parte diverſitatem ſpectari. (5) Hic character in MSto meo perſæpe occurrit. (6) Addit Mogulenſis, in principio ſic ſcribi. Koleſerianum MS. pro *ga* habet *nya*. (7) Addit Gabriel, in fine ſic ſcribi: ſed in MS. Tangutano & in principio & in medio ſic reperio. (8) Primum Mogulenſis & MS. Tangutanum: ſecundum vero MS. Tangutanum: tertium Koleſeri MStum. Cl. Krauſius pro hoc charactere ſubſtituit characterem *a*, quem idcirco invenire ſe poſſe negavit. Koleſeri MStum exprimit hunc noſtrum per *lla* duplici *l*. (9) MStum Tangutanum. (10) Character hic a Mogulenſi omiſſus, ſæpe extat

Tab. I. Fig. 4.




exſtat in MSto Tangutano & in Koleſeri alphabeto. (11) (12) MS. Tangut. (13) E MS. Tangutano cognoſcitur, hanc a præcedenti diverſam eſſe litteram. Koleſeri alphabetum quoque agnoſcit. In hoc vero  *za*, tamquam tertia quædam littera occurrit. Vereor autem, ne eadem ſit: quod & figura paullulum mutata indicat & ipſa litteræ figura. (14) Primam figuram Mogulenſis & MS. Tangutanum habent: alteram Scheda Moſcovienſis in Actis edita. (15) Koleſeri Alphabetum. (16) MS. Koleſeri & meum. (17)
TAB. II. MS. Koleſeri. Sequuntur Tab. II Fig. 1 eædem Conſonantes ſe-
Fig. 1. cundum Hanscreticæ ſcripturæ rationem per caninam litteram
Fig. 2. auctæ, & Fig. 2 Vocabula docentia conjunctionem, e MS. Koleſeriano. Ad illas noto: (18) Hæc littera in MS. Koleſeriano exſtat. (19) Mogulenſis *da* legit: apparet tamen, *dra* eſſe legendum. (20) E MS. Koleſeriano & meo Tangutano. (21) E MS. meo. (22) Hæc littera primum a me eſt inventa in MS. Koleſeriano.
Fig. 3. Succedit Fig. 3 Alphabetum Bengalicum e duobus MStis. Hinc lubet de Elementis linguæ Tangutanæ, olim a Gabriele quodam Mogulenſi tumultuarie deſcriptis & a me in ordinem redactis, nunc auctis & meliore ratione diſpoſitis, nonnihil afferre. Tangutani litteras ſuas vehementer celant, nec quenquam, niſi ſuæ ſuperſtitionis hominem docent. Veteribus Delbergjin ſeu Dolbergjin dictæ, originem traxere e Bramanicis, ex quibus & Bengalenſes litteræ factæ, longius a genio Hanscreticæ litteraturæ abierunt. Scribunt autem Tangutanis litteris res ſacras & Calmucci & Mogulenſes & multæ gentes aliæ, quod eo ſit, quia e Borantalo & a magno Lama ſacerdotes ſuperſtitionis litterarumque gnaros accipiunt. Idem jam nuper monui, reſque manifeſta eſt, ſed nolim id ita acceptum, veluti Mogulenſium litteras eaſdem eſſe cum Tangutanis prodiderim. Nec enim in mentem id mihi venit. Calmucci libros ſuos ſcribunt, ſed in Borantalo & Tanguth etiam typis excudunt, artem a Sinenſibus edocti. Profani libri vocantur  *Karabitſchik, nigri libri*: ſacri autem  *albi libri*. Scribunt a ſiniſtra verſus dextram more Bramanum & Æthiopum. Guilielmus

Fig. 4.


no liu bi oe ge
nu ma bo riu gi
nuoe me bu C'ha go
niu mi buoe Kche gu
la mo biu xhi guoe
schiu cham bao baschi
ye ai chao
ju bai al chaschi
baja
schu baschu aba baba chaba
babi chabi awu bawu chawu
Ms. Koleserianum.
a e i o u ö ü etc.

lielmus de Rubruquis Tangutanos a dextra ad sinistram more Arabum scripturam peragere tradit. Sed hi characteres, a nobis editi, Tibetani plane sunt, quos Tangutanos vocare maluimus, quod in ea regione omnis Lamicæ superstitionis sedes est. Latino homini, adde & supra modum imperito, scriptura hæc omnino Latinæ similis videri debuit. An autem fides Guilielmo adhibenda sit, visos characteres Tangutanos ab hisce diversos, haud possim dicere. Scribi tamen Tangutana a sinistra dextram versus, & traditum accepi a Mogulensi, & res ipsa declarat, cum in libro, quem descriptum habeo, Tangutano lineæ a sinistra omnes ab eodem puncto incipiant, & ad dextram diversim desinant. MS. Koleserianum: *Modum scribendi sic illi habent, uti Sinenses a summo deorsum, primam tamen lineam incboant sinistris.* In quo utique falsus est, quisquis fuit. Nam tametsi χαμαιφόρως scriberent (quod, ipsa natura litterarum repugnat, ut fieri possit) tamen inspicienti librum apparet, a dextra sic scribentes, lineas suas exorsuros fuisse. Quomodo libros compingant, sic tradit Koleserianum MS. *Compactorum librorum usum non habent, sed scindunt longas schedas, nempe mediam phyliram per longum, unam chartam superponunt alteri & utrique fini applicant asserculum foliis correspondentem, cui annexa est zona, qua asserculos per crucem colligant. Dum scribunt terræ insidentes, chartam imponunt uni genu & expeditius scripturam faciunt, quam, si charta planæ tabulæ esset apposita. In scribendis litteris Lacones sunt & ceremonias ignorant.* Libros Mogulenses complures & Tangutanum unum ita deprehendi ab illis tractari, ut paginæ adversæ ima linea in aversa pagina esset summa, pes capiti alterius paginæ aptaretur, chartamque per lucem transpicienti simul inversæ litteræ & ab altera pagina rectæ viderentur. Adversam autem paginam tantummodo certo notant signo, de quo inferius dicam, aversam non item. Natas has litteras ex Hanscreticis esse, tabella mea declarat, cui addidi Habessinica, de quibus dicendi locus hic non est. Religio ex India peregrinata per Tartariam, invexit quoque litteras. Vocales quidem Bramanum eædem plane sunt cum Tangutanis, at diversæ ab Habessinicis. Consonantes quoque Tangutanæ sunt acceptæ ab Hanscreticis (sic enim cum Kirchero scribo, quamquam scio Sanscroot & exilio-

exiliori ſono Sanſcreet ab Indis vocari) ſed pro ratione linguæ Tangutanæ & Tibetanæ, omiſſis quibusdam Bramanum litteris, quarum ſonus a linguis ſuis abhorrerent. Cl. Krauſius nonnullas conſonantes mutaverat in meo diagrammate, quas cur reſtituerim, in notis declaravi.

Ex his conſonantibus, more Bramanum, addita inferius lineola Bramanica, formant conſonantes cum littera canina. Koleſerianum MS. addidit *conjunctionum* notas, crediderim pæne *conjugationum* eſſe. Ceterum invenio quasdam adhuc litteras, quas quorſum referam, haud ſcio, uti:

 (an gra?) 

Alias item compoſitas, ut:


 (lcha)  cum duplici vocali 



Aliæ litteræ ſuperne punctis notantur, ut  aut aliis ſignis in eum modum:

 de quibus nec hariolari tutum eſt, nec certi quid dicere proclive.

Inter pronunciandum non accurate efferunt ſyllabas, ſed contrahunt ſæpius, ut initio libri Tangutani:

 legendum: ***Bodlechaje naſamanagsna;*** ſed Mogulenſis legebat: ***Bodlechaje Naizogna.*** Sic Mogulenſes

ſcribunt	legunt	ſcribunt	legunt
Ouſiha *Sella*	Vuſha	Toſohon *quindecim*	Toſhon
Vachihiame	Vahiame	Hougutuleme	Huſtuleme
Ketoukeleme	Ketholeme	Hochihiame	Hatſchiame.

Paginam quamvis adverſam Tangutani hac nota ordiuntur

tur  Averſa hoc ſigno plane caret. In vocibus ipſis puncta apponunt ſyllabis, quæ docent, ubi ſonus ſyllabæ cujusque terminetur. Commata hoc ſigno  notantur. Punctum majus ad finem capitis  it.  Finis totius libri tale ſignum  Circulus in meo libro nuſpiam occurrit; in Scheda Moſcovienſi quater cernitur. Recte a doctiſſimo Krauſio obſervatum eſt, fuiſſe illa foramina trajiciendo funi, quo colligaretur liber, ut in Malabaricis, quorum magnam copiam vidi. Idque manifeſto colligitur ex eo, quod hi circuli paribus ſpatiis diſtant.

Bengalicas litteras e duobus MSS. adjiciendas putavi, quod cum Bramanicis & Tangutanicis concordarent. Scribunt etiam more Bramanico a ſiniſtra ad dextram: ſed vocales ſyllabis inſerunt, more Europæorum, quod maxime abhorret ab Orientalium uſu.

Tantum mihi notaveram, quibus intexui, quæ forte in animum venere mihi. Fruere hiſce, tanquam melioribus apud nos nondum exploratis. Si hæc excitatura ſint eruditioris ſtudium, aut ad inveſtiganda ejus orbis monumenta uſui futura ſint, ſatis magnum operæ pretium me tuliſſe credam. Quibus denique ſubjungo & Fig. 4 Elementa linguæ Mongalicæ a Gabiele quodam Mogulenſi tradita & a me in hunc ordinem deſcripta. Tab. II. Fig. 4. Quanquam vero has litteras mutare poteram in eum ordinem, quem Mogulenſes litteris ſuis conſtituerunt, tamen ita eas malui dare, quemadmodum Gabriel Mogulenſis tradidit, paullo tantum meliore ordine, nam ille omnia disjecerat. Scribunt & nonnumquam quadratis pæne litteris (quæ ita differunt a communibus, ut Cuficæ Arabum a litteris Niſchi) quales pleraſque Koleſerianum MS. habet, in quo etiam plures litteræ exſtant. Sed quia depravatiſſime erant ſcriptæ, tempus me defecit eas cum MStis meis conferendi. Mogulenſes in duodecim capita (ut ipſi vocant) dividunt litteras; I terminatur in a, e, i, o, u, II in ai, ei, ii, oi, ui, III in r, IV in n, V in ng, VI in c, VII in s, VIII in t,

 IX in

IX in p, X in au, eu, iu, ou, uu, XI in t, XII in m. In primo capite ſunt vocales quinque & octodecim conſonantes, deſinentes in vocalem eo ordine, n, ka, p, ſ, x, t, l, m, ch', ch, y, ke, ki, cu, ca, co, r, f, (quod leniter pronunciant, ut *vi*) w. Tartari etiam  finxerunt, ad experimendas Sinicas voces. In vocibus polyſyllabis intermediæ litteræ paullo aliter ſcribuntur, qnam in principio aut fine. Qui plura cupiet ſcire, is adeat locupletiſſimam Grammaticam Joannis Franciſci Gerbilonii, a Melchiſedeco Thevenoto editam. Dab. Regiomonte die III Nonarum Januarii MDCCXXV.

Abgedrungener Unterricht von Kirchlicher Vereinigung der Proteſtanten.

i. e.

D. ERNESTI SALOM. CYPRIANI, CONSIL. Eccleſ. Gothani, extortum Commonitorium, de unione Eccleſiaſtica Proteſtantium, amore preſſæ veritatis conceptum, Documentis Hiſtoricis, iisque authenticis, roboratum & Doctorum Evangelicorum cenſuræ ſubmiſſum.

Tomus I & II.

Francof. & Lipſiæ, apud M. G. Weidmannum, 1722, 8. Alph. 2 plag. 12½.

TAnto plauſu hic liber exceptus eſt a Viris ſanæ doctrinæ Evangelicæ addictis, ut S. Rev. Autor vel ex hoc uno immortale ſibi nomen promittere poſſet, niſi jam dudum aliis quoque in Eccleſiam & rem litterariam meritis immortalitatem nominis fuiſſet conſecutus. Uti vero ſcripti hujus ſoliditas, raraque, quibus exornatum eſt, documenta, ſibi ipſis pretium conſtituunt: ita non parum ad gratiam ei conciliandam facit, quod id Celeb. Autor in ſtatu quaſi confeſſionis conſtitutus conſcripſit. Rationem, quæ eundem ad edendum hunc libellum compulit, exponit in præfatione, ad omnes invariatæ Aug. Confeſſ. Doctores in Eccleſiis & Scholis directa. Credidit ſemper,

per,

per, in Ecclesiæ societatem admitti non posse, qui in fundamento fidei a nobis dissident; quod Theologi Reformati hodierni, Præf. p. 6
Turretinus & Wakius, non negent; minime vero hoc licere, si, seqq.
ut de Lausannensibus constat, doctrinas nostras tolerare nolint. p. 8, 9.
Cum tamen in negotio henotico silere constituisset, Cancellarius 11.
Acad. Tubingensis, Cel. D. Christoph. Matth. Pfaffius, Nostri 15.
sententiam requisivit: respondit is, monuitque eum fraterne, ut in re tanti momenti lentioribus spatiis consociandorum Protestantium negotio incumbat. Cui epistolæ, cum fato quodam in Novis Liter. Lipf. A. MDCCXX p. 164 publici juris facta esset, Cl. Pfaffius durius paullo respondit. Cui Cyprianus nil responsi opposuit, uti nec aliis accusationibus aliorum. Tandem tamen, 21 sqq.
concluso quoque Ratisbonensi in statum confessionis adductus, 27.
Commonitorii hujus scribendi necessitatem sibi esse impositam, testatur. Operis ipsius Tomus primus tractationem; alter docu- T. I.
menta exhibet. Tractationis XV sunt capita. Primum caput demonstrat, doctrinam Reformatorum de absoluto decreto S. p. 17.
Scripturæ repugnare & ab ipso Christo Joh. XII, 47, 48 notatam esse. Pro absoluto autem decreto pugnare ostendit Synod. Dordrac. Art. VI, X, XV &c. Pictetum Theol. Chr. T. I p. 556, 22.
Steph. Vitum, alios. Quod ut aliquo saltim modo cum dictis Scripturæ, clarissime universalitatem gratiæ docentibus, concilient Braunius, Gurtlerus, Pictetus, Heideggerus, Spanhemius, & alii, duplicem vocationem statuunt, aliam externam, per Evangelium, per quam solam homines non fiant salvi; aliam internam & irresistibilem, per Spiritum S. qua soli prædestinati salvi fiant. Absoluto tamen decreto Anglicanam Ecclesiam non favere, e Nicholsio probat. Capite II S. R. Autor de universalitate 33.
meriti Christi agens e Scriptura & libris Symbolicis, Ph. Ottonem 47 sqq.
Vietorem haud ita pridem hanc aperte negasse; omnes vero Reformatos, præter Anglos, hoc dogma creditu necessarium haud putare, asserit. Cap. III inculcat, quod doctrina de particularitate gratiæ Dei & meriti Christi fundamentum fidei evertat, 58 sqq.
judice non solum Spenero, & ipso Pfaffio, sed & Moro & Bullo. Nec illos, qui universalem quidem gratiam admittunt, fidem vero omnibus concedi, negant, rectius sentire, confirmat; nec,

per alia dogmata ſententiæ noxiæ virus detrahi; nec tandem
p. 80 ſq. duos aut tres Theologos Ref. in Germania, nobiſcum loquentes, ſed poſtulantes, ut ſcripta ſua ſecundum Synodum Dordrac. intelligantur, ſufficere ad pacem ſanciendam. Capite IV particulariſmum extenuare æſtimationem miſericordiæ divinæ, & amorem in Deum; contra ad deſperationem, imo Atheiſmum, judicio ipſius Henr. Mori, deducere, notat. Cap. V in eo eſt, ut declaret, Reformatos in hac doctrina tuenda etiam hodie laborare, nec eam unquam deſerturos. Non negat quidem S.R. Autor,
93. quosdam Germanos & multos Anglos in Eccleſia Epiſcopali Theologos univerſalitatem & gratiæ divinæ & meriti Chriſti agnoſcere, utut hi Art. XVII Confeſſ. Angl. ægre admittant; inde tamen nil aliud ſequi, quam cum his unionem faciliorem futuram. Reliquos non deſeruiſſe Calvini ſententiam, inde confirmat, quia Reformati in Belgio, prout in Gallia olim factum, hodieque
99 ſq. Synodo Dordracenæ ſubſcribere teneantur, nuperque A. 1719 Jubilæum Dordracenſis Synodi celebrarint, & Leidenſes Theologi hortati ſimul ſint omnes, ut errores in Synodo damnatos evitent;
101 ſq. Palatini, Haſſiaci, Bremenſes &c. adhuc Doctores in Eccleſia & Schola ad Decreta Synodi Dordracenæ adſtringant; imo celeberrimi Theologi Reformati, e. gr. Pictetus, Fr. Fabricius, Gürtlerus, Beauſobre, particularitatem pertinaciter defendant; Baſnagius vero & Turretinus fateantur, Reformatos in doctrina nil cedere poſſe. Capite VI evincit, quod Reformati dogmata
119 ſq. noſtra, etiamſi unio fieret, non ſint toleraturi. Provocat itaque tum ad Reformatorum originem & incrementa in Rom. Imperio, tum ad Theologorum Reformatorum ſtudium reformandi. Nimirum cum tempore pacis Paſſavienſis & Religioſæ nullus omnino eſſet Reformatorum cœtus in Germania, & anno demum 1580 duo tantum, Bremenſis & Neoſtadienſis, exſtarent; ſucceſſu temporis Reformatos in ſolo Palatinatu noſtros centum fere Ec-
p. 122. cleſiis ejeciſſe, ita ut ipſi hodie fateantur, vix Lutheranis permiſſum fuiſſe, ut alibi S. Synaxi uterentur. Animum reformandi in Anglia e Nicholſii & Woodii teſtimoniis probat. Quid in Haſſia
132. ſqq. actum ſit, paucis tangit. Quod porro doctrinam de univerſalitate in fratribus ſuis non tolerarint, probat exemplo Claudii Pajoni, quem

quem ad recantationem adegerunt, item Amyraldi, aliorumque, quos jurare in verba Synodi coegerunt. Addit, rigorem Helvetiorum circa *Formulam Consensus* tantum adhuc esse, ut vel p. 138.
Reges Britanniæ & Prussiæ frustra in illo mitigando laboraverint. Patere denique hujus sectæ studium reformandi ex eo, quod Helvetii in Epistola ad Episc. Wakium optarint, ut nos ad ipsos reverteremur, & Leydeckerus nos deteriores factos dixerit 140.
Dominicanis, Augustinianis & Jansenistis. Cap. VII exponit ortum & progressum Reformatorum schismatis in Imperio Rom. Germanico, quoad doctrinam de S. Cœna; ubi ostendit, per septennium consensum cum Helvetiis durasse, ubi abusus Papatus, duce Luthero, emendari postulabant; sed Carolostadius primus utique 1524 aperte contra Lutherum egit, ad Helvetios transiens, cum quo Zwinglius & Oecolampadius, & postea Calvinus, autores separationis exstiterunt. Hinc dura in nostram sententiam jactata convitia, ut de σαρκοφαγία &c. a quibus & Strimesium & Turretinum prudenter abstinere, probat. 191 sq.
Contra argumentum, quod ne quidem concipi sententia nostra possit, inter alia urget, quod ipsi Reformati, ut Vitringa contra Roëllium, confessi sint, rationem mysteria non capere, & ex eo argumento ad rei negationem concludi non posse. Capite VIII ostendit, Reformatos inde a prima separatione fraternum nobis amorem minime exhibuisse. Antequam enim per pacem Osnabrugensem in Imperium Germ. suscepti fuissent (quo sæpius, & subscribente ipso Electore Palatino, Friderico III, exclusi fuerant, quia A.C. non addicti, quod variis argumentis Autor probat) 229 sqq.
paulatim cœperunt nostros vario prætextu e templis, Academiis & regionibus ejicere, nunc hæreses nobis, aut abusus affingendo, nunc Concionatores nostros rixosos proclamando, nunc 259 sqq.
alia nobis objectando, quibus artibus nostros e Palatinatu, Hassia &c. exturbarunt. Interim, data fide, quod nos porro turbare nolint, ad fructus pacis Westphalicæ, nostro sanguine partæ, intercessione nostra, admissi; Gallique exules intra territoria 271 sq.
nostra benigne recepti sunt. Quantum vero damni exinde illatum fuerit nostris a Reformatis, non uno exemplo docet S. R. Autor. Capite IX tantum eos hodie a fraterno amore abesse 273 sqq.

 probat,

probat, ut potius Formulam Concordiæ proſcribant, beneficia ad ſe rapiant, Conſiſtoria occupent, Feſta a nobis culta abrogent, miniſtros noſtros ſatellites diaboli appellent, nihil noſtris in
p. 293 ſqq. Palatinatu ex olim partis relinquant, & in Bipontino tractu non
298 ſqq. minores noſtris injurias inferant. Cap. X e verbis Theologorum quorundam Reformatorum, ex unione ſuæ Eccleſiæ incrementum ac commoda ſibi promittentium, ſimilibusque aliis, facile auguratur, nec impoſterum de amore ipſorum multum ſperare
303 ſq. noſtros poſſe. Cap. XI, Theologos Reformatos Particulariſtas idoneos non eſſe, qui nos ad unionem invitent, oſtendit, cum vi hypotheſium, concedere nequeant, velle Deum, ut omnes
314 ſqq. Lutherani ſalvi fiant. Cap. XII probat, conſilia hæc irenica ad commoda fere tantum Reformatorum promovenda ſpectare. Cap. XIII docet, Reformatos inteſtinis diſſidiis laborare: Anglos dogma de particulari gratia pro errore fundamentali agnoſcere, S. Cœnam a Reformatis extraneis non niſi caſu neceſſitatis ſumere, & ordinationem extraneam reiterare; nec minus Belgas Schiſmatibus obnoxios; Helvetios denique nova Conſenſus Formula contra univerſaliſtas pugnare. Ideo Lutheranos, ante unionem, requirere debere, ut Reformati unanimem prius confeſſionem edant; quam jam olim ipſi Reformati optarunt. Cap. XIV, Lutheranos omni culpa vacare, obſervat, ſi quid emolumenti e diſſidio Proteſtantium Eccleſiæ Papææ acceſſerit, cum pateat, Reformatos, ſeparationis autores, nimio reformandi zelo, Papæos, ne doctrinæ evangelii accederent, abſterruiſſe,
350 ſqq. teſte Hadr. Saravia. Denique Cap. XV oſtendit, quod pax ineunda externum Eccleſiæ noſtræ ſtatum ſit turbatura, quia (1) vis conſcientiis inferatur, ſi Reformatis S. Cœnam adminiſtrare miniſtri Lutherani tenerentur; (2) pax illa nova diſſidia excitatura ſit; (3) perſecutio quoque noſtris metuenda ſit; (4) pietas in diſcrimen adducatur, ſi ab uno cœtu ad alium, ab uno confeſſionario ad alterum libere tranſire liceret; (5) Libri Symbolici nobis eriperentur &c. (6) ſcandalo futura ſit pax noſtratibus apud Pontificios, (7) plus ſcinderetur Eccleſia, ubi non omnes unioni ſubſcripturi ſint, (8) Reformatis proclive eſſet, privilegia Evangelicis præripere, & quæ ſunt alia. Tomus II exhibet documenta

maximam

maximam partem ex αὐτογράφοις Autorum. Primum locum occupat Zwinglii Confessio Augustana; sequitur (2) Epistola Calvini ad Viretum, de reditu Genevensi, (3) Tigurinorum Epistola ad Synodum Nemausensem, in qua Lutheranos e communione sua remotos volunt, (4) eorundem Epist. ad Bezam, de exclusis e pace Religiosa Reformatis, (5) & (6) Mutatio Statutorum Facult. Theologicæ in Acad. Viadrina, (7) quædam inter Theologos Lutheranos & Reformatos ibi acta, (8) tolerantia ab ipsis stabilita, (9) D. S. Ursini Protestatio, (10) Landgravii Hassiæ litteræ ad Bezam, (11) nomina Ministrorum Lutheranorum e Hasso-Cassellanis ditionibus dimissorum, (12) Molani & Leibnizii judicium de periculo Lutheranis ex unione cum Reformatis metuendo, (13) status mutatæ religionis in Ducatu Anhaltino, (14) Status equestris ibidem gravamen, & in sequentibus variæ Epistolæ aliaque ad unionem vel promovendam, vel rejiciendam spectantia, quæ heic enumerare nimis prolixum foret. Exteris tamen forte non ingratum fuerit, si e n. 32 repetamus summam futuræ pacis inter Evangelicos conciliandæ, quoad ea quidem tantum, quæ formam quasi ejus ingrediuntur. Nimirum utrique parti sua maneat doctrina, ceremoniæ item redituque Ecclesiastici, & cuilibet sit liberum, profiteri eam, quam credit, veritatem. Fundatur vero unio (1) in eo, quod utraque pars credit, quæ ad salutem necessaria, nec (2) errores fundamentales fovet, (3) quod crescente periculo, bona conscientia contra illos pugnare haud licet, qui nil credunt, quod gratiæ Dei repugnat, (4) quod teste experientia per separationes &c. nemo convertitur. Consistet ergo unio in his, quod (1) se mutuo fratres in Christo æstimare, (2) pro concione a controversiis abstinere, & has (3) in Academiis moderate & sine convitiis tractare debeant, (4) cuilibet S. Cœna sive apud Lutheranos sive apud Reformatos uti liberum sit, (5) officia civilia & militaria, citra respectum religionis, distribuenda sint, & (6) utriusque partis asseclis in alterius regione domos &c. emere liceat, si a Pastore loci S. Cœnam accipere parati fuerint. Qua unione nullius conscientiam lædi, traditur. Hæc hactenus nos, prout Historicos decet, retulisse, satis fuerit.

p. 41.
56.

MEMOI-

MEMOIRES ET NEGOCIATIONS
Secrettes, &c.
h. e.
COMMENTARII DE REBUS IN EUROPA gestis ob successionem Hispanicam, Autore DE LA TORRE.
Tomus IV & V.
Hagæ, apud Viduam Adriani Moetjens, 1724, 8.
Alph. 2 pl. 3.

POsteaquam pro eo, ac par erat, alibi bis terque laudavimus illustre hoc Opus, ejusque *tertium Tomum* superiori anno 1724 M. Dec. p. 524 recensuimus, non est, quod multum nobis negotii facessamus recensione postremorum duorum Tomorum. Sufficit iterum dixisse, elegantissimum Autorem, omissis narrationibus alibi obviis, omissis p. 204. item monumentis historicis, quæ jam exhibet notissimum illud opus, *Lettres Historiques* inscriptum, ea duntaxat apponere, quæ sunt connexa cum monumentis authenticis iisque anecdotis, quæ hic bona fide exhibet. Totum igitur hoc opus plenum est cum publicarum, tum privatarum literarum, e quibus interiora istius belli cognoscere licet: ac non tam gloriose, quam vere, Autor in postrema scribit pagina, se materiam præbere, quæ relationibus suo tempore publicatis juncta sufficere possit scripturo plenissimam & accuratissimam belli illius proximi historiam. Ceterum *Tomus quartus* ea exponit, quæ gesta sunt A. 1702 & quatuor annis subsequentibus: *quintus* pergit ab A. 1707 usque ad annum 1715, ita tamen, ut, quæ de ultimis quatuor annis memorantur, ne quatuor quidem expleant paginas. Ne plane ἀσύμβολοι discedamus, scire volumus Lectores nostros, ex initio Tomi IV singularia cognosci de simulata Ducis Molesii, legati Hispanici, captivitate in aula Viennensi. Ibidem copiose exponitur, qua ratione Mareschallus *de Villeroi* captus fuerit Cremonæ. Ejusdem *p. 255 sqq.* falsi coarguuntur miracula, quæ singulari libro Hispanico prodita fuerunt, quasi a Deo patrata in favorem Caroli Archi-Ducis. *Tomo quinto*, tanquam inter ignes luna minores, eminet Monumentum nondum editum, quo p. 73 - - 103. Carolus III Rex Hispaniæ A. 1707 πολιτικωτάτως repræsentat Anglis & Batavis necessitatem belli summa opum vi in Hispania continuandi. Cumque de prælio juxta Almanzam in Hispania commisso falsissima fuerint in vulgus edita, non injucundum fuerit, hic p. 48 sqq. ostendere ac perlustrare narrationem undiquaque veram atque compertissimam.

ACTORUM ERUDITORUM,

Quæ Lipsiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. IX Sect. II.

DOMINICI AULISII, J. C. CLARISSIMI & in Neapolitano Gymnasio Juris Civilis Interpretis celeberrimi, Commentarii Juris Civilis ad diversos titulos Pandectarum.

Tomus I.

Neapoli, apud Nicolaum Nasum, Typographum, 1719, 4.
Alph. 2 pl. 17.

Tomus II.

Ibidem, apud eundem, 1720, 4.
Alph. 2 pl. 17.

PRæclaro in Præceptoris atque amici veteris manes officio functus est *Petrus Giannone*, JCtus Neapolitanus, dum Cl. *Aulisii*, qui anno hujus seculi septimo decimo vita decessit, eruditos labores ab interitu vindicare constituit, summaque diligentia egit, ut quicquid scriptorum, sive ad Juris civilis artem pertinentium, sive de ceteris meliorum literarum disciplinis elaboratorum, defunctus post se reliquisset, ad suas manus perveniret. Nactus vero est inter complura alia hos quoque Juris Civilis commentarios, quos in Gymnasio publice dictaverat Aulisius, eosque cumprimis dignos existimavit, qui in lucem emitterentur: hos exteris gratos atque utiles fore, hos patriæ singulari decori extituros, credidit. Vixdum

dum, quod ceperat consilii, communicaverat cum Cl. Viro, *Octavio Ignatio Vitaliano*, cum hic ipsum ad maturandam editionem hortatus, statim se labori satis iniquo obtulit, ut, dum *Giannonius* fori occupationibus distringeretur, ipse ex autographo Autoris, qua literarum ductibus, qua lituris, notulis, additionibus obscurissimo, Commentarios hos erueret integros. Iique ergo consilio *Giannonii*, opera atque studio *Vitaliani* editoris, in lucem exivere. *Tomus primus* complectitur *quatuor* commentationes *in titulos* Pandectarum, 1 *de acquirenda, vel amittenda possessione*, 2 *de verborum obligationibus*, 3 *de legatis & fideicommissis*, 4 *soluto matrimonio quemadmodum dos repetatur*. *Tomus secundus* exhibet materias, 1 *de pignoribus & hypothecis*, 2 *de bonis maternis & materni generis*, 3 *de officio ejus, cui mandata est jurisdictio*, 4 *de edendo*, 5 *de transactionibus*, 6 *de vulgari & pupillari substitutione*, 7 *de mora*, 8 *de donationibus*, 9 *de censibus*. Et fortassis in universum Digestorum opus recitationes *Aulisii* nostri haberi possent, modo ipse per singulas Gymnasii Neapolitani cathedras ascendisset ad Antecessoris primarii munus, quod ob eximiam doctrinam non multo post obtinuit, quam inter Antecessores primum esset receptus. Sunt enim singulis in eodem Gymnasio cathedris seu professionibus ex instituto veteri certa juris civilis capita, quæ prælegantur, assignata, eaque, quæ modo indicavimus, horum commentariorum argumenta ad supremam cathedram solum pertinent. Ipsa igitur fortuna *Aulisii* doctas ejus curas ceteris jurisprudentiæ civilis partibus invidit, fataque obstitere, quo minus vel hi Commentarii ab ipso Autore sub limam revocati multis locis auctiores forsitan exirent. Verum iidem, quales nunc extant, elegantes quoque & pleni bonæ frugis Autori suo inter meliores Juris Interpretes, præsertim apud Italos, locum haud postremum vindicant. Juvabit de methodo deque dotibus ipsorum breviter cognovisse. Hoc vero institutum elegit *Aulisius* ac fere ubique tenuit, ut per quæstiones ordine concinno propositas explicationem singularum partium cujusque argumenti, legumque eo pertinentium illustrationem sisteret, nec tamen brevibus ad quæstiones responsionibus perfungeretur, sed longius

gius ac sufficienter differeret, & disquisitionibus theoreticis statim subnecteret forenses & practicas. Exemplo sit ea, quam ad *tit. de acquirenda vel amittenda possessione* servavit, commentandi ratio. Postquam de connexione hujus tituli & sequentium cum libro & titulo proxime antecedente, ac de iis, quæ ad rubricam declarandam spectant, observavit, quærit primo *de nomine*, dein *de substantia possessionis*, porro *de possessione naturali & civili*; *utrum omnis, qui habet animum sibi possidendi, civiliter etiam possideat: utrum possessio facti sit, an juris*; *de possessione justa & injusta*; *an plures eandem rem in solidum possidere possint*; *si duo se possidere, quisque in solidum, dicant, quid a judice decernendum sit*. Sequuntur *de acquirenda possessione* quæstiones speciales: 1 *ad l. 3. pr. ej. t.* 2, *an ex donatione inter virum & uxorem possessio transferatur*; 3 *an municipia & collegia possideant*; 4 *utrum servus, qui in fuga est, domino possessionem sui intervertat, & eidem possessionem acquirat*; 5 *an per servum vel filium familias ex causa non peculiari possessio nobis acquiratur*: De *retinenda possessione* itidem speciatim agitur, ac dein *de amittenda*; porro de *commodis possessionis*, veluti *accessione, judicio summario, missione in possessionem, usucapione & præscriptione, fruitione, relevatione ab onere probandi, potiori possidentis conditione, tituli vel partis occultatione, remediis l. ult. C. unde vi, l. 14 C. de agric. & censit. lib. XI, can. redintegranda* | 3 *qu. 1 & cap. sæpe, de restitut. spoliator.* Succedunt disquisitiones *de cumulatione judicii possessorii cum petitorio*, ad *l. 12 §. f. ff. eod.* & *de actionibus diversimode concurrentibus*. Ad *l. 18 ej. t.* exponitur *jus constituti possessorii*, variis quæstionibus; occasione *l. 15 ff. de usurpat. & usucap.* docte illustratæ, *de fictionibus juris*, ac de tribus earum speciebus, *inductiva, privativa, translativa*, elegans nectitur dissertatio. Profecto quisquis vel fugiente oculo lustraverit hoc opus, dum præstantissimorum juris Autorum, *Augustini, Alciati, Fabrorum, Cujacii, Hotomanni* aliorumque nomina in singulis paginis emicantia, dum Glossatorum veterumque Commentatorum opiniones passim vapulantes animadvertit, ad bene sentiendum de hisce commentationibus facile inducitur. Magis vero *Aulisius* placebit le-

gentibus, qui lucem permultis legibus e veterum Autorum Græcorum & Latinorum locis ac literis humanioribus subinde allatam, qui lectionis vulgaris mutationes, tentatas ab aliis, sub examen sedulo revocatas, qui emendationes varias, novasque explicationes textuum haud raro factas, locorum pugnantium conciliationes, opinionum vulgarium confutationes penitius inspexerint.

VITRIARII INSTITUTIONUM JURIS PUblici, Novis Notis illustratarum, Tomus II.

Gothæ, sumptibus Jac. Mevii, (1718) 4.
Alph. 7.

CUm editum nuper Operis hujus Tomum III in Actis anni hujus 1726 p. 172 recensentes, recordaremur, nullam adhuc a nobis mentionem factam Tomi hujus secundi, a Viro Celeb. *Jo. Frid. Pfeffingero* anno, ut ex præmissa ad Celsiss. Principem, *FRIDERICUM LUDOVICUM*, Glocestriæ, Brunsu. & Luneb. Ducem, Epistola in qua Brunsuicensis Historiæ summa capita perstringit, patet, 1718 in lucem editi, (neque enim annus impressionis in titulo comparet,) eum non plane prætermittendum nobis esse existimavimus. Et hic quidem Tomus, Institutionum Vitriarii Libri I titulos 16-22 & Librum II integrum complexus, statum & conditionem tum pristinam tum modernam Ducum, Marchionum, Comitum provincialium, Burggraviorum, Comitum, Baronum, Civitatum Imperii, Nobilium immediatorum, ordinum Equestrium, Landsassiorum, Pfalburgerorum, rem item feudalem Imperii, fines, status exem-
p. 89-201. ptos, & circulos Germaniæ considerat. Habes itaque inter alia integram fere historiam diplomaticam Saxoniæ ab Ecberto ad A. 1252, tum & Thuringiæ a primis temporibus usque ad o-
201-240. bitum Henrici Rasponis; nec minus erudite de Ducibus Lotharin-
240-565. giæ, Alemanniæ, Franconiæ, Bavariæ & reliquis, insertis passim tabulis genealogicis adducta ubique diplomatum fide, agitur.
574-585. Ubi de Comitibus & Baronibus Autor agit, Pagorum veterum
637-654. Catalogum e chartis concinnatum exhibet. Inter Marchias considerat

ſiderat maxime Miſnenſem, memoratque controverſiam de ſuffragio Electori Saxoniæ A. 1708 in Comitiis ratione Marchiæ hujus debito & ab Imperatore eidem conceſſo. Nec minus curioſa ſunt, quæ non modo de inſignioribus quatuor Burggraviis, Norimbergenſi, Magdeburgico, Strombergenſi & Reineccenſi, a *Vitriario* tantum memoratis, verum & aliis minoris paulo autoritatis, ut Noſter cenſet, in quibus eminent fere Altenburgenſes, Leisnicenſes, & Miſnenſes, curate tradit. Inter Civitates Imperii Hamburgum imprimis moratur Autorem, cujus lites cum Regibus Daniæ & Comitibus Holſatiæ, productis documentis idoneis, illuſtrat: nec in Nobilium Imperii immediatorum ac Miniſterialium juribus excutiendis parcus eſt. Ceterum ut recenſione ſingularium obſervationum, quæ in hoc opere non paucæ exſtant, ſuperſedeamus, illud tantum monemus, huic Tomo acceſſiſſe indicem locupletiſſimum.

p. 679-700. 780-793. 842-902.

F. K. RATIO COMPLANANDI SUPERFICIes Curvas Corporum quorumlibet Geometricorum.

§. I.

UT Plani cujusvis magnitudo per Quadraturam ejus ſimpliciſſime exhibetur: ita ſuperficiei omnis Curvæ quantitas definitur Complanatione; qua nempe illius area convertitur in planum aliquod, & dimenſio deinceps ad quadraturam revocatur. Primus artem hanc attigit *Archimedes*, qui, ut vulgo notum, ſuperficiem Coni Recti & Sphæræ complanavit. Poſt hunc nemo hic quicquam protulit ſingulare, donec *Ren. Carteſius* Geometriam inſtaurare cœpit. Ex illo tempore varii complanarunt ſuperficies varias: quod ſigillatim in Ungulis Geometricis præſtitit *Gregorius a S. Vincentio*, itemque *Blaſ. Paſcalius* & *Phil. de la Hire* a); in Triangulis ſphæricis *Jac. Bernoulli* b) nec non *Lagni* c); in Conis obliquis Geometra quidam Gallus d) in Conoidicis & Sphæroidicis quibusdam portioni-

 bus

a) vid. Mem. de l'Acad. d. Scien. an. 1692 & 1707. b) in Actis hisce anni 1691 pag. 287. c) vid. Mem. de l'Acad. d. Scienc. an. 1714. d) in Hiſt. Acad. ſcient. anni 1698.

bus *Jac.* & *Jo. Bernoulli* e); in Conicis *Guido Grandi* f); in sphæricis *Vinc. Viviani* g), G. G. *Leibnitius* h) aliique; ne commemorem plura hujus generis, quæ passim in *Christ. Hugenii* operibus nuper recusis aliorumque forte scriptis exstant. His & similibus inventis accensenda præcipue est universalis illa ratio complanandi corpora recta per circularem rotationem curvarum genita; quam post alios exposuit & illustravit *Car. Reyneau* in Anal. Demonstr. Lib. 8 art. 614. Nihil autem prodiit hoc in genere, quod latius pateat: nec quisquam hactenus, quod sciam, generatim instituit superficies quascunque geometricas complanare. Forte tamen supervacaneum non erit doctrinam hanc ulterius provehere: id quod hoc loco tentare juvat.

§. II. Sit igitur *ABC* linea quæcunque, cujus diameter sive axis sit *AFD* & ex singulis illius punctis, velut *B*, *C* &c. ductæ intelligantur curvæ *BE*, *CG* &c. quarum plana *BEF*, *CGD*, &c. normalia sint ad planum curvæ *ABC*, secentque hoc ipsum in *FB* & *DC* &c. & quarum omnium naturæ una æquatione in universum exprimi possint. Rursus quantitates, quæ in hac æquatione respectu coordinatarum constantes habentur, seorsim datæ sint per *FB*, *DC* &c. tanquam curvarum *BE*, *CG* diametros; ita ut singularum, quæ ejusdem generis sunt, relationes ad diametros illas totidem æquationibus exhibeantur. Hoc pacto curvæ *BE*, *CG* &c. quæ differentiis quam minimis & continue crescunt, universæ erunt in superficie quadam, cujus diameter erit *AD* & vertex *A*. Quocirca curvæ omnes, quarum plana transeunt per *AD*, vocari hic poterunt Diametrales; & ex his *ABC* sigillatim appellabitur Diametralis Recta, contraque quævis alia Diametralis Obliqua. At curvæ *BE*, *CG* &c. dicentur transversæ; ex quibus una, si opus est, velut *CG*, pro basi potest haberi.

§. III.

---

e) in his Act. Erud. anni 1696 pag. 269 & 479 it. anni 1697 pag. 114. f) in Geometrica Demonstratione Vivianeorum Problematum edita Florent. A. 1699. g) in Curiosa Esercitazione Mathematica &c. Florent. divulgata A. 1692. h) in Act. Erud. anni 1692 pag. 275 & 370.

§. III. Ad complanandam hanc superficiem, intelligatur in ea transversæ EB alia quamproxima eb, quæ secet ipsas AD & ABC in f & b: junctaque fb, ex puncto quocunque H curvæ EB demittatur ad planum efb perpendicularis Hm, & ex m ad fb ducatur normalis ml, quæ occurrat curvæ eb in h, iterumque ex m erigatur ad bl perpendicularis mp, quæ secet curvam eb in p & demittatur ad bp perpendiculum mn. Ducta insuper ex H ad FB normali HL, quæ erit in plano Hbl; transeat aliud planum huic parallelum per p, quod secet curvam EB in P, rectasque FB & fb in Q & q. Adhæc demittatur ex F ad fb perpendicularis Fs, & jungantur rectæ Hb, Hm, pq, PQ, Ll & Pp.

§. IV. Denotet hic x quamlibet abscissam cujusvis curvæ transversæ, velut ipsam LB, & z quamlibet FL, at y ordinatam respondentem HL; item t quamvis abscissam curvæ ABC, velut AF, & u ordinatam respondentem FB, prætereaque a rationem ipsius Ff ad Fs; ut sit (1) $a\,x\,Ff = Fs$. Iam ipsæ Hb, bm, mp & bp infinitæ parvæ sunt; quippe quæ rationem finitam obtinent tam inter se, quam ad lineolam ex hypothesi quam minimam Hm: si quidem triangulorum Hbm, & bmp anguli omnes finita continentur magnitudine. Sunt vero Ff & Fs itidem quam minimæ; propterea quod intercipiuntur planis quam proximis EFB & efb, atque cum his angulos finitos efficiunt. Proinde est $bm = dy$, $mp = dx$, $Ff = dt$; adeoque (2) $bp = (dx^2 + dy^2)^{\frac{1}{2}}$ & $Fs = adt$ per num. 1. (3) Est & $x = u - z$, atque idcirco $dx = -dz$; si quidem u constans est respectu variantium x & z. (4) Cumque similia sint triangula quam minima bmp & nmp, per 8 VI Element. erit $pb : bm = mp : mn$, id est, $(dx^2 + dy^2)^{\frac{1}{2}} : dy = dx : mn$, & propterea $mn = dxdy : (dx^2 + dy^2)^{\frac{1}{2}}$.

§. V. Tenendum porro, quod ex Geometria facile demonstratur; si duo Plana BEF & ACD se invicem secent normaliter in FB, & in altero illorum, ut BEF, ad lineam sectionis FB ducatur perpendicularis quædam HL; hanc itidem esse normalem ad alterum planum ACD.

§. VI. Quin & hoc sumendum, quod non minus ex Geometricis constat; si duo plana sibi invicem parallela, velut BEF

& CGD,

& *CGD*, secent angulum quendam duorum planorum *ACD* & *CDG*; æquales esse angulos sectionum *BFE* & *CDG*, parallela vero horum crura in eodem plano sita, ut *FB* & *DC*, vel *FE* & *DG*.

§. VII. Quapropter *Ll* normalis erit non solum ad *FB* & *fb*; sed etiam ad *LH*, & *lb*, per §. V: unde cum *Hm* & *Fι* perpendiculares sint ad *lb* & *fb*, sintque parallelæ *Hl* & *bl*, item *FB* & *fb*, per §. VI; erit $Hm = Ll = F\iota = adt$, ut constat per §. IV num. 2. Ita vero est $Hn = (Hm^2 + mn^2)^{\frac{1}{2}} = (a^2dt^2\ (dx^2 + dy^2) + dx^2dy)^{\frac{1}{2}} : (dx^2 + dy^2)^{\frac{1}{2}}$ per §. IV num. 4; ideoque (1) $Hn \times bp = (a^2dt^2\ (dx^2 + dy^2) + dx^2dy^2)$ per §. IV num 2. Et quoniam *Hm* ad planum *feb*, nec non *mn* ad *bp* normalis est, per hypotheses §. III; erit etiam *Hn* perpendicularis ad *bp*: quod ex elementis Geometriæ colligitur. Atqui ob plana parallela *BEF* & *bef*, itemque *LHbl* & *QPpq*, parallelæ sunt tum *HP* & *bp*, tum *Hb* & *Pp* secundum §. VI. Ergo area parallelogrammi quam minimi *HPpb*, quod hic spectari petest instar plani, erit (2) $Hn \times bp = (a^2dt^2\ (dx^2 + dy^2) + dx^2dy^2)^{\frac{1}{2}}$ per §. VII *n*. 1.

§. IIX. Est autem summa omnium hujusmodi parallelogrammorum sive $\int.\ (a^2dt^2\ (dx^2 + dy^2) + dx^2dy^2)^{\frac{1}{2}}$ area annuli cujusdam *HBbb* usque ad certum terminum *HL*, & summa rursus talium annulorum sive (1) $\int.\int.(a^2dt^2\ (dx^2 + dy^2) + dx^2dy^2)^{\frac{1}{2}}$ est ipsa area superficiei usque ad perimetrum certi cujusdam plani diametralis *AFG*: ubi substituendo $-dz$ pro dx, per §. IV num. 3, prodit adhuc (2) $\int.\int.(a^2dt^2\ (dz^2 + dy^2) + dz^2dz^2)^{\frac{1}{2}}$.

§. IX. Data igitur æquatione ad curvam diametralem rectam, nec non alia ad transversam quamlibet, prætereaque relatione ipsius *AF* vel *FB* ad quantitates omnes, quæ in æquatione ad quamlibet curvam transversam constantes sunt respectu ipsarum *HL* & *LB*: conjungantur (1) omnes hæ æquationes in unam aliquam, quæ erit æquatio ad superficiem, nec nisi ipsas *t* & *x* vel *z* itemque *y* cum constantibus comprehendet. (2) Deinde hæc differentietur; ponendo ipsam *t* constantem, quippe quæ eadem manet, dum *x* vel *z* & *y* in singulis curvis transversis variant. (3) Demissis porro ex *E* & *G* ad *FB* & *DC* perpendiculis *EK* & *GR*: erunt triangula *FEK* & *DGR* ad *K* & *R* rectangula, ad


ad F & D vero æquiangula per §. VI, atque idcirco ſimilia per 32. I Elem. eritque adeo $GR : DR = EK : KF$, id eſt, $GR : DR = y : z$, &, conſtantem r pro $GR : DR$ ponendo, fiet $rz = y$, ſive $ru - rx = y$. Quare pro y ſubrogetur alteruter ejus valor in æquatione num. 1 inventa, & naſcetur inde alia, quæ nonniſi x vel z & t includet. (4) Hæc rurſus differentietur: ubi tam x quam t ponenda eſt varians; quandoquidem hæ referuntur ad diverſas curvas transverſas, in quibus adeo diverſæ ſunt. Denique (5) ſubſtituantur in alterutra formula §. IIX valores ipſarum y & dy ex æquationibus num. 1 & 2 excerpti, iterumque in nova illa, quæ hinc prodit, ſubrogentur pro x & dx vel z & dz valores harum ex æquationibus num. 3 & 4 per t ac dt expreſſi. Quo facto dabitur formula §. IIX per t & dt; ideoque complanatio ſuperficiei quadraturis & calculo integrali ſubjicietur.

§. X. Ut omnis res majori in luce ponatur, & idcirco illuſtretur exemplo uno atque altero: ſit ABC recta, in qua $ct = eu$; & ſit quælibet BHE ellipſis, cujus latus rectum m, transverſum ^2u; ut adeo ſit $y^2 = m(u-z) - m(u-z)^2 : u$. Sit inſuper $nt = m$; ubi n ponitur conſtans, æque ac antea c & e. Conjunctis his æquationibus invenitur $y^2 = n(c^2t^2 - e^2z^2) : {}^2ce$ & (1) radices extrahendo $y = n^{\frac{1}{2}}(c^2t^2 - e^2z^2)^{\frac{1}{2}} : ({}^2ce)^{\frac{1}{2}}$: unde (2) differentiando ducitur $dy = -n^{\frac{1}{2}}e^2zdz : ({}^2(c^2t^2 - e^2z^2)cc)^{\frac{1}{2}}$. At (3) ſubſtituendo rz pro y in æquatione num. 1 reperitur $z^2 = nc^2t^2 : e({}^2cr^2 + ne)$ & differentiando (4) producitur $dz^2 = (nc^2 : ({}^2cr^2 + ne)e)\,dt^2$. Denique (5) per §. IIX formulam 2 invenitur, ſumendo dt conſtantem & deinceps integrando, $({}^4ar^2nc^4 + {}^2ar^2n^2ce^3 + an^3c^4 + n^3c^2e^2)^{\frac{1}{2}}t^2 : {}^4e^{\frac{1}{2}}({}^2cr^2 + en)^{\frac{1}{2}}cr$ ceu area ſuperficiei ACG comprehenſæ a curva diametrali recta ABC, obliqua AEG & baſi GC.

§. XI. Accedat varietatis cauſa adhuc exemplum aliud: ſitque jam ABC ellipſis, cujus latus rectum e transverſum c, reliqua vero, ut ante, maneant; adeo ut ſit $cu^2 = cet - et^2$, item $y^2 = (mu^2 - mz^2) : {}^2u$ & $nt = m$. Conjunctis (1) iterum his æquationibus, prodit $y^2 = nt^{\frac{1}{2}}(cet - et^2 - cz^2) : (ce)^{\frac{1}{2}}(c-t)^{\frac{1}{2}}$; & hinc (2) differentiando elicitur $dy^2 = nt^{\frac{1}{2}}c^2z^2\,dz^2 : (ce)^{\frac{1}{2}}(c-t)^{\frac{1}{2}}(cet - et^2 - cz^2)$.

$-cz^2$). Rurſus ſubſtituendo rz pro y in æquat. num. 1 exſurgit (3) ($z^2 = net\frac{1}{2}(c-t) : (r^2(ce)^{\frac{1}{2}}(c-t)^{\frac{1}{2}} - nct^{\frac{1}{2}})$; inde autem (4) differentiando ducitur $zdz = (net^{\frac{1}{2}}(r^2(ce)^{\frac{1}{2}}(c-t)^{\frac{1}{2}}({}^3c-{}^4t) - {}^2(c-{}^2t)\, nct^{\frac{1}{2}})\, dt : {}^4(r^2(ce)^{\frac{1}{2}}(c-t)^{\frac{1}{2}} - nct^{\frac{1}{2}})^2$ item $dz^2 = ne(r^2(ce)^{\frac{1}{2}}(c-t)^{\frac{1}{2}}({}^3c-{}^4t) - {}^2(c-{}^2t)\, nct^{\frac{1}{2}})^2 dt^2 : {}^{16}(r^2(ce)^{\frac{1}{2}}(c-t)^{\frac{1}{2}} - nct^{\frac{1}{2}})^3 t^{\frac{1}{2}}(c-t)$. Denique ſubrogatis in æquat. num. 2 valoribus ipſarum z^2 & dz^2 modo inventis; reperitur (5) $dy^2 = c^2 n^3 ct^{\frac{1}{2}} (r^2(ce)^{\frac{1}{2}}(c-t)^{\frac{1}{2}}({}^3c-{}^4t) - {}^2(c-{}^2t) nct^{\frac{1}{2}})^2 dt^2 : {}^{16}(r^2)(ce)^{\frac{1}{2}}(c-t)^{\frac{1}{2}} - nct^{\frac{1}{2}})^3 (ce)^{\frac{1}{2}}(c-t)^{\frac{1}{2}}(r^2(ce)^{\frac{1}{2}}(c-e)(c-t)^{\frac{1}{2}} + (e+t-{}^2c)nct^{\frac{1}{2}})$. Sic ergo per t & dt datur tam dy^2 quam dz^2, adeoque $\int.\int.(n^2dt^2(dz^2+dy^2)+dz^2dy^2)^{\frac{1}{2}}$, id eſt, datæ ſuperficiei area quæſita.

Sed plura perſequi vetat brevitas, quam obſervare hic res poſtulat. Nec vero attinet vel formulas paragraphi X & XI transformando aut alia ratione contrahere, vel conſectaria ex illis ducere: quandoquidem non hic animus eſt certarum ſuperficierum exhibere complanationes, ſed generalem complanandi rationem oſtendere & exemplo quodam declarare; quam in rem hæc pro inſtituto ſufficiunt.



DE LUMINIS REFLEXIONE, CUJUS EXponitur explicatio: Diſſertatio adverſus Bernoullium,

at-

atque Nevvtonum; Autore JOHANNE RIZZETTO.

CUnctis patet, luminis ex uno in aliud diversæ resistentiæ medium incidentis aliquam partem transmitti (nullo impedimento officiente) irrefractam, aliam insinuari (superato impedimento) refractam, et aliam arceri (superante impedimento) reflexam. Colligimus itaque, luminis propagationem nullo modo in primo casu alterari, & sicut in secundo observavimus, luminis refractioni legem præesse ad corpora elaterii expertia pertinentem; ita in tertio non dubitamus, actionem reflexi luminis temperari aliqua ex illis legibus, quibus natura moderatur motibus corporum elasticorum. Ut eam igitur agnoscamus, quæ in reflexione luminis locum habet, corpus *A* velocitate ac discretione *A e* occurrat corpori immobili *DR*, a quo reflexum discedat velocitate ac directione *EL*: Velocitate *Ae* in geminas resoluta, scilicet in *AR* parallelam, & *AD* perpendicularem superficiei reflectenti *DQ*, velocitatis *AR* nihil in reflexione amittitur, nam illi nullum impedimentum occurrit, & proinde velocitate *EL* in geminas pariter resoluta, scilicet in parallelam *SL*, & perpendicularem *LQ*, velocitas parallela *SL*, qua corpus ab occursu discedit, est semper æqualis velocitati parallelæ *AR*, qua corpus ad occursum accedit. Si vero tremitus vel contusio contingit, sicut in collisione corporum, quæ imperfecte resilientia voco; velocitas contraria *QL* corporis discedentis minor est velocitate contraria *AD* corporis appropinquantis: Nam velocitati *AD* impedimento occurrente, ejus partem, quæ in oscillationem & contusionem impenditur, in reflexione deficere necesse est; At si nullus editur sonus, & nulla intervenit contusio, sicut in collisione corporum, quæ perfecte resilientia appello, æquales inter se sunt velocitates *LQ*, *AD*, tota enim velocitas incidentiæ in illam reflexionis erogatur. Hinc igitur legem, quæ pertinet ad corpora imperfecte resilientia, distinguere licet ab illa quæ pertinet ad perfecte resilientia: Etenim in primo casu angulus reflexionis *LEQ* est minor angulo incidentiæ *AED*, in secundo ipsi anguli inter se æquantur. Fig. 1.

His positis cum lumen incidens per *AE* ita reflectatur per *EL*, ut inter se æquales fiant anguli *LEQ*, *AED*, manifestum est reflexionem luminis temperari lege ad corpora perfecte resilientia pertinente.

Hinc patet error Bernoullii, qui in Act. Lipſ. Anni 1701 statuit, angulos incidentiæ & reflexionis in casu luminis inter se æquari, quia movetur in uno eodemque medio radius incidens & reflexus. Ea porro, quæ pro explicanda refractione excogitavit, ad luminis reflexionem traduxit; At quoniam illa (ut supra ostendimus) vitio Paralogismi laborant, ait mirum si pariter in explicanda reflexione deficiunt. Hoc utique manifestatur ex eo, quod unum & idem est medium, in quo corpus *A* incidit per *AE*, & reflectitur per *EL*; At si tamen velocitatem corporis incidentis inter se partiuntur contusio & oscillatio, simul atque reflexio, angulus *LEQ* minor est angulo *AED*, deficit enim in reflexione velocitas illa, quæ impenditur in contusione & oscillatione. His itaque locum non invenientibus æquantur inter se anguli incidentiæ & reflexionis, non modo quia medium hinc inde est unum & idem, sed quia tota incidentiæ velocitate in illam reflexionis erogata, effectus causæ respondet.

Cum profecto videamus lumen incidens per *AE* ita reflecti per *EL*, ut inter se æquentur anguli *LEQ*, *AED*, comparatis velocitatibus, quibus corpus *A* ante & post occursum movetur, cum facilitatibus quibus lumen in incidentia & reflexione propagatur, inde colligimus, lumen reflexum pari facilitate ac incidens propagari; non modo quia medium semper idem occurrit; sed quia nulla amittitur propagationis facilitas nec in tremitu, nec in contusione, & ideo concludimus, materiam, quæ lumen affert, ac toto spatio diffunditur inter stellas & terram nostram interjacente, perfecte resilientem esse: Quod quidem principium fœcundissimum est, & ad majora viam sternit.

His agnitis ea, quæ principiis R. P. Maignan insistendo docuimus pro explicanda natura luminis refracti, facile ad reflexum traducuntur. Ut intelligatur, quomodo lumine corpori speculari occurente anguli incidentiæ & reflexionis inter se æquantur: sit radii cujuscunque sectio per axem *ABCD*, cujus extrema linea *BC*; manifestum est puncta extrema *BC* in medio

Fig. 2.

ubi-

ubique æqualiter resistente propagari per rectas *AB*, *DC* perpendiculares ipsi lineæ *BC*. Dum autem hæc incidit in superficiem specularem *CG*, hanc primum offendit punctum *C*, dum adhuc punctum *B* nullo impedimento occurrente propagatur. Cum vero tota linea *CB* perfecte resiliens sit, necesse est, ut punctum *C* ea redeat facilitate, qua ad occursum ferebatur, ut scilicet punctum *C* discedat a superficie *C G* ea facilitate, qua punctum *B* ad eandem superficiem accedit: sequitur itaque, quod dum punctum medium *Z* propagatur per rectam *Zq* parallelam superficiei speculari *CG*, neque discedendo, neque accedendo, puncta *B*, *C* propagari debeant per arcus *BpG*, *Cpd*. Hos esse Cycloidales Mathematici intelligunt; sed hoc parum refert, ad rem nostram facit eos arcus esse inter se omnino similes & æquales. Hinc linea *CB* mutata positione *CB* in alteram *dG* iterum incidit in superficiem specularem *CG*, ac eam offendit alterum punctum *B* translatum in *G*, dum punctum *C* translatum in *d* propagationem nullo impedimento officiente continuat. At facultate perfecte resiliendi favente abit etiam punctum *G* eadem facilitate, qua ad occursum ferebatur, qua scilicet fertur punctum *d*; itaque manifeste patet iterum puncta extrema *G*, *d* in medio ubique æqualiter resistente propagari per alias rectas *GW*, *db* perpendiculares ipsi lineæ *dG*. Cum igitur inter se æquentur rectæ *dG*, *BC*, & inter se æquales sint arcus *BpG*, *Cpd*, facile intelligitur inter se æquari angulos *dGC*, *BCG*; & cum recti sint anguli *dGW*, *BCD*, sequitur inter se æquales esse angulos quoque reflexionis & incidentiæ *WGV*, *DCQ*. Quod erat explicandum.

Dissimulanda non sunt, quæ Newtonus in Prop. 8 part. 3 Lib. 2 Optices persuadere contendit. Is vult, reflexionis causam tribuendam non esse Impactioni luminis in partes corporum solidas; sed has agere in radios luminis, aliquo interjecto intervallo. Ne quis igitur Newtoniana sententia captus aliquam, sibi fingat contra nostra dogmata difficultatem, breviter ostendam, ea, quæ Autor docet, pro suo canone fulciendo esse minus idonea.

Is primo considerat, reflexionem fieri æque fortem in

transmiſſu luminis ex aere in vitrum, ac in transmiſſu ex vitro in aerem, debiliorem in transmiſſu ex vitro in aquam, & denique nullam, ubi duo vitra ſe contingunt. At ex hac prima conſideratione non video, quæ alia conſequentia elici poſſit, præterquam quod in tranſitu radii ex uno in aliud diverſæ reſiſtentiæ medium pars luminis, quæ reflectitur, ſit conſtans, minor, vel nulla, prout conſtantem, minorem, vel nullam radius refractionem ſubit.

Autor ſecundo ſubjungit, quod ſi lumen in tranſitu e vitro in aerem obliquius incidat, quam in angulo graduum 40, illud in totum reflectitur; ego vero reſpondeo, quod ex noſtra quoque refracti luminis explicatione colligitur, hujusmodi reflexionem tribuendam non eſſe impactioni luminis in partes corporum ſolidas; ſed ex eodem etiam elicitur, quod de cunctis reflexionibus generaliter non licet idem concludere.

Addit tertio, quod ſi colores, quos exhibent radii per Priſma in cubiculum obſcurum trajecti, incidant deinceps ſuo quisque ordine in aliud Priſma ita collocatum, ut omnes æqualiter inclinentur, talis eorum poterit eſſe inclinatio, ut cœrulei inde reflectantur univerſi, & tamen rubei eadem obliquitate incidentes ſatis copioſe transmittantur. Hujus Phænomeni explicatio ex Theoria colorum dependet, quam lubens in aliud tempus rejicio: Interim Autori concedo, quod nec iſta reflexio tribuenda ſit impactioni luminis in partes corporum ſolidas, at nego, rurſus hoc generaliter eſſe de cunctis reflexionibus concludendum.

Obſervat quarto, quod, cum ſummitas Bullæ aquæ continua ſubſidentia & exhalatione valde tenuis facta ſit, inde reflectitur lumen ita perexiguum, ut ea valde nigra videatur; quanquam eodem tempore in partibus circa maculam nigram adjacentibus, ubi craſſior eſt aqua, reflexio ita fortis exhibetur, ut aqua valde alba appareat. At ex hac obſervatione eliciendam eſſe non dubito conſequentiam omnino doctrinæ Newtonianæ contrariam; Cum enim fortior reflexio fiat a partibus Bullæ craſſioribus, quam a tenuioribus; inde affirmari poteſt, quod lumen reflectitur impingendo ſe in partes corporum ſolidas non modo exteriores, ſed etiam interiores.

Quinto

Quinto Bullam aquæ rurſus in medium affert, quæ in una ſui parte radios reflectit unius coloris, & in alia ubi illa craſſior eſt vel tenuior, radios coloris reflectit alterius. Hujus quoque Phænomeni explicatio, quæ pendet ex colorum theoria, in aliud tempus rejicienda eſt, & interim indicare ſufficiat, quod ſi forte coloratum lumen reflectatur in ſuperficie Bullæ interiori, reflexio cum duplici refractione conjungitur. Quamobrem conſequentias pro reflexione tantum non datur elicere ex Phænomeno, in quo partem habet etiam refractio.

Denique ad intentum ſuum præcipue facere arbitratur, quod quum Vitrum prius arena, ac deinde ſtanno uſto politur, exiſtimandum non eſt effici poſſe atterendo & perfricando, ut minimæ vitri particulæ accurate læves & perpolitæ fiant univerſæ, adeo ut omnes unam plane æquabilem ſuperficiem conſtituant. Nam putat, quod, quanto minores ſunt pulverum illorum particulæ, tanto minores eſſe debeant raſuræ, quibus illi vitrum perpetuo interrodunt & atterunt, usquedum expolitum ſit. Verum quantumvis exiguæ illæ particulæ ſint, nequeant tamen vitri faciem ulla alia ratione complanare & coæquare, quam illud deterendo & deradendo, atque ejus partes prominentes defricando, adeo ut vitrum perpolire nil aliud ſit, niſi aſperitatem ejus eatenus abradendo minuere & lævigare, quoad raſuræ in ipſius ſuperficie minutiores fiant, quam ut oculis cerni queant. Quare colligit, quod ſi lumen reflecteretur impingendo ſe in ſolidas partes vitri, quaquaverſum diſpergi debeant a vitro accuratiſſime perpolito, æque ac ab aſperrimo. Inde quæſtionem proponit, quomodo fiat, ut vitrum pulveribus abradentibus expolitum luminis radios tam ad certam normam reflectat, quam revera facit. Ac demum concludit, quæſtionem aliter expediri non poſſe, quam ſi dicatur, radii cujusvis reflexionem effici non ab uno corporis reflectentis puncto, ſed vi aliqua per totam illius ſuperficiem æquabiliter diffuſa, qua nimirum ſpeculare corpus ita agat in radium, ut hunc tamen non contingat immediate.

Cum hæc Autor in medium ferat, parum videtur expertus in iis, quæ inter polienda vitra intercedunt; quare, ſummi Viri auctoritate ſepoſita, de facti ſpecie paucis agendum eſt.

Vi-

Vitrum quod ad usus opticos præparatur, arena teritur primo crassiori, ut propositam figuram induat, deinde minutiori, ut ad polituram disponatur, & tandem abstergitur stanno usto, ut eam polituram, nempe splendorem & perspicuitatem indipiscat. Superficies vitri fit tota prominentibus partibus aspera, majusculis prima attritione, & minusculis secunda. Partes hujusmodi prominentes oculo microscopa lente munito species exhibent rupium, quæ fiunt minores semper atque minores, similitudine figuræ servata, donec in vitrum agit arena, hujus enim actio terere est. Abstersione incipiente, a stanno usto rupium cuspides deraduntur, tunc enim aliquali splendore apparente cavitates rupibus obtruncatis atque demissis interjectæ sub specie punctorum opacorum facile distinguuntur. Tandem abstersione diutius agente, rupes (ut ita dicam) a fundamentis tolluntur, & punctis opacis evanescentibus æqualis splendor totam vitri superficiem illustrat. Falsum est itaque, *quod Vitrum perpolire nil aliud sit nisi asperitatem eatenus abradendo minuere & lævigare, quoad rasuræ in ipsius superficie minutiores fiant, quam ut oculis cerni queant:* Dum enim stannum ustum agit in vitrum, rupes minutiores non fiunt, similitudine figuræ servata, sed obtruncantur, demittuntur, & explanantur, cum actio stanni usti non sit terere, ut illa arenæ, sed abstergere. Itaque falsum etiam, *quod lumen impingendo se in solidas partes vitri quaquaversum dispergi debeat a vitro accuratissime perpolito æque ac ab asperrimo.* Nam reflexionem ab asperrimo irregulariter faciendam esse neminem latet, licet autem in perpolito Bases universæ, quibus antea rupes insistebant, non unam constituant superficiem plane æquabilem, & vitri figuræ conformem, attamen facile intelligitur, eas singulas Bases ita parum a vitri figura aberrare posse, ut nulla irregularis reflexio, quæ percipiatur a sensu, sit expectanda.

Ut hoc dogma experientia confirmarem, superficiem Lentis convexæ ita solaribus radiis exposui, ut lumen reflexum intra obscurum cubiculum in albam chartam incideret. Donec vitrum sola attritione donabatur, quamvis essent minutissimæ asperitates, in charta tamen vix ullam luminis regulariter reflexi

flexi vestigium apparebat. Cum cœpisset illud abstergi, & aliqualis splendor in ejus superficiem induci, punctis opacis interjacentibus, in charta videbatur lumen regulariter reflexum, maculis subobscurris interjectis. Cum denique puncta opaca in vitro evanescerent, obscuræ maculæ in reflexo lumine abibant, ita ut omnia, quæ in vitro aderant, in lumine reflexo, tanquam in vitri imagine, distinguerentur. Et hæc omnia etiam clarius manifestabantur, si loco lentis vitreæ convexæ speculum metallicum concavum in experimento substituebatur. Cum igitur Newtonus doceat, *radii cujusvis reflexionem effici, non ab uno corporis reflectentis puncto, sed vi aliqua per totam ejus superficiem æquabiliter diffusa, qua nimirum ita corpus agit in radium, ut hunc tamen non contingat immediate*, præcipuum argumentum deficit, cui dogma Newtonianum innititur. Nam si vitrum expolitum radios luminis reflectat tam ad certam normam quam re vera facit, hoc utique faciendum esse innotescit, quamvis lumen reflectatur impingendo se in partes corporum solidas; & per consequens nostrum dogma, elisis difficultatibus, confirmatur. In pilis vitreis imperfecte resilientibus Newtonus invenit (in Princ. Math.) velocitates relativas reditus & congressus in ratione constante (ut 15:16) sibi invicem respondere. Si igitur corpus *A* velocitate ac directione *AE* corpori immobili *DQ* occurrens ita reflectatur ad *L*, ut sit angulus reflexionis *LEQ*; quamvis mutetur velocitas, si tamen manet directio *AE*, qua corpus occurrit, nunquam mutatur directio *EF*, qua corpus reflectitur. Si vero mutatur angulus incidentiæ *AED*, mutatur quoque angulus reflexionis *LEQ*. At ex centro *E* semidiametro *EA* descripto semicirculo *GAP*, & producta *EL* in *T*, si ducatur recta *TV* parallela ad *LQ*, erit sinus anguli incidentiæ *AD*, & sinus anguli reflexionis *TV*. Cum igitur velocitas reditus velocitati congressus in ratione constante (ut $n:m$) respondeat, semper erit $n : m :: LQ : AD$. Cum autem in triangulis similibus *TEV*, *LEQ* fit $EV : VT :: EQ (DE) : LQ = \frac{VT.DE}{EV}$ erit quoque $n : m :: \frac{VT.DE}{EV} : AD$, & per consequens $n : m :: VT.DE : AD.EV$; constans nimirum ratio, quæ componitur ex sinibus angulorum reflexionis & incidentiæ directe, & ex sinibus complementorum inversæ. Fig. 1.

H Hæc

Hæc porro Lex ad corpora quoque perfecte resilientia traducitur, cum enim sit in hoc casu $n=m$, erit quoque *VT. DE* $=$*AD. EV*, vel *VT*:*EV*:: *AD*:*DE*, similia nempe triangula *TEV*, *AED*, & per consequens anguli reflexionis *TEV*, & incidentiæ *AED* inter se æquales. Cum itaque lumen ita reflectatur a corpore speculari *DQ*, ut anguli reflexionis *TEV* & incidentiæ *AED* inter se æquentur, licet illud facilitate finita vel infinita propagetur, ac in aere vel in aqua vel in quolibet alio medio propagatio fiat, adeo ut mutata resistentia medii, mutetur quoque propagationis facilitas, idem semper effectus expectandus est, nimirum ipsorum angulorum æqualitas.

Cum ex Newtonianis experimentis eliciatur, lumen refractum distrahi, & adventitiis coloribus infici, missa diversa colorum refrangibilitate, quam falsam esse alio loco indicavimus, & alio iterum loco manifestissime demonstrabimus, eodem quoque loco ostendemus, quod ea, quæ naturam refractionis & reflexionis explicant, pro explicandis quoque distracti luminis proprietatibus satis ad intentum faciunt.

Fig. 1.





Fig. 2.



DE ANTHROPOGONIA DISSERTATIO Anatomico-Physica, in qua & de viviparorum genesi; Pars prima, quæ refellit ova vivipara; & Pars altera, quæ propugnat novum specimen per uterinæ substantiæ elongationem atque ordinatam texturam ex seminibus plasmantibus. Autore JO. HYACINTHO VOGLI, Philos. & Medico Bononiensi.

Bononiæ, typis Rossi & Sociorum, ad vexillum Rosæ, 1718, 4. Alph. 5.

PErdifficilis sine dubio atque a summis Philosophis ac Medicis diu multumque agitata quæstio est de generatione animalium. Et rejecta quidem veterum opinione, qui ex mixtura seminis virilis ac fœminei, tanquam e materia propria, coalescere corpus animale tradiderunt, plerique hodie ita statuunt, in fœminarum etiam vivipararum testibus genuina reperiri ova, quæ futurorum animalium primordia & minutissimas figuras comprehendant: alii in semine masculino primordia illa, atque adeo ipsa viva animalcula, numero infinita, caudisque longiusculis instructa, & mirificis agitata modis, ope microscopiorum, videre sibi videntur: nec desunt docti & intelligentes Viri, qui, conjuncta utraque doctrina, & animalcula in semine virorum, & in fœminis vera ovula agnoscunt, ita ut animalculum insinuari in ovulum, tanquam in accommodatum nidum, necesse sit, quo fœtus fiat. Jam illas ipsas animalium, quin & plantarum, primas, simplicissimas, atque infinite parvas substantias, toti universo coævas & mox initio a Deo creatas, plerique contendunt; quo ipso opere magna liberant naturam rerum & Philosophis perobscura inquisitione, cum nulla unquam vera fiat generatio, sed quæ generatio videtur, nihil aliud sit quam evolutio, augmentatio, & fotus. Non placent hæc Autori nostro & docto ejus *præmonstratori* (ut eum ipse passim vocat) *Petro Angelo Papi*: quapropter in tota Parte priori operis, quod nunc sub manibus habemus, id agit, ut sententiam de ovis viviparorum coarguat. Quod

cum jam antea ab aliis magno conatu factum sit, hanc controversiam nunc præterimus. Animalcula in semine virili paucissimis & tantum obiter attingit, autoresque eorum *nimis oculatos* credit, *quod viderint ea, quæ non tam facile conspici sic queant:* P.II.p.250. observationes, quæ hac de re afferuntur, vel plane *apocryphas & per præconceptam agendorum ideam adultas*, vel certe tales existimat, quæ ad sententiam suam *de plastica imagine generantis in semine* facile accommodari possint. Adducit etiam solertissimum *Listerum*, qui animalcula in semine virili, perinde ut in aliis humoribus corporis nostri, admittit quidem, sed ea non ad aliud opus tributa judicat, quam ad stimulum atque irritationem sive titillationem actus venerei. Postremo ita disserit: ***Si nobis inesset horum animalcorum existentiæ probabilitas, ideo inesset, quod crederemus, ibidem in semine ea vivere, tanquam sub apposito suo dio, non autem alia ratione secus: sed melius id nobis sapit, quod obviam venit perpendendo, partes summe volatiles ac spiritales massam sanguinis instruere, atque crassioribus reliquis partibus intermisceri: unde cur non putabimus, posse dari inter partes easdem sanguinis sic constituti jugem motum fermentationis, quando motus iste perennis in omnibus compositis, non tamen sic volatilibus, abs ratione & experimento continuo confirmatur? si vero motus idem perpetuo inibi in semine aderit, uti profecto credendum, una poterunt particulæ se moventes ad formam animalculorum prædictorum facile redigi.*** Hæc Clariss. Autor noster, cujus nunc ipsam hypothesin primariam per compendium, & maximam partem propriis ejus verbis, exhibebimus. Est autem hujusmodi. Effusum in uteri apti concamerationem semen utriusque parentis miscetur, turget ac fermentat, ab interiorique ipsius uteri substantia & poris vasorum excipitur, imbibitumque retinetur per multos dies, adeo ut ex Harvei repetita observatione in cervarum & damarum utero post coitum nullo modo observetur, cum interim insignis post coitum prolificum uteri alteratio, tumor, rubedo, atque infinite magna mutatio, præsentiam ejus ac virtutem satis luculenter demonstrent. Ipsa quippe uteri substantia perfusione seminis, quasi si esset vellicata, perhorrescit, fibras contrahit, ac stricte amplectitur semen, qui horror vibrat ac tremulat per con-

p. 18. 23. 48. 82. 89. 123. 156. 199. & alibi.

tinuas

tinuas corporis partes sensitivas usque ad cerebrum, a quo copiam majorem fluidi nervei ad uterum prolectat: hinc per seminis substantiam mollem & spirituosam ultimæ contracti uteri fibrarum & vasorum desinentiæ mollescunt, indeque majori nisu explicantur, ac, interiori impetu adaucto ab arteriis pulsantibus ac spiritibus illuc a cerebro appulsis, magis magisque ipsæ fibræ & vasa uterina extenduntur, elongantur, varieque contorquentur, atque hac ratione & involucra fætus, & deinde fœtum ipsum, qui nihil aliud est nisi contextus unicus fibrarum ac vasorum rite dispositorum, formant; idque juxta directionem & impressos characteres seminis: quippe quod, ab omnibus corporis generantis partibus deciduum, exquisitam retinet imaginem omnium earum, a quibus decidit, partium, & consequenter perfectum totius animalis simulacrum: quo fit, ut non solum vasa & fibras uteri vellicet, emolliat, & sanguinem in motum cieat, sed & uterinam substantiam ita dirigat, ut ad omnes, quas illud præ se fert, partes texendas eadem abire queat. Partus vero habetur, quando sensim vincula, quibus alligatur conceptus utero, disrumpuntur, per fibrarum & vasorum ipsa componentium siccitatem: unde pauca vincula, quæ demum supersunt, connectentia, cum cogantur resistere gravitati prementis jugiter conceptus ponderis, dissoluta, fœtum libere ponunt ad exitum solicitum, ex quorum scissorum osculis porro fit lochiorum fluxus. Abortus autem, cum non det tempus vinculis naturaliter dissolvendis, præter naturam cum vi violenta dissolvit; unde ex plurimis vulneribus majori cum copia lochia prodire solent. Verus igitur fructus uteri fœtus est, gigniturque a semine, tanquam causa efficiente, non e semine, tanquam materia: nullis opus est ovulis, nullis animalculis, sed procedit generatio in utero ad instar arborum, quæ elongando & protrudendo propriam substantiam, in arboreas plantulas sibi consimiles erumpunt. Ceterum ut de ordine & doctrina Clarissimi Autoris nostri eo plenius constet, quid singulis capitibus Partis posterioris pertractet, breviter recensebimus. Capite primo ostendit, *uterum vivipararum habere, quicquid materiæ ad fætum suæ speciei, data opera formandum, requiratur:* Capite II docet, *generationem viviparo-*

rum haberi per fibras & vasa uteri emollita, elongata, atque juxta seminum virtutem plasticam in partes fœtus complicata & contexta: Cap. III de *unione continua vasorum matris cum vasis fœtus* agit: Capite IV de *causis partus & abortus*: Cap. V de eo, *cur fœtus sit modo mas, modo fœmina* Adjecit quatuor Carollaria sive *Parerga*; quorum uno de *nutrimento fœtus* differit, alio de *excremento fœtus*, tertio de eo, *utrum partus humanus septimestris sit magis vitalis octimestri*, & quarto denique de *virtute seminis plastica*. Quæ omnia Clarissimus Autor satis copiose pertractat, plurimisque doctissimorum Scriptorum locis roborare atque illustrare contendit: nec dubitandum, si res potius quam stylum & ordinem requirat Lector, quin is passim in hoc libro reperturus sit, quæ lectione atque ulteriori inquisitione minime indigna videantur. Etenim, dum cetera sint paria, multo sane probabilius, magisque naturale, ac divino mundi opificio aptius existimamus, ut in eo veræ fiant generationes, quam ut, sublatis omnibus generationibus, tanquam si eæ naturæ vires & perfectissimum mechanismum, ab ipso Deo constitutum, superent, nihil in illarum locum, nisi augmentationes substantiarum minutissimarum, ipsi mundo coævarum, substituatur. Tentandus igitur amplius hic locus, atque ab exercitatissimis Anatomicis, perspicacissimisque Philosophis, omni studio & sine præjudicio examinandus; neque, si nonnulla sunt in hypothesi Autoris nostri, de *semine ab omnibus corporis partibus deciduo atque exquisitam earum imaginem retinente*, itemque de *seminum utriusque sexus mixtura, pugna, & ad producendum masculum vel*
p. 199. *fœminam dominio*, aliaque hujus generis, quæ parum comprehendi possunt, idcirco tota hypothesis negligenda ac penitus abjicienda est.

SYNOPSIS TOMI QUARTI DE ACTIS SANctorum Julii, collectis, digestis & illustratis a JOAN. BAPT. SOLLERIO, JOANNE PINIO, GUILIELMO CUPERO, PETRO BOSCHIO, Societatis Jesu Presbyteris, qui prodiit Antwerpiæ 1725.

Sisti-

Sistimus modo Hagiophilis Tomum de Actis Sanctorum, ab operis principio, nonum supra vigesimum, dies quinque decurrentem, a decimo quinto ad decimum nonum, in quibus denuo variæ classes anonymorum Martyrum, at Sancti centum septuaginta quatuor propriis suis nominibus referuntur: præfixo toti volumini Tractatu præliminari historico-chronologico de Patriarchis Antiochenis, ducta serie a sancto Petro Apostolo ad annum MCCLXVIII, quo ea civitas Saracenica seu Turcica tyrannide postremum oppressa est: recensitis Patriarchis omnibus tum orthodoxis tum schismaticis, etiam Jacobitis, quos eam sedem aut tenuisse aut invasisse, monumentis historicis traditum est. Porro Sanctorum classes semper eædem sunt, juxta triplicem in Ecclesia statum, nempe *Ecclesiasticum, Monasticum* & *Secularem*, distincto regionum ordine; fœminis autem in quartam classem de more collectis. *Divisio Apostolorum* ac singularis *Septuaginta duorum Christi Discipulorum memoria* ad eas classes facile revocari non potuerunt: satis sit, earum festivitatum meminisse.

Ex statu Ecclesiastico. Antiquitate & merito ceteros antecedit *Epaphras*, an S. Pauli discipulus? certe Episcopus Colossensis, verosimiliter martyrii laurea donatus. Quantum pro fide Catholica laboraverit, quantum ab Arianis passus sit *Eustathius* Patriarcha Antiochenus, satis loquuntur historiæ: exilii locus & tempus, obscurioraque alia illustranda fuere. Neque de magno *Jacobo Nisibeno*, altero Orientis lumine, pauciores difficultates solvendæ occurrerunt.

Ex Italia tomum hunc ornant maximi duo Romani Pontifices; alter *Symmachus*, iniquiora tempora passus, utpote sub Rege Ariano Theodorico diro schismate, calumniis, odiis, multisque persecutionibus misere implicitus, ad quæ superanda pacandaque toto robore Apostolico opus habuit. Alter inter synonymos sanctos *Leones* ordine IV, Saracenis nequicquam minitantibus, Urbem quodammodo novam condidit, quæ ab ejus nomine Leonina dicitur, atque munificentia prope incredibili ecclesias ditavit. De ejus ætate, professione aliisque adjunctis non una disceptatio. *Ennodii Ticinensis* nobilitas, eruditio & apologia

gia pro Symmacho PP. obitæ legationes, reliquaque geſta illuſtriſſima ſunt. In eadem urbe *Felix* Epiſcopus & Martyr colitur; non recte ut Ticinenſis, qui potius Spalatenſis antiſtes fuiſſe videtur. Neque ſane alii deſunt inclyti ſanctitate præſules, quales ſuggerunt urbes variæ, *Philaſtrium* Brixia, Mediolanum *Maternum*, *Athanaſium* & *Laurentium* Neapolis, Verona *Felicem*, *Vitalianum* Capua, qui Catacii in Calabria potiſſimum celebratur, non paucis difficultatibus obnoxius. Adde *Roſilum* ſeu *Rophillum* Forolivii, *Eugenium* cum ſociis Nauli, *Terentium* Lunæ. Nec *Signienſis Bruno* prætereundus eſt, ex Epiſcopo monachus & Abbas, ex Abbate denuo Epiſcopus, in utraque dignitate libertatis eccleſiaſticæ vindex, atque inſigne ſeculi ſui ornamentum.

Inter Gallos ſeu Francos antiſtites in hoc tomo eminet *Arnulphus*, ex magno Regis miniſtro & multorum Regum parente major Metenſis Epiſcopus, atque hac etiam dimiſſa dignitate, anachoreta deinceps maximus; cujus genus, munia geſtaque cetera non uſque adeo pervia ſunt: nos ea hoc die potius quam ad XVI Auguſti illuſtranda cenſuimus. Accedunt & alii ſancti præſules, tametſi non uſquequaque adeo celebres, *Martinus* Trevirenſis, *Rethicius* Auguſtodunenſis, *Æternus* Ebroicenſis, *Benedictus* Andegavenſis, *Ternanus* Leonenſis in Britannia Armorica, & *Theodoſius* Autiſſiodorenſis.

Anglia unicum exhibet *Deuſdedit* Epiſcopum Cantuarienſem. Plures ſuppeditat Belgium. *Frederici* Ultrajectenſis martyrium, & cauſa executioque martyrii ancipitem pridem dedere diſputandi materiam, Gallis acerrime contendentibus, Juditham Imperatricem non niſi calumnioſe in invidiam trahi. *Monulphus* & *Gondulphus*, ambo Trajectenſes ad Moſam Epiſcopi, ne quidem ſepulcro disjunguntur: ambos vero ex eo redivivos ad concilium Aquiſgranenſe perrexiſſe, hiſtoria ſeu popularis traditio eſt, quam vetuſtioribus teſtimoniis ſubnixam cuperemus. *Bernulphus* Ultrajectenſibus adſcribendus eſt. De *Plechelmo*, non Maſſæ candidæ aut candidæ Caſæ, ſed in Scotia Epiſcopo, multa ſatis temere tradita, quæ Bollandus olim operoſe elucidavit. De Sancti cultu Ultrajecti, Oldenſaliæ & Ruræmundæ, deque ſacrarum reliquiarum diviſione paulo certiora commemorantur.

Gono-

Gongarius, presbyter in Britannia Armorica, ad inferiorem hujus classis ordinem pertinet.

Ex statu monastico. Primas in hac altera classe tenet celeberrimus *Arsenius*, qui ex duorum Imperatorum præceptore anachoreta factus, Ægyptum, seu mavis Libyam, imo Orientem & orbem universum virtutum suarum odore replevit. Dicta ejus, documenta ascetica & facta expenduntur, daturque Vita Græco-Latina, nunquam hactenus, saltem quod sciamus, edita. Ad Orientem etiam spectat *Dius* Archimandrita, dictus Thaumaturgus, condito monasterio, aliisque præclare gestis Constantinopoli venerandus.

Ex Italia locus inter Sanctos negari non potuit viro doctrina & vita religiosa insigni, *Ambrosio Autberto*, post alia munia, ad St. Vincentii prope Vulturnum Abbati: cui ex Ordine Vallumbrosano alium item Abbatem adjungimus, moribus juxta ac nomine *Benignum.* Junior iis quidem, at non minus clarus est *Robertus*, a loco natali *Salentinus* dictus, dignissimus sancti Petri Cœlestini discipulus, rerumque ad Ordinem spectantium vigilantissimus procurator, pro cujus recepto cultu argumenta subministrata sunt.

In Germania floruit *Gumbertus*, sancti Burchardi discipulus, Anspacensis ecclesiæ, primum, opinor, monasticæ, fundator, cum Episcopo Herbipolensi, & forte aliis ferme synonymis perperam confusus; *Ansverus* & socii martyres Saxoniam illustrarunt: neque tacendus *David* Abbas in Westmannia Sueciæ: quibus adde *Zœrardum* seu *Andream* & *Benedictum*, a Polonis & Hungaris cultos, de quorum patria & professione concertatio. In Hungaria obiisse certum est, & postremum quidem martyrio coronatum. Habet & suum Wratislavia Silesiæ patronum *Ceslaum*, Ordinis Prædicatorum alumnum, cujus cum S. Hyacintho discussa cognatio. Ast illis in partibus nullus hodie Sanctus illustrior magno illo Poloniæ thaumaturgo, *Simone de Lipneca*, Ordinis Minorum, stupendis miraculis, nunquam antea typis editis, jam toti orbi notissimo. *Fredegandus* in Belgio prope Antverpiam monasticen egit; an Belga ipse? dubitatur: nos eum Antverpiensibus tribuere non refugimus.

Ex ſtatu ſeculari. In Oriente plures Martyrum claſſes, ſed his expreſſius laudantur *Hyacinthus* & *Athenogenes*, non uni diſcuſſioni materiam præbentes. *Æmilianus* Doroſtori multos martyrii ſocios nactus eſt, utinam & fidelem Actorum ſcriptorem! *Antiochum* & *Cyriacam* dedit Sebaſte in Armenia, *Abudemium* inſula Tenedos: *Fauſtus* & *Lolianus* ſuis non carent elogiis. Longe nobilior eſt Africana Martyrum turma ſub nomine *Scillitanorum*, quorum præclariſſima Acta, ceteraque ad geſta & translationes ſpectantia eruderantur.

In portu Romano inclyta *Bonoſa*, nunc cum *Eutropio* & *Zoſoma*, alias cum quinquaginta militibus conjuncta, criſin non parum exercuit: neque de *Hilario* Oſtienſi omnia componere, ſatis promptum fuit. Huc etiam ſpectant *Generoſus*, Martyr Tibure in Latio, *Marcellus* Mediolani, apud Bergomenſes *Domneo*. *Elius* ſive *Ælius* Juſtinopoli in Iſtria, & *Feliciſſimus* Nuceriæ, confeſſores ſunt. Aſt hos inter nullus *Alexio* celebrior, nullus majoribus difficultatibus implexus, ut Vitam ejus ænigmati prope ſimilem non immerito dixeris. De eo Baronius & alii tacere maluerunt, quam dubia pro certis obtrudere. Nos Acta ejus, tum Romana vulgariſſima, tum Edeſſena, nunquam hactenus viſa, ex Syriaco & Arabico accepta tradimus, nihil temere in ea controverſia definientes. Seculo XIV inſigne nomen ſibi adeptus eſt *Petrus*, a ſolo natali *Fulginas* appellatus, ab incredibili prope in pauperes miſericordia laudatiſſimus. Ad Italiam etiam ſpectat *Bernardus* Marchio Badenſis, in Monte Calerio Pedemontii tumulum & cultum conſecutus.

In Gallia *Domninus* Apriliacenſis dubium reliquit, an cum ſynonymo Candiacenſi confundendus ſit. Pares ambages diſſolvendæ fuerunt circa *Helerium* in Cæſarea maris Britannici inſula: tum vero de *Arnulpho* in ſilva Aquilina, cujus peregrinationes, prætenſus Epiſcopatus, & geſta reliqua luce non modica indigent, quam etiam in *Juſtiniano* Lemovicenſi deſideramus. *Siſenandum*, Cordubæ in Hiſpania Martyrem, paulo notiorem reddidit S. Eulogius. *Kenelmus*, puer martyr in Anglia, impiæ ſororis parricidio ſublatus, miraculis potius quam geſtis innoteſcere potuit. Ad Scotiam ſpectat *Donavaldus* cum novem fi-

liabus

liabus virginibus. *Arnoldus* autem, vulgo dictus Caroli Magni citharœdus, colitur in Arnsweiler ditionis Juliacensis.

Ex sexu fœmineo. Magnorum Sanctorum dignissimam sororem, & ferme educatricem, *Marinam*, satis est nominasse, uti & ejus encomiasten S. Gregorium Nyssenum fratrem, quo præstantior ei obtingere non potuit. Non adeo nota est *Daria* Martyr Constantinopoli; at Carthagine prædicatur *Guddene*. Naturæ miraculum dici potest tenella virgo, sub virili habitu & nomine *Marinus* dicta, enormi calumnia illati stupri accusata; de cujus patria ærumnarumque tolerantia, tum de reliquiis multa discutienda fuerunt, ne multiplex potius quam una diceretur. Tibure porro in Latio nominatissima est *Symphorosa* cum septem filiis, a Felicitate distinguenda; tamersi fortasse in filiorum nominibus confusio aliqua facta fuerit, hic, quoad fieri licuit, sublata. *Marcellinæ* virginis, magni Ambrosii sororis, sacrum corpus non ita pridem repertum est, de qua re dissertatio MS. serius ad nos transmissa, nihil continet quod cum nostris apprime non conveniat. Gallis debetur *Apronia* virgo Tullensis. Virgines & Martyres nuncupari solent sorores sanctissimæ *Justa* & *Rufina*, quibus Hispalis in Hispania gloriatur, eisque merito addenda est *Aurea* Cordubensis. Non adeo constat, utrum *Marina* aliqua Hispanis tribuenda sit, a superius laudata discernenda. In Germania coluntur *Stilla* virgo & *Regisvvindis* puellula: in Scotia *Thenna* seu *Thenevv* matrona. In Belgio haudquaquam ignobilis *Reineldis* V. M. Amalbergæ filia, Gudilæ soror, quotidianis ferme peregrinationibus, prope Hallas Deiparæ, invocari, variisque morbis mederi solita.

Atque hi sunt Sancti præcipui, quorum Acta in hoc tomo illustrantur; quo autem die quibusve paginis reperienda sint singula, docet index alphabeticus eorumdem toti volumini præfixus. Cetera in subjunctis aliis indicibus quærenda sunt.

Synopsin hanc, ab ipsis Autoribus, pro more diu ab ipsis servato, publicatam, hic repetere placuit; idemque deinceps quoque facturi sumus, cum ipsi Tomi serius plerumque ad nos transmittantur.

CONTINUATIO RECENSIONIS TRACTA-

tus Hist. Chronologici Boschiani de Patriarchis Antiochenis, Actis Er. A. 1726 M. Majo p. 197 ss. insertæ.

FLaviano institit Porphyrius ab A. CCCCIV usque ad CCCCXIII, a quo Alexander, Vir magnis virtutibus præditus, ideoque jure laudatus a Theodoreto H. E. V. C. XXXV, felicissimus pacis conciliator, quippe divisos exulceratosque animos mira prudentia denuo conjunxit; difficultates Chronologicas circa annos illius natas Noster magna industria composuit. Obiit A. CCCC XVII, quo successit Theodorus, lubricus ab initio, sed melior in Præsulatu, quo omnes maculas emendavit. Sequitur Joannes I, ab A. CCCCXXIX usque XLII, cujus virtutes Theodoretus & propria scripta apud Labbeum T. III Concil. p. 386 testantur, in causa Nestorii miro temperamento usus, dum errores damnando, errantem amare non cessavit. Mox Domnus II, A. CCCCXLII usque ad XLIX, quo (præcinente id ipsum S. Euthymio) in synodo Ephesina λῃστρικῇ depositus fuit, postquam in S. Flavii damnationem consensisset: sed rediit ad Euthymium, nonnulla vitæ solatia ab Ecclesia Antiochena consecutus. Infulam accepit Maximus A. CCCCXLIX, quod multis testimoniis adversus Garnerium probatur. Obiit A. CDLV, non LVI, quod Baronius voluit, sed ex epistola Leonis M. ad S. Julianum facile corrigendus. Erat ante Præsulatum monachus, mox Archimandrita, postea Diaconus, tandem Episcopus. Successor Basilius, A. CDLVI usque LVIII, Vir probus, Simeonis Stylitæ omnisque Ordinis Monachalis defensor, Leoni M. P. charus, quod Epistola inter Quesnellianas CXIIX declarat. Quo sublato Acacius, A. CCCCLVIII usque LIX, hocque vicissim Martyrius, CDLIX usque LXXI, Vir orthodoxus, Concilii Chalcedonensis strenuus defensor, eaque propter omnium consensu laudatus, qui renuntiavit Præsulatui A. CDLXXI. Cujus sedi se obtrusit Petrus Fullo seu κναφεὺς, Concilii Chalcedonensis oppugnator, sed eodem anno detrusus, succedente Juliano, quod perperam Baronius negavit. Sedit ad usque A. CDLXXVI, quo, Basilisco imperium captante, rediit Fullo, seditque ad usque

CDLXXVII.

CDLXXVII. Quo iterum pulso, Joannes II intrusus, tertioque post mense exauctoratus, Tyri sedem accepit, quo decedente, duo Stephani, nempe II & III, confusi inter se, quorum Stephanus II martyrium subiit, alter A. CDLXXIX obiit, cui tribuuntur, quæ ad secundum pertinent. Inde Joannes Codonatus, Episcoporum Orientalium jussu, ordinatur, cujus rei inscius Acacius Constantinopolitanus, jussu Zenonis Imperatoris, consecrat Calendionem, Virum strenuum sanctumque, A. CDLXXXV mense Augusto. Hic est, qui trisagio adjecit: *Christe, Rex noster*, ne in ullam aliam personam cadere viderentur verba Petri Fullonis: *qui Crucifixus es pro nobis*. Pulso Calendione iterum Fullo successit anno CDLXXXV mense Augusto, seditque usque ad LXXXIIX; tanta illius libido fuit Ecclesiam vexandi, Concilio Chalcedonensi obtrectandi, quæ Patres Orthodoxi statuerant, abrogandi, unde & mox illam Calendionis formulam sustulit. Inde eligitur Palladius, S. Theclæ in Seleucia Presbyter, suffragante Joanne Constantinopolitano, & Anastasio, qui ex Silentiario Imperatoris sedit ab A. CDLXXXVIII usque XCIIX. Eutychianorum partes secutus, teste Cyrillo Scythopolitano in vita Sabæ apud Surium, Concilium Chalcedonense damnavit, patrumque assentientium nomina & imagines delevit combussitque. Defunctum excipit S. Flavianus II, cujus vita Actis Sanctorum die IV Julii p. 22 inserta. Erat antehac Presbyter Antiochenus, ejusque Ecclesiæ Apocrisiarius in aula Constantinop. unde sibi gradum struxit, sedit ad usque DXII, quo consilium abeundi accipiens ad Platanos secessit. Successit Severus Majumensis, mense Novembri die VI, apertus Veritatis hostis, sed Anastasio Imperatori gratus, defensusque, mansit Antiochiæ usque ad A. DXIIX mensem Septembris, teste Evagrio. L. IV. C. 4, cum depositionis sententia adversus illum lata esset eodem anno mense Julio, mandato Justini Imperatoris. Annum fugæ defendit Boschius, multosque suffragatores doctissimos secum trahit. Depulso vero succedit Paulus II, post multas disceptationes anno DXIX mense Majo, Concilii Chalcedonensis assertor juxta Liberatum. Hic Ecclesiæ Constantinop. Presbyter, ejusque apud Antiochenses Apocrisiarius, contra Severum fortiter fecit, sed

Præſul factus, inſolentior evaſit, male geſſit officium, inde conſcientiæ memor ac rationi reddendæ impar, ſe ipſum dignitati ſubduxit A. DXXI circa Aprilem. Habuit ſucceſſorem Euphraſium A. DXXI, Hieroſolymis venientem, nec meliorem paulo, ſive initia ſeu finem ſpectes. Hoſtis enim Orthodoxorum & carnifex, unde non humana, ſed cœleſti manu punitus, terræque motu obrutus, extinctusque fuit A. DXXVI menſe Sept. Eam Eccleſiam reſtituit Ephræmius, ex Comite Orientis Præſul, Pater Urbis, omnisque calamitatis ſolatium. Factum id A. DXXVII circa Majum, non citius, quod contra Noriſium Boſchius probat. Sedit usque DXLV, inſigni ornatus elogio, Photiano Codice CCXXVIII, CCXXX. Alii ſanctitatis titulum ipſi concedunt; Simeon Stylita junior lynceis oculis animam ejus cœlum adſcendentem vidit. Inter maculas refertur, quod tribus Capitulis, a Juſtiniano Imperatore ſtabilitis, ſubſcripſerit. De Synodo illius contra Origenem v. Labbeus Concil. T. V p. 306. Mox Domnus III, A. DXLV usque ad LIX adultum, gente Thrax, & Ptochotrophio circa Lychnida præfectus, aulicisque poſtea inſinuatus, Præſul Antiochiæ renuntiatur. Is plane diſpar Ephræmio, priorisque immemor officii, Ptochophthorus evaſit. Mortem ejus Simeon junior Stylita deprecatus eſt, forte ne ſuccederet pejor. Tandem ipſi ſuccedit S. Anaſtaſius I A. DLIX, Monachus Palæſtinus, doctrina vitæque ſanctitate magnus, ſed pulſus A. DLXX, Juſtino mandante. An Candelapta poſtea fuerit factus in templo reſurrectionis Hieroſolymitano, dubitat Boſchius & refellit. Mox Gregorius I A. DLXX, quod pulchre probatur ex Oratione S. Anaſtaſii apud Lambecium Bibliotheca Vindobonenſi T. VII p. 168. Obiit podagræ morbo vexatus, quum potionem ex Hermodactylo ebibiſſet. Vivo tamen adhuc ſpiranteque ipſo, Anaſtaſius reſtitutus, quin imo etiam conſentiente & commendante, quippe qui iniquam Anaſtaſii ejectionem ſemper cenſuiſſet. Vir certe magnus, a vitæ primordiis Byzantinorum Præfectus, tum, cum in monte Sinai habitaret, ex quo Pontifex conſilio virtuteque Maximus, etſi variis calumniis appetitus, quas ille laudabili ἀμνηςείᾳ ſepelivit. Inde ſanctitatis elogio ornatus, etſi neque Menæis neque Martyrologiis inſcriptus

ptus fuerit. Sic ſponte Gregorii Anaſtaſius iterum habenas Antiochenæ Eccleſiæ ſuſcepit A. DXCIII usque XCIX, quo ita ſe geſſit, ut præſentium veneratione, abſentium cultu & litteris honoraretur. Sequitur Anaſtaſius II A. DXCIX usque ad DCX menſ. Aug. Anteceſſori ubique par, & quod ad martyrium pertinet, major. Judæorum enim ſcelere interemptus Martyrologio inſcriptus eſt die XXI Dec. Poſt hujus vitam Boſchius Appendicem dedit ad Seculum VI, quo Patriarchas Antiochenos Jacobiticæ Sectæ diviſerunt. Habuit hæc Secta ſuos proprios Patriarchas & a Severo usque ad noſtra tempora deduxit. Quo inſtituto ſe Euſebium Renaudotium ſequi fatetur, qui haud pauca Antiochenſium in ſuo de Jacobitis Alexandrinis Volumine A. 1713 eruerat: tum & Cl. Virum, Joſ. Simonem Aſſemanum, quippe qui in Bibliotheca Orientali non leves ſuppetias tulerit, ſeriem oſtendendo ex Catalogis ſcriptorum Syrorum, Gregorii Bar Hebræi & Dionyſii Barſalibeni & aliorum. Primus igitur Patriarcha Jacobitarum Severus, Magni cognomento apud ſuos mactatus, qui Antiochia ejectus, primum Conſtantinopoli, deinde in Ægypto A. DXLII vixit. Periit Alexandriæ in loco Chaſade, d. XXIIX Febr. Ejus memoria tam ſancta, ut non ſolum ipſum tanquam Sanctum, ſeb ut Prophetam celebrent. Illi ſucceſſit Sergius Telenſis ſeu Conſtantienſis, cujus loco alii Theophanem produnt, ut duplex forte nomen habuerit. Factum id ab A. DXLII usque DXLV. Eo ſedente Jacobus Zanzalus, a quo Jacobitis nomen, Epiſcopus œcumenicus ordinatus fuit. Succedit Paulus Niger Alexandrinus ex Cœnobio Gubæ, homo verſipellis & ludibrium ex veritate faciens; unde in Diptychis Jacobitarum non extat. Sedit ab A. DXLV, a quo nonnulli Monophyſitæ Paulianiſtarum nomen traxere. Depoſitus A. DLXXIIX, mortuus Conſtantinopoli A. DLXXXIX. Locum illius ſupplet Petrus, anno DLXXIIX, ex Cœnobio Araniæ, ſeditque probabiliter usque ad A. DCII. Magni habitus, ut & Monophyſitarum Secta ab eo Petrianorum nomen ſibi adſciverit. Autor Anaphoræ apud Aſſemanum p. 77. Mox Julianus ex Cœnobio Kenſerinenſi usque DCIV, & illico Athanaſius Samoſatenus Camelarius, defunctus A. DCXXXIX. Hucusque Jacobitæ Seculi VI.

Dum

Dum igitur ad Sec. VII abit Boſchius, iter impeditum deprehendit, ac deſperationis plurimum, quum ſileant veteres, & omnia propemodum inſtrumenta idonea deſint, ut ferme hic deſinendi conſilium ceperit, niſi majorum imperio ſibi cenſuiſſet obtemperandum. Precatus tamen hos, qui impeditum illud negotium poſt ſe ſuſcepturi ſint, ut bonis probisque ducibus e veteribus utantur, neve juniores tantum ſequendo, ea ſtatuant dicantque, quæ ab ipſis dicta eſſe optimi quique nolint. Ita ad Gregorium II in fronte Seculi VII collocatum abit, Panvinio Genebrardoque memoratum, ſed veteribus ignotum, neque in Catalogis e Syria accerſitis, ſibique per Cl. Aſſemanum transmiſſis, reperiendum. Unde illi earundem tabularum fide Anaſtaſium III ſubſtituit, qui ab A. DCX usque DCXXI ſedit, licet Eutychius T. II p. 195 aſſerat, poſt mortem Anaſtaſii II cathedram Antiochenam vacaſſe annos 17, adeoque nec Gregorium, nec Anaſtaſium III, neque Athanaſium ſucceſſorem admittat. Hic vero Anaſtaſius Bibliothecarius ad A. Chr. DCXX inſerit Georp. 444. gium, cujus tamen textum eſſe corruptum, & nomen Georgii ex Patriarchis Alexandrinis irrepſiſſe, Boſchius docet. Hinc Athanaſius Jacobitarum Patriarcha ſequitur, a Pagio fruſtra confutatus, a Boſchio autem ex Theophane, Paulo Diacono, autore vitæ S. Maximi, Cedreno, Zonara, Baronio, fortiter aſſertus, univerſæ Eccleſiæ Antiochenæ Epiſcopns, annitente Heraclio Imp. A. DCXXIX, orthodoxis male audiens, faver & pernicioſus, Antichriſti præcurſor, qui omnia Monophyſitarum dogmata divulgavit, etſi Chalcedonenſis Concilii ſe aſſertorem fingeret. Ejus cum Heraclio Imp. colloquium adverſus Pagium nobis egregie defendiſſe videtur Boſchius, quum utrumque verum eſſe queat, ut & cum Paulo Severiano & cum Athanaſio de eadem re conſultationes inſtituerit. Eum poſt Concilii Chalcedonenſis amplexum, etiam Jacobitæ agnoverunt, dicentes, non ſe cum Chalcedone, ſed Chalcedonem ſecum ſentire. Sedit usque ad A. DCXXXIX. Succeſſit Macedonius Monothelita, Conſtantinopoli eodem anno creatus. Eum ibidem eſſe mortuum, antequam Antiochiam perveniret, Eutychius retulit. Quod quum incertum ſit, certo expediri nequit. Sedere potuit usque ad A. DCXLVI. A quo tempore Jarihus ſive Georgius I, ſoli Eutychio

notus,

notus, isque Monothelita, creatus Constantinopoli, neque visa Antiochia, ibidem mortuus. Post illum Macarius A. DCLIV Monothelita Constantinopoli creatus, neque ipse Antiochiam vidit, depositus A. DCLXXXI d. VII Martii Synodo VI, sed Romam missus, ob doctrinam corrigendus, diem suum obiit. Hinc Theophanes Siculus, qui ad refutandum Macarium sedem illius acquisivit tempore Synodi VI, A. DCLXXXI d. XXVI Mart. Sedit ad A. DCLXXXIV, quo defuncto restitui debebat Macarius, nisi potius sede sua, quam opinione semel electa carere maluisset. Hic vero Patriarchis inseritur Constantinus quidam Diaconus a Baronio A. DCLXXXVI n. 5, quem & Blasius Terzi in Syria S. & Assemanus amplexi sunt. At Boschius erudita jucundaque ratione ostendit, errorem ex male scriptis Anastasii verbis in vita Cononis natum esse. Quum enim ibi legatur, Cononem in ἀντιπαθείᾳ Ecclesiasticorum Constantinum Diaconum, Ecclesiæ Syracusanæ Rectorem constituisse, scriptor pro ἀντιπαθείᾳ Antiochiam scripsit, vitioque suo hunc Patriarcham, nonnisi in errante calamo natum, Antiochenis Patriarcham dedit. Sequitur Parergon de S. Joanne Marone, primo Patriarcha Antiochenorum Maronitarum. Hæc sedes non confundenda cum ea, quæ proprie Antiochena dicitur. Ille solis Maronitis præfuit, non autem Ecclesiæ Antiochenæ, quod recte Cl. Assemanus docet. De eo plura Quaresmius Terræ S. L. I & Eugenius Rogerius in Terra S. Parisiis edita 1646 Tr. VII, & Faustus Nairon Diss. de Maronitis. Theophani successit Alexander II, quanquam id Ricciolus in Chronologia & Gualterius negent, aliique hoc Seculo non extitisse Patriarcham statuant. Verum Anastasius Bibliothecarius & Eutychius hunc nostrum satis confirmant. Binominis fuit, & Thomæ præterea nomen gessit, creatus in confinio annorum 684 & 685, seditque usque ad 686. Succedit Georgius II A. 686, seditque usque 702. Subscripsit Synodo quinisextæ, ut mirum sit eum aliis viris doctis neglectum esse. Ab eo tempore irruentibus Sarracenis Ecclesia XL annos Pastore orbata fuit. Hic iterum appendix ad Sec. VII Patriarchas Antiochenos Jacobitas sistit, interque eos Joannem I, qui ex cœnobio Eusebone Evangelia e Syriaco in Arabicam linguam transtulit, obiitque A. 649. Cui successit Theodorus usque 665 ex p. 478.

Scetensi eremo. Huic Severus II usque 680, qui cum Episcopis Mesopotamiæ lites de ordinationis jure gessit, quo defuncto A. 684 Athanasius succedit usque ad 687, postquam Jacobitarum Episcopatus vacasset annos IV. Is linguæ Græcæ admodom peritus multos Græcorum libros in Syriacam linguam transtulit, visos Assemano citatosque. Inde Julianus II cognomento Romanus, ad quem Simonis Patriarchæ Alexandrini Synodicon extat. Obiit 708, teste Dionysio Barsalibeno, apud Assemanum T. II p. 105.

Transit porro ad Sec. VIII, sistitque in ordinaria sede Stephanum IV, Eutychio neglectum, non vero Theophani, qui A. 742 eum memorat, aitque, post quadragenalem vacationem hunc primum, licet simplicem ac pœne rusticum, sub Isaaco Sarracenorum Duce Antiochenis concessum esse. Brevi tempore sedit usque ad 745. Post quem Theophylactus ex Presbytero Edesseno, quem ipse Marvam ab Arabibus honorifice salutari jussit, ideo, quod divinis gratiæ donis mirifice polleret. Obiit A. 751 mense Junio, a quo Theodorus I A. 751, ex Armenia oriundus, cujus Epistola Synodica apud Labbeum T. VII p. 919. Sedit, dubitantibus aliis, usque ad 773, teste Eutychio. Defuncto succedit Theodoricus I, non Theodorus, quod Baronio placuit A. 787 n. 2. Sedit ad A. 790, quo sublato e vivis, iterum sedes vacat usque ad Jobum, quod Eutychius dixit, & Cl. Assemanus ferme credidit, dicendo, Theodoricum vel ad A. 812 produxisse vitam, vel ab A. 790 usque ad 812 sedem vacasse. Appendix Seculi VIII Patriarchas Antiochenos Jacobitas habet. Elias, ex Baragæ Episcopo Juliano succedens A. 709, sedit ad A. 723, primumque orthodoxus fuit, inde e lectione librorum Severi aliorumque Monophysitarum Apostata factus. Succedit Athanasius III, qui obiit A. 739, quem excipit Joannes II, insigni fraude electus: dum enim trium Candidatorum nomina in urnam injecta crederentur, ipse suum nomen tribus schedulis inscribi injicique fecit, unde terna vice quasi per miraculum extractus Præsul evasit. Ingratus ipse fraudum illarum patronis, quos Marvani Principis favore nixus, varie afflixit, se Principem Episcoporum fecit, alios anathemate percussit.

sit. Tandem obiit A. 755. Suffectus Isaacus, ex Episcopo Haram jussu Regis Arabum a Jacobo cœco Rhœsinæ Episcopo ordinatus: nec tamen annum integrum explevit, chrysopœiæ gratia parricida primum, ac deinde Martyr, si Barhebræo fides, quum ab Almansore Rege ideo fuerit interfectus, mox Athanasius IV A. 757 Sandaliensis, ejusdem Almansoris jussu suffocatus A. 759. Horum tempore tres Patriarchæ Anti-Jacobitici, Georgius Monachus, Græcis literis eruditus, adversus quem a Mesopotamiis eligitur Joannes Callinicienśis, qui tamen ipse Georgio suffragium dederat. Quo defuncto Davides Duræ Episcopus, jussu Almansoris constituitur, Georgio in vincula conjecto, quod artibus Davidis patratum. Sedit annos X. Hinc defuncto Almansore, liberatus catenis Georgius, missoque Patriarchatus titulo, A. 790 obiit, miserias antea hymnis ac cantionibus apte compositis solatus. Sequitur Josephus ex cœnobio Gubensi A. 790, obiitque A. 792, quum unum Episcopum ordinasset. Excipit ipsum Cyriacus A. 793 ex cœnobio de Columna, scripsitque Synodicas ad Patriarcham Alex. Vir sanctus Elmazino, sedit ad A. 817 & Episcopos LXXXVI ordinavit. Celebravit Synodum ad tollenda verba ex liturgia: *Panem cælestem frangimus*. V. Asseman. T. II p. 117. Eo sedente iterum Anti-Patriarcha Abraamus, qui sedit usque ad 837, habuitque successorem fratrem Simeonem,

Seculo IX inter Patriarchas universales ab A. 812 usque ad 842 sedit Jobus, quem, sicut & reliquos, ex Eutychio habemus, qui hucusque non satis notus, aut si quibus notus, non satis tamen feliciter ad constituendam Patriarcharum seriem adhibitus fuit, quæ & Blasii Terzi infelicitas fuit. Ex hoc discimus, quod Jobus usque ad A. 842 sederit. Græcæ linguæ non ignarus fuit, qua cum uteretur ad Ancyranis persuadendum, quo Almotasemo tributum solverent, non nisi lapides & convitia præmii loco tulit. Constantinus Porphyrogenitus turbavit hanc seriem in recensione Episcoporum Orientis, Jobumque Alexandriæ, Christophorum Antiochiæ constituit, in quo fefellit, errore ex transpositione nominum facili. Post hunc Nicolaus ab A. 846 usque ad 868, a quo tempore vidua Antiochena Ecclesia existente, loco Patriarchæ in Concilio œcumenico Octavo Thomas Metropo-

lita Tyri subscripsit. Falso Nicetas Paphlago Michaelem substituit. Hic enim Alexandrinum Patriarchatum tum tenebat, quod Lupus Yprensis ad Conc. VIII Can. IX bene observavit, frustra Nicetam defendente Pagio A. 869 n. 3. Nicolaum sequitur Stephanus V, sed brevis vitæ, & illico Tatasus sive Theodorus II A. 870. Sic Eutychius T. II p. 471. Obiit A. 889 vel 890. Succedit A. 892 Simeon sedemque tenuit usque ad A. 904. Appendix Jacobitarum Patriarchas hujus Seculi exhibet, Dionysium, qui successit Cyriaco A. 818. Obiit A. 845 d. XXII Aug. quod Barhebræus & Elmacinus testantur. Synodicam dedit ad Marcum Alexandr. Patriarcham, teste Renaudotio aliisque, maxime Assemano. Valuit gratia apud Arabum Principem Abdallam, qui ipsi Abraamum Pseudo-Patriarcham puniendum dedit, sed benigne ab eo tractatum, demtoque duntaxat titulo, dimissum. Hunc Joannes III sequitur A. 846 mense Nov. ordinatus ab Abileo Tarsensi. Dedit Synodicam ad Josephum Alexandr. Obiit A. 873 d. III Dec. Post quadriennem vacationem succedit Ignatius I, appellatus antea Josua, a quo Successores mutandorum nominum consuetudinem sumserunt. Obiit A. 883 d. XXVI Mart. quem Theodosius excipit A. 887, postquam sedes vacasset annos IV. Obiit A. 896. Scripsit de S S. Trinitate & Incarnatione Christi Epistolam, qua ostendit, Christum ex duabus Personis unam Personam juxta Cyrillum habere, post quem Dionysius A. 897 usque 909.

p. 525.

Seculo X universalis Patriarcha fuit Elias I ab A. 904 usque 931. Fuit Scriptor. Successor Theodosius A. 935 post IV annorum intercapedinem. Hic desinit Eutychius, quapropter Successores hinc & inde quærendi. Boschius ad Assemanum conversus, nuda Patriarcharum nomina accepit, cum in Catalogis missis non addita esset Chronologia. Forte id studio fecit, ut gloria non apud alium, sed apud se esset, & perfecta successio in suis Operibus tantum quæreretur. Posuit tamen Theodoretum II & Agapium I, tum porro Christophorum & Theodorum III, quorum prior a Sarracenis interfectus A. 966. Hoc tempore quum Nicephorus Phocas urbem cepisset, Theodorum substituit A. 970, quod Leo Diaconus apud Pagium testatur ad A. 1170 n. 1. Sequitur Agapitus II Episcopus Aleppi in Syria apud Asseman.

T. II

T. II. p. 351, quem Elmacinus Agabium dicit A. 976 ejectus a Basilio Imp. A. 987 & Constantinopoli manere coactus, ideo quod rebellionem Phocæ Bardæ probasset. Ita mansit Constantinopoli usque ad A. 994, quo absente Sardoniæ sive Chirotoniæ per Vicarium quendam Antiochiæ factæ sunt. Hunc excipit in Catal. Asseman. Joannes III, sed absque temporis nota. Nomen extat in Epistola Petri Antiocheni ad Michaelem Cerularium apud Coteleriuın T. II p. 148. In Parergo p. 540 memorat Macarium II, III, Eleutherium ex vita S. Macarii, quam Monachus quidam S. Bavonis composuit A. 1067, quamque Baronius refert A. 1061 n. 15. Dubitavit tamen Henschenius, an non hæc potius Pisidiæ urbs esset. Unde Pagius id aperte negavit ad A. 1011 n. 6, quin imo Henschenius apud Elmacinum alium Agabium reperit, ut hi tres rejici pariter debere videantur. Idem Seculum X Patriarchas Jacobitas habuit, Joannem IV ab A. 910 usque 922, qui Stylitam ante egerat, teste Barhebræo & Barsalibæo: Basilium II, Synodicæ autorem, ab A. 923 usque 935: Joannem V ab A. 936 usque 956, ex Anachoretis Teledæ: Joannem VI Stylitam ab A. 956, qui paulo post obiit: Dionysium III ab A. 957 usque ad 961, cujus variæ epistolæ apud Syros extant: Abraamum ab A. 962 usque 963: Joannem VII ab A. 965 usque 985, a sacco arundineo, quo induebatur, Saryghta dictum, qui a Nicephoro Constantinopolin ductus, hæresique suæ pertinaciter inhærens, in carcerem detrusus, a Zimisca liberatus, in Syriam rediit, vivendique finem A. 985 fecit, Synodicas scripsit, de quibus Renaudotius & Assemanus T. II C. XXI: Athanasium II ab A. 986 usque 1002 aut 1003, de quo accurate Barhebræus egit.

p. 540.

542.

Seculo XI Melchitæ Patriarchas habuere Eliam II & Georgium III, sedentes usque ad A. 1051. Id Assemanus ad Boschium breviter, ob caussas dictas. Et quis improbet? Petrum III A. 1051, qui perquam doctus & eloquens in Epistolis ad Dominicum Patriarcham Gratensem & Mich. Cerularium apud Cotelerium Mon. T. II p. 142. Theodorum IV A. 10 7, quem, ut & alios, ipse Boschius suo cortice natans reddit, cum catalogus Assemanianus hiatum habeat & a Joanne Petri Successore ad Theodorum

dorum Balſamonem tranſiliat, qui A. 1186 Patriarcham egit. Noſtrum igitur Theodorum IV Cedrenus & Curopalata teſtantur A. 1057 ſediſſe. Affuit enim proclamato Imperatori, Iſaaco Comneno. Succeſſit Theodoſius apud Anaſtaſium Cæſarienſem, v. Cotelerius T. III p. 436. Huic Æmilianus ab A. 1087 ſub Nicephoro Botoniata & Nicephorus Maurus A. 1089. Inde Joannes IV, A. 1098 usque 1100, quo tempore Turcis Antiochia erepta fuit. Abiit Conſtantinopolin Latinis inviſus, laudatus tamen a Wilhelmo Tyrio & Alberto Aquenſi, hiſt. Hieroſ. L. V. Oudinus Schiſmaticum vocavit, quam labem ipſi Boſchius demit, ſtercoreque in Oudini faciem conjecto, nihilominus ipſi gloriam Opuſculorum Aſceticorum aufert, & alicui Joanni juniori adſcribenda cenſet. His dictis ſequitur auctuarium de reliquis Patriarchis Græcis Antiochenis, quos Imperatores Conſtantinopolitani, quum Antiochia ſub Latinis eſſet, conſtituere, etſi vel Antiochiam non viderint, vel rebelles Eccleſiæ Romanæ Imperatorum patrocinio fruerentur. Quod Innocentium III movit, ut cenſuris Eccleſiaſticis eos perſequeretur. Horum nomina ſunt Joannes Oxienſis Sec. XII, imperante Comneno: Athanaſius ſub eodem Comneno, apud Cinnamum, 1161: Theodoſius 1180 & Theodorus Balſamon. Hic interruptam ſeriem in Catalogo Aſſeman. proſequitur Boſchius, quanquam neque illa ſit abſoluta, neque exhibeat Euthymium & Arſenium, de quibus Pachymeres. Theodori Balſamonis usque ad A. 1203 ſedentis ſucceſſores ſunt Dorotheus, Simeon Julianus, Athanaſius David, Cyriacus Dionyſius, Joannes, Marcus, Ignatius, Michael, Marcus alter, Pachomius Nilus, Michael ſub Tamerlane, Pachomius, Marcus, Joachimus, Dorotheus in Concilio Florentino, Michael, Marcus, Joachimus, Gregorius, Michael, Dorotheus, Michael alter, Dorotheus alter, Joachimus, Michael, Joachimus alter, Michael, Joachimus alter, Joachimus Benzajade, Dorotheus, Athanaſius, Ignatius, Cyrillus, Euthymius Carme, Eutychius Chius, Macarius Alepenſis, Cyrillus, Athanaſius Damaſcenus A. 1724, a quo Catalogum accepit Aſſemanus.

Seculo XI Patriarchæ Jacobitæ fuerunt Joannes VIII A. 1004, qui ineptus officium ſuum Davidi Syncello commiſit, ordinavit

navit Episcopos XLVII, accusatus a Nicephoro Meleteniota, Constantinopolin citatus, in monasterium Caji apud Bulgaros relegatus, obiit A. 1029. Dionysius A. 1033 usque 1043 sedem extra dominium Imperatoris Græci constituit. Joannes ab A. 1049 usque 1058, de quo Assemanus & Renaudotius, Athanasius VI A. 1058 usque 1064, post quinque annos depositus, inque monasterium detrusus, Constantinopolin ducendus obit. Joannes X 1064 usque 1073 viginti Canones de disciplina Eccles. condidit. Basilius II 1074 usque 1075 invitus sedit, ut & sibi ideo barbam abraderet. Joannes XI intrusus. Dionysius V A. 1077. Joannes XII, 1086 usque 1088. Dionysius VI intrusus per annos VI, electus post annum obit 1090. Athanasius VII A. 1090 usque 1129, qui & Abulpharagus appellatur.

Seculo XII Patriarchæ Antiochenses Latini: Bernhardus Joanni IV suffectus A. 1100, patria Valentinus. Id vero contra pacta cum Alexio Comneno factum. Sedit ad usque 1136. Hinc Radulphus, militaris ingenii, Antiochi potius quam Petri æmulus, ob superbiam & ambitionem depositus A. 1142, inque custodiam datus, sed elapsus Romam adit, ibique moritur. Aymericus Lemovicensis A. 1142, illiteratus, in Radulphum Promotorem ingratus, qui ut varias injurias a Rainaldo Principe Antiocheno pertulit, ita stragem a Saladino Syriæ illatam senex vidit A. 1187. Radulphus II sedit usque ad 1201. Idem Seculum Patriarchas Jacobitas habuit Joannem XIII ab A. 1130 usque 1137. Athanasium VIII ab 1138 usque 1166; Michaelem I sive Magnum ab 1166 usque 1199, Virum eruditum, decorum, venerabilem, voce sonorum, libris editis clarum, quos Assemanus recenset.

Seculo XIII Patriarchæ Antiochenses Latini fuere: Petrus I, a Comite Tripolitano Raynaudo in carcere enectus, v. Innocentius III Lib. XI Ep. CX; Petrus II A. 1209, Innocentio III laudatus, usque ad A. 1215; Rainerius, electo Pelagio Albanensi recusante, Petro Capuano substitutus, A. 1219 usque ad 1226. Elias Robertus 1239 successisse dicitur, is est Albertus, qui Rainerium excepit usque ad A. 1246. Mox Christianus, a Sarracenis interfectus A. 1268, quo anno urbs a Soldano capta excisaque fuit.

In

In Appendice Seculi XIII Patriarchæ Antiocheni Jacobitæ recensentur: Athanasius IX ab A. 1199 usque 1207. Michael II, invasor, ab A. 1200, usque 1215, plerisque invisus. Joannes XIV ab A. 1208 usque 1220, cognomento Scriba, statura pusillus, solitudinis amantior quam dignitatis, bisque Episcopatum fugiens, Synodicam misit ad Joannem Patriarcham Alexandrinum. Ignatius II ab A. 1222 usque 1253. Dionysius VII, qui ut Aaron inter cancellos altaris misere trucidatus a Sergio Monacho A. 1261. Joannes XV A. 1253 usque 1263, summis infimisque gratus. Ignatius III, ab A. 1264 usque 1282, ex hydrope obiit. Ignatius IV ab A. 1283 usque 1292. Ignatius V ab A. 1293 usque ad 1332, quem duo ejusdem nominis, Ignatius Michael & Ignatius Constantinus excipiunt. Tandem opus universum finitur Auctario Patriarcharum Antiochenorum Jacobitarum, qui Seculo XIII posteriores extiterunt, usque ad nostra tempora, quorum nomina etiam apud Assemanum habentur in Catalogo, quem cum Tomo II Bibliothecæ Orientalis edidit Romæ A. C. 1721.

HISTORIE DU TIMUR BEC.

h. e.

HISTORIA TIMURI BEGI, QUI EUROPÆis nomine Tamerlanis innotuit, lingua Persica scripta a CHEREFEDDIN ALI, autore coævo; in Gallicum sermonem translata a PETIS LA CROIX.

Tomi IV.

Delphis, apud Reinier Boitet, 1723, 8.
Alph. 2 plag. 15 Mappæ Geogr. 4.

Historiam Orientalium Regnorum vulgo apud nos non solum minus cognitam, verum & plane neglectam esse, res ipsa loquitur. Cujus neglectus causa non tantum ignorantia linguarum exoticarum orientalium, imprimis Arabicæ, indeque nata raritas librorum illorum, sed etiam absurda quædam & socordiæ plena persuasio, in scholis puerilibus imprudenter hausta, & cum plerisque, qui puerilibus studiis per totam vitam occupantur

tur, consenescens, quasi sola Romana vel Classica historia omnia exempla prudentiæ & magnorum eventuum complecteretur, & ad constitutionem politicam orbis terrarum cognoscendam sola sufficeret; cum e contrario ad præsentem statum orbis politici, & imperiorum in eodem maximorum, ortusque, incrementorum & jurium eorundem cognitionem, historiæ orientales, æque ac aliæ historiæ medii ævi Europæarum gentium, multo plus re vera conferant, quam remotarum istarum rerum notitia, exempla etiam virtutum & fortitudinis scientiæque bellicæ & magnorum eventuum æque multa imo plura atque illustriora in istis occurrant. Non negabit id, quisquis hanc quam in manibus habemus, leget Timuri seu Tamerlanis Historiam omnium maxime fide dignam, cujus Autor est *Moulla Scherefeddin Aly Yezdensis*: ut annotavit *Hadgi Calfa*, Turca modernus, in Bibliotheca sua Orientali, qui & meminit, eum præliminaria præmisisse, historiam *Oulovidorum*, sive tribuum, quæ *Zagatay* Canum in regionem ipsi a Patre *Gingbiz Cano* attributam secutæ fuerant, & seriem principum *Zagatayæ* usque ad Timurum Begum exhibentia. Principem inter historicos, qui Timuri vitam conscripserunt, hunc esse, ex eo liquet, quod edidit librum *Chirasi* Persiæ urbe, jussu *Ibrahimi*, qui nepos Timuri fuit ex *Charoko*: unde & in II & III parte operis, quæ tamen hic Gallice versa non comparet, de *Charoki* & *Ibrahimi* factis exposuit: præterea vero, quod ipse testatur, se eam concinnasse ex commentariis ipsius *Timuri*, cui moris fuerit, omnium factorum suorum historiam, ab ipsis ducibus, qui rebus gerendis interfuerant, exhibitam, in unum corpus colligere, & Secretariis suis dictare. Interpres vero hujus historiæ est *Petis de la Croix*, qui a Franciæ Rege Ludovico XIV ad addiscendas linguas orientales liberali cum stipendio missus in orientem, dein variis negotiis cum Rebusp. præcipue Africanorum piratarum tractandis adhibitus, prudentiam Regi fidemque, & singularem illarum linguarum scientiam probavit, ac postremo Professionem linguæ Arabicæ in Collegio Regio ornavit. Atque hic quidem *Ispahani* copiam hujus Autoris nactus, jussu Colberti ejus versionem orsus est, primo ad verbum magis exprimendo flores & elegantias eloquentiæ Persicæ, dein, cum castigatiori eloquentiæ assuetis auribus eam ingratiorem deprehendisset, no-

vam concinnavit, ſenſum potius quam verba referentem. De cujus quoque operibus aliis longo catalogo recenſitis dicere non abs re eſſet, ſi id brevitas inſtituti noſtri pateretur; unde ſolum *Hiſtoriam Genghiz Cani*, qui maximam fere poſt hominum memoriam *monarchiam Mogolico-Tartaricam* condidit, ejusque ſucceſſorum usque ad Timuri tempora, itemque *Bibliothecam Orientalem Hadgi Calfæ, Cadi* vel *judicis Conſtantinopolitani*, longe ab Herbelotiana diverſam & luculentum eruditionis Orientalium ſpecimen præbentem, memoraſſe ſuffecerit.

Quantum vero ad hanc vitam *Timuri*, patrem ejus fuiſſe memorat Noſter *Tragai* Principem, matrem *Tekinam Catun*, ejus uxorem legitimam. Nobilitas generis avita fuiſſe dicitur, deſcendens a *Toumene Kaw*, regiæ adeo dignitatis viro, ex iis, qui cum *Zagatay Cano* in Tranſoxiana provincia ſedes acceperant. Patrem tenuiſſe principatum *Kecb*, cum præfectura 10 millium militum ei annexa, quem tamen ſponte agnatis ex gente *Berlas* ceſſerit vel integrum vel ſocietatem ejus. Editus eſt anno *Hegiræ* 736 vel anno Chriſti 1336 in villa *Sebz* prope *Kecb*. Nomen ejus *Timur* ferrum notat, cui adjectum *Beg* dignitatis Principalis indicium. Ex quibus vocibus conflatis & ſyllaba *Beg* in *Lanc*, quod notat claudum, more Orientalibus ſolenni mutata, *Tamerlanem* formarunt. Quo tempore natus eſt, regnabat in Zagataya *Sultan Caſan*, vigeſimus primus ſucceſſorum *Zagatay Cani*, qui ob tyrannidem a *Mir Cazagano* dejectus & cæſus eſt, in cujus locum hic ſubſtituit Beyan *Couli Aglenidam*.

Non memorabimus hic, quibus artibus ſummam rerum ſibi conciliaverit *Timurus*: ſufficiet annotaſſe, eum A. C. 1359, ſublato æmulo *Huſſaino* (cum quo antea varias expeditiones ſusceperat) ſummum *Zagatayæ* imperium, titulumque *Saheb Cajan* i. e. Imperatoris Sæculi & Victoris mundi obtinuiſſe. Mature quidem bellis nonnullis laceſſitus, cum omnia in illis ex voto geſſiſſet, ad majora audenda converſus, A. 1370 *Herati* vel *Heræ* regulum, ad comitia vocatum, nec parentem, cum exercitu aggreſſus eſt. *Mazanderani* principem ut ſe imperata facturum promitteret, adegit. *Kelati* regulum, aliquoties ſupplicem, ſed in fide non manentem, angulo urbis ſuæ incluſum tenuit, donec ſe ipſi traderet captivum. Unde armis in *Siſtanum* verſis, regnum

uni-

universum cum urbibus *Bost* & *Sistan Zere* sui juris fecit, turresque passim ex hostium & rebellium corporibus adhibita calce exstruxit, & *Ouganianis* in itinere deletis, ac *Candabare* occupata, Samarcandam rediit. Post varias deinde expeditiones alias feliciter susceptas, propagandæ religionis Muhammedicæ prætextu, A. 1376 in Christianos *Georgianos* arma convertit, *Teflisio* expugnato, & rege *Hippocrate* capto, imo *Schirvani* & *Gilani* principibus certatim se dedentibus. Filium quoque Persiæ regis defuncti *Zeni Elabeddin* ad se arcessit, tanquam commendatitiis patris literis in ipsius clientelam deditum; qui cum venire recusaret *Elabeddinum*, arma Timuri in se convertit. *Ispabano* porro ultro se dedente, propter seditionem mox exortam in cives exiliis sævitum 1387. Rex ipse ad præfectum *Tostari* consanguineum effugit, a quo in vincula conjectus. Principes *Yerda*, *Lara*, & plurimi ex *Carmania* ultro se dedunt. Hinc consilium cepit extirpandorum plane Getarum; quorum ingentem numerum cepit, terram vastavit. Deinde expeditionem in *Capchac* anno 1390 suscepit, & deprecante, etsi non serio, *Focatmicbo* cum exercitu progressus, & e monte *Olouc Tac* vastissimam planitiem viridantem sed plane desertam prospiciens, eam sibi asseruit, & in ejus rei memoriam obeliscum cum inscriptione dedicavit. Tum in maximo illo deserto progressus, summamque annonæ penuriam passus, venatione integri exercitus instituta, quam *Gerke* vocant, (ubi omnis exercitus circulo facto totum tractum cingere solet) & infinito bestiarum numero concluso, inopiæ consuluit. Hinc variis victoriis, magnaque Arabiæ parte, urbibus imprimis, *Bagdado*, unde artifices omnes in sedem suam Marcandam migrare coegit, & *Ameda*, cujus mœnia ante 4300 annos structa perhibebant, potitus, Georgiam iterum petiit, & *Focatmicbum*, cujus ibi copias offendit, A. 1395 cruento prælio superavit. Inde ut famam suam in occidente latius spargeret, ad *Borysthenem* movit, universamque *Russiam* & *Moscoviam*, *Russiam* quoque *minorem* vastando pervagatus, *Tanaida* convertitur, ubi omnes Christianos necavit, Muhamedanis servatis. *Cubanum* porro progressus, *Circassiamque* omnem populatus, silvisque cæsis transitum sibi faciens, per montem *Alburz* in Georgiam descendit, statuisque ac templis Christianorum omnibus vastatis, *Astra-*

canum, cujus Præfectum proditionem moliri acceperat, & *Saχai*, primariam *Capebaci* ſedem, ejectis civibus, ſolo æquat; e contra, patratis aliis facinoribus, *Achiram* caſtellum ad limites Chinæ inſtaurat & incolis inſtruit. Interea cum nepos ejus, quem *Candahara* & vicinis provinciis præfecerat, occaſione captata, quod fratres bini, *Fironzo* rege mortuo, rerum ſummam ad ſe traxiſſent, conſtituto nominetenus ſaltem Rege, nepote Fironzi, *Mahmoudo*, eos in *Delly* & *Multane* reſidentes bello aggreſſus eſſet, *Timur*, probato inſtituto, & deſiderio religionis Muhammedanæ propagandæ, & meritum expeditionis ſacræ, quam *Gazie* ipſi vocant, acquirendi ductus, in Indiam movet. Hic *Batnir*, urbe munitiſſima, cum numero infinito eorum, qui eo confugerant, capta, ac *Multane* per nepotem ſubacta, ad *Delly* acceſſit, propeque eam prælio ſuperato *Mahmoudo*, urbem nullo negotio occupavit, quam milites ejus, orta inter cives diſcordia, diripuerunt. Cives urbis *Mirthe* durius habiti, omnes enim vivi excoriati. Inde ad *Gangem* progreſſus, noctu lucentibus facibus eum ſuperans, alium regulum *Mobarek* vicit. Anno 1399 Samarcandam redux, cum comperiſſet de alienatione mentis, in quam filius *Miran Chah* inciderat, in *Atropanenſem* provinciam mox iterum profectus eſt. Ibi omnes, qui voluptatibus filii inſervierant, Muſicos & Poetas, quamvis excellentiſſimos, ſuſpendio necavit. Iterumque Georgianis Chriſtianis infenſus, *Cyro* fl. trajecto, media hyeme eos afflixit, vitesque omnes extirpavit, religionis Muhammedicæ amore. Hinc bellum inter *Timurum* & *Bajazethem* conflatur. Cauſa belli, quod Bajazethes ſucceſſibus inflatus, cum *Sebaſten* & principem ejus in ſuam poteſtatem redegiſſet, & *Malaticum*, quæ Syrorum fuerat, cepiſſet, etiam *Aſzendgiana* principem, qui pridem ſe Timuro permiſerat, ad imperata facienda evocaſſet. Literis ergo acerbiſſimis ad eum ſcriptis, Timur, ut cœptis abſiſteret, monuit: quibus nihil reſpondit Bajazeth, niſi quod dudum in votis habuerit cum eo bello contendere. Timur exercitu per *Arzerum* & *Arzendgian* ducto, Septembri menſe A. 1400 Ottomannicas terras ingreſſus, & *Sebaſten* machinationibus, aggeribus, cuniculis & igne Græco infeſtans, cives ad deditionem faciendam compulit: equitibus præſidiariis *Bagazethi* in puteos conjectis & necatis. Poſt *Malatiam* cepit,

cepit, & cum *Bajazethes* hactenus ausus non esset in campo comparere, arma in Ægypti Sultanum, in quem veteris iræ causas habebat, convertit, deprecantibus licet & dehortantibus suis. Captis tamen, ut Noster testatur, plurimis urbibus, *Aleppum* accessit, qua urbe Syri egressi infelix prælium commisere, urbsque ipsa capta & crudeliter direpta, castellum quoque vi ad deditionem adactum. Quo facto *Emessam*, *Balbecum* ac tandem *Damascum* accessit media hieme, copiis interea ejus universam Phœnicem Syriamque populantibus. Et quamvis Ægypti Sultanus Damascum advolasset, ac specie legatorum sicarios immisisset Timuro, evasit is tamen eorum insidias, urbemque deditione cepit, & arce cuniculis subruta igne cremavit: sola ab incendio servata turricula, quam *Minaretum* vocant, ea ipsa, in quam descensurum esse *Jesum Christum*, cum venturus sit ad vivorum mortuorumque judicium, stolide fabulantur Muhamedani. Inde e Syria ducens super *Euphratem* per *Mesopotamiam*, & *Tigri* apud *Mussel* superato, *Bagdadum* iterato obsedit, æstate æstuosissima, militibusq; sudore fere diffluentibus. Hic cum æstus causa cives in domos se recepissent, & in stationibus fallendi hostis causa pileos & cassides suspensos reliquissent, urbs vi capitur, infinitus civium numerus mactatur, ex capitibus cæsorum 20 turres excitantur, urbs, solis templis servatis, solo æquatur; quam tamen aliquot annis post Timur religione ductus restituit. Hinc etsi reconciliatus esset pace cum *Bajazetho*, mox tamen novis ejus injuriis A. 1401 irritatus, ultimam contra eum expeditionem suscepit, & *Kemaco* castello in itinere capto, exercitum ad *Sebasten* duxit. *Bajazethes* interea *Tocatum* venerat cum exercitu; Timur vero *Cæsaream* se converterat ac inde *Kirchcheram*; quo cum quoque *Bagazethes* accessisset, Timur præterito illo *Ancyram* versus movit, præ se ferens, in animo sibi esse hostis regionem vastare, & peditatum ejus fatigare. At dum *Ancyram* obsidere incipit, propere accurrit *Bajazethes*, atque adeo decretoria committitur pugna A. 1702 Cal. Julii. Exercitum *Timuri* & ejus alas ducebant filii & nepotes, *Bajazethis* quoq; exercitum filii & affinis, uxoris frater, quem *Pesir Laus* vocat Autor, regebant. Sed hic ipse statim sub initium pugnæ cæsus sinistrum in exercitu *Bajazethis* omen præbuit. Furtuna jam inclinante, *Bajazeth* cohortes quasdam Timuri colle, quem tenebant, dejicit, ibi vero exercitus sui fugam prospiciens, terrore correptus &

& ab ipso dein Timuro oppugnatus, postquam per integrum diem fortiter restitisset, fugere tentat, sed retractus, manibus ligatis, ad Timurum adducitur. Quem cum conspiceret Timur, solvi illico compedibus & secum assidere jussit, objurgans eum humaniter, nec inhumaniter ejus excusationem accipiens. Quin petenti *Bajazethi*, ut filii sui *Musa* & *Mustafa* requirerentur, annuit; solus tamen *Musa* adductus est. Bajazethem exinde honesta regiaque custodia habitum fuisse, diserte Autor testatur, ut adeo explodantur facile fabulæ, quæ de dura ejus captivitate circumferuntur. Universam inde Anatoliam vastando pervagatus exercitus Timuri, *Yenichebera Bajazethi* uxorem quoque *Destinam* cum duabus filiabus cepit, quam *Bajazethi* remisit *Timur* ea conditione, ut illa quæ, Serviæ quippe Despotæ filia, fidem Christianam etiam in Gynæceo Bajazethis servaverat, Muhammedismum amplecteretur. *Caramano*, qui per duodecim annos in vinculis Bajazethis fuerat, præfecturam Caramaniæ cum *Iconio, Larenda, Acserai, Anzarya, Alaya* concessit; Bajazethem vero, ad epulas solennes & festivitates aulicas invitatum, præfectura universæ Natoliæ investitum, corona aurea & sceptro ornavit. Post in Ægyptum legatos misit, postulantes, ut *Atelmich Vani* præfectus restitueretur, moneta *Timuri* nomine signaretur, & in precibus publicis nomen ejus recitaretur; quod impetrasse eum, infra docemur. Mæandrum transgressus usque ad *Fire* urbem, accepit de *Smyrna Ezmir*, eam teneri a Christianis, a quibus Muhammedani vexentur multis modis, esseque munitissimam, sæpius a *Bajazetho* & semel per integrum septennium frustra obsessam. Zelo itaque religionis ad eam oppugnandam conversus, dum Smyrnenses universæ Europæ Principum opem per legatos implorant frustra, urbem media hyeme 6 Dec. 1406 aggressus, more suo, id est, omni arte militari, cuniculis, igne Græco, arietibus (ingentem enim artificum, qui hæc agitabant, nos *Ingeniarios* diceremus, numerum semper secum habebat) nondum absoluto duarum septimanarum spatio, cepit, diruit, cunctis civibus cæsis, ædibus destructis, materia omni in mare abjecta; adeo ut copiæ auxiliares, paulo post navibus ex Europa advectæ, nullis vestigiis urbis deprehensis, obstupescerent. *Chii* insulæ princeps *Soba* ultro se dedit; *Phocæam* pariter a Christianis infessam aggressurus Timur, sponsione tributi mitigatur. Inter hæc *Bajazeth* apoplexia moritur A. 1403, cujus mortem lacrymis pro-

Profecutum esse Timurum, refert Autor. Ceterum cum in illo tractum *Tartaros, nigros* dicunt, incidisset, qui ibi inde a temporibus *Hulacon Cani*, & postremo in clientela *Bajazethi* fuerant, eos omnes, familiarum nempe 30 vel 40 millia, deduxit ad regionem Getarum, a se quondam vastatam, incolendam. Exinde contra *Gourghin* Regem Georgiæ, quod præsentem se sistere recusaret, denuo grassatus, castellum *Cortene*, quod inexpugnabile creditum, capit, terras, templa, monasteria crudelissime vastat, nec desistit, donec legis Mahummadicæ doctores, a Rege corrupti, persuaderent Timuro, legibus Alcorani hoc injungi, ut qui ad tributum annuum pendendum consensissent Christiani, cetera a vexationibus immunes essent. Unde pecunia, quæ ipsius nomine signata erat, accepta, exercitum deduxit, & post 7 annorum absentiam Samarcandam rediit, A. 1404. Ibi legati eum accesserunt tum *Capebaci*, tum *Ægypti* Regum, tum imprimis Castellæ Regis; notatque Interpres, relationem hujus legationis Hispanico sermone editam extare, quæ mire cum Autoris nostri historia conspiret, non nisi in levibus nonnullis circumstantiis diversa. Nuptiis dein nepotum suorum summa magnificentia per duos menses celebratis, expeditionem in Chinam destinat Timur, eo animo, ut facta hac expeditione contra Idololatras suscipienda, atrocius in superioribus bellis gesta expiaret. Sed ea illi postrema & fatalis exstitit. Ingressus est illam media hyeme A. 1405, frigore adeo sævo, ut homines æque ac belluæ membris mutilarentur; jamque fluvium *Jaxartem* glacie constrictum superaverat & *Otrarem* venerat, cum febri ardente correptus eodem anno Cal. April. animam efflavit, prius hærede dicto *Pir Mehemmed Gehanghir* nepote, qui ex primogenito ejus filio genitus, omnium, qui ex ea familia superstites erant (uno excepto *Miran Chan*, qui ob mentis deliquium a Regno arcebatur) natu maximus erat. Enimvero, ut ex sequentibus patet, hujus *Mirani* filius *Calil*, exercitu sub specie prosequendæ expeditionis Chinensis potitus, & absentia *Gehanghiri* illius, qui tum in *Candahara* hærebat, usus, Samarcandam, quo Timuri corpus delatum, petit & diffugienti illinc reliqua Timuri familia, a præfecto urbis recipitur, regnumque auspicatur, *Gehanghiri*, hæredi testamentario, solo *Cani Tartariæ* titulo relicto. Is vero ut erat ignobilis & concubinæ amori obnoxius, quæ, vivo etiam Timuro, suis artibus effecerat, ut uxores Timu-

Timuri & concubinæ vilis conditionis hominibus vel invitæ collocarentur, quo magis ipsa illis exæquaretur; ita effusa prodigalitate immensas opes, a Timuro relictas, intra quadriennium absumpsit. Hæc de gestis *Timuri*, cui Autor descriptionem universæ familiæ ejusdem, qualis eo decedente fuerat, numero 36 virilis, fœmineique sexus 17, subjungit. Atque ita vitæ Timuri recensione defuncti videbimur: superest, ut de moribus ejus aliisque rebus memorabilibus pauca annectamus. Patronum & promotorem artium atque scientiarum maximum fuisse Timurum, ex eo apparet, quod & doctos viros semper secum habuerit, quibuscum frequenter confabulatus, & undique conquisitos curiosarum operarum artifices Samarcandam deduxerit. Magnificentiam ejus loquuntur palatia & hospitalia splendidissima. Scientia vero bellica eum omnibus suæ ætatis, Europæis quoque, Principibus longe præstitisse, ostendunt tot expugnationes urbium per cunicularios & ignis Græci artifices promotæ, plane secundum regulas artis, tum temporis ne quidem Europæis satis cognitæ. Sævitiam quidem & severitatem ejus in infligendis imprimis pœnis nemo excusaverit, ne quidem ipse Autor, etsi in gratiam nepotum ejus scripserit, judicat tamen Noster, perditissimo statui earum regionum forti atque acri medicina opus fuisse. Sed amorem quoque justitiæ administrandæ singularem docent tum plurima exempla, tum ipsum ejus symbolum, quod annalibus inscriptum habuit: *Rusti Rasti*, quod idem est ac si dixeris: *In recto decus.* Cum prælia iniret, adeo religiosis & humilibus ad Deum precibus usum fuisse, ex Autore apparet, ut magis aptæ vix ex ore Christiani proficisci potuerint. Humanitatis quoque subinde exempla dedit, e. g. cum Ysouf Sosio, quamvis a se obsesso, peponum primitias dono misit, quas hic quidem, nullo Timuro responso dato, in fossam urbis projecit. Ceterum possent & alia curiosa circa mores harum gentium ex Autore nostro afferri, qualia sunt: usus caudæ equinæ Zagatayensibus æque ac Turcis familiaris pro insigni bellico, cum Persæ potius vexillis utantur; mos dona numero novem Regibus Tartaricis offerendi; privilegium singulare bene meritis principibus vel ministris regiis tributum, novies scilicet impune peccandi, idemque in 7 usque generationem prorogatum; mos item omnia consultis Astrologis agendi; unde & Timur horas expeditionum, palatiorum fundandorum, & similium actionum legere curasse, memoratur. Denique etiam Chronosticha, quæ vocamus, imprimis ad harum gentium palatum esse, e variis locis Autoris intelligitur.

(o)

ACTORUM ERUDITORUM,

Quæ Lipsiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. IX Sect. III.

COLUMNÆ MILITANTIS ECCLESIÆ, sive sancti & illustres Viri, Eremitæ primi, Anachoretæ, Ordinum regularium institutores, propagatores, reformatores, æneis figuris excusi, elogiis dilaudati. Cum permissu Superiorum.

Noribergæ, sumt. Viduæ Christoph. Weigelii, 1725, fol. Alph. 1 pl. 2 Icones 88.

QUi celebriorum ex antiquitate Virorum imagines, ex lapidibus, gemmis, nummis, aliisve fide non indignis monumentis curiosorum exhibent oculis, adeo hac tempestate non in vanum laborant, ut potius magnus eorum inveniatur numerus, qui his delitiis oculos animosque pascunt; licet vel ipsi iconum collectores de αὐθεντίᾳ imaginum lectorem suum non semper usquequaque certum reddere queant. Eandem quoque fortunam sibi forte polliceri poterit hujus collectionis Cl. Autor. Effigies 88 affabre factas curiosorum sistit obtutui, & deinceps non sanctorum vel illustrium suorum Virorum historias, sed, ut ipse appellat, elogia, eaque certis inscriptionibus concepta, exhibet. Nec inficiatur, se in his condendis secutum esse autoritatem Actorum Sanctorum, Surii, Ribadeneiræ ejusque continuatoris, item Ph. Bonanni, Ramböckii, Caroli de Arenberch, Aug. Sartorii, Ge. Josephi Eggs, & similium Autorum. Sancti autem illustresve Viri hoc quidem se excipiunt ordine: 1) S. Elias, Propheta.

 2) S. Joh.

2) S. Joh. Baptiſta. 3) S. Petrus; in cujus elogio paulo nimis Rhetorica viſa ſunt iſta in initio: *Obſtupeſcite cœli & terræ, quia gratis venumdati eſtis a Creatore veſtro: qui vos ſpiritu oris ſui creavit: ſuo in vos dominio ſe abdicavit;* & quæ paulo poſt ſequuntur: *Age nunc, Lector, & pronus Petrum venerare,* DIVINÆ OMNIPOTENTIÆ METAMORPHOSIN. 4) S. Cyriacus, Ep. Hieroſ. qui ordini cruciferorum initium dediſſe fertur. 5) S. Chariton. 6) S. Paulus Ægyptiacus, primus Eremita, quem Noſter cum Paulo Apoſtolo confert. 7) S. Antonius, vitæ cœnobiticæ in eremo fundator. 8) S. Pachomius, Tabenneſionitarum monachorum pater. 9) S. Macarius Ægypt. Eremita. 10) S. Baſilius, magnus ille vitæ monaſticæ reformator. 11) S. Auguſtinus, non minor Eccleſiæ Pater, qui ſui ordinis fundator creditur. 12) S. Hieronymus, immortalis nominis monachus Bethlehemiticus & S. Scripturæ interpres. 13) S. Honoratus, monachorum Lerinenſium inſtitutor. 14) S. Sabdas, Cappadox. 15) S. Benedictus, monachorum in occidente parens. 16) S. Oddo, Cluniacenſium autor. 17) Beatus Soror, Senenſis, Fratrum S. Mariæ inſtitutor. 18) S. Romualdus, Camaldulenſium pater. 19) Ludolphus, qui congregationem S. Columbæ de Avellana inſtituit. 20) S. Stephanus Arvernus, ordinis Grandimontenſis fundator. 21) S. Joh. Gualbertus, ordinis Vallumbrenſis inſtitutor. 22) Gaſto, ordinis S. Antonii de Vienna fundator. 23) S. Bruno, Germanus, Carthuſianorum parens, qui noſtro eſt bis Germanus, natalibus & virtute. 24) S. Ivo, diverſorum ordinum Canonicorum parens. 25) S. Robertus, qui Ciſtercienſes inſtituit. 26) S. Albericus, Ciſtercienſis. 27) S. Stephanus, Ciſtercienſis. 28) S. Robertus de Arbriſſello, autor ordinis fontis Ebraldinenſis. 29) S. Johannes de Mathera, ord. Pulſanenſis fundator. 30) S. Guilielmus Vercellenſis, ord. Montis S. Virginis pater. 31) S. Norbertus, Archi-Epiſc. Magdeb., Præmonſtratenſium fundator. 32) S. Bernhardus, Abbas Clarevallenſis, Bernhardinorum autor. 33) S. Guilielmus, e Duce Aquitaniæ fundator ord. Guilielmitarum. 34) S. Joh. Oldratus de Meda, ord. Humiliatorum autor. 35) S. Joh. de Matha, qui ord. redemptionis captivorum inſtituit. 36) S. Felix de Valois, qui ord. S. Tri-

Trinitatis condidit. 37) S. Guilielmus, Abbas Roschildensis, qui Canonicos reformavit. 38) Innocentius III Papa Rom. qui congregationem Regularium Sacerd. Spiritus S. in Papia instituit. 39) S. Albertus, Patriarcha Hierof. ordini Carmelitico regulam præscribens. 40) S. Franciscus, ordinis Franciscanorum stator. 41) S. Dominicus, Prædicatorum sive Dominicanorum parens. 42) S. Petrus Nolascus, qui erexit ord. B. V. de Mercede. 43) B. Bonfilius, ord. Servorum B. M. V. institutor. 44) S. Philippus Benitius, ejusdem ordinis. 45) S. Silvester, Silvestrinorum conditor. 46) S. Petrus de Morono, dein Cœlestinus V Papa Rom. congregationis S. Damiani autor. 47) Tobias, congreg. Fratrum Laicorum, Cellitarum, institutor. 48) S. Nicolaus Tolentinas, Augustinianus Eremita. 49) B. Robertus Salentinus, Cœlestinorum reformator. 50) S. Bernardus Ptolemeus, qui congregationem fratrum S. Mariæ montis Oliveti instituit. 51) S. Joh. Columbinus, ord. Clericorum regul. Jesuatorum autor. 52) Petrus Ferdinandus, Eremitarum S. Hieronymi conditor. 53) Gerhardus Magnus vulgo Groot, Belga, qui congregationem clericorum vitæ communis erexit. 54) B. Petrus Gambacurta, Hieronymitanorum parens. 55) Carolus Granellus, Rhedonus & Gualterus, congregationis Fesulanæ auspicatores. 56) Lupus de Olmedo, Longobardicæ congregationis autor. 57) Alexander Crivellus, Albertus Besozzi & Antonius Petrasancta, ordinis Barnabitarum reformatores. 58) S Laurentius Justinianus, ord. Canon. Secul. S. Georgii in Alga reformator. 59) S. Franciscus de Paula, fundator ordinis Minimorum. 60) Joh. a Popula, provinciæ Angelorum fundator. 61) Matth. de Bassio, Capucinorum autor. 62) Hieron. Malusellus, qui instituit congregationem boni Jesu ac S. Margaritæ. 63) S. Cajetanus, qui ordin. Theatinorum erexit. 64) Antonius Zaccaria, Barthold. Ferrarius, & Jac. Ant. Morigia, qui congreg. Cler Reg. S. Pauli, seu Barnabitarum fundarunt. 65) S. Ignatius de Loyola, Soc. Jes. fundator. 66) Hieron. Æmilianus, Cler. Regul. Somaschensium conditor. 67) S. Joh. de Deo, autor ord. de hospitalitate seu fratrum de Misericordia. 68) Bernhardinus Rubianensis, Eremita, Coloritorum pater. 69) S. Petrus de Alcantara,

 ordinis

ordinis Reformatorum parens. 70) Ludovicus Blosius, Abbas Lætiensis, Benedictinorum reformator. 71) S. Philippus Nerius, qui congregationem Oratorii instituit. 72) Joh. Leonardi, qui congr. Cler. Reg. Matris Dei erexit. 73) Joh. la Barriere, qui Congreg. B. Mariæ Fuliensis in Gallia, & congr. reformatam Monach. S. Bernhardi in Italia dedit. 74) S. Carolus Borromæus, Cardinalis, Archi-Ep. Mediol. & fundator congreg. oblatorum S. Ambrosii. 75) Bernardus Alvarez, fratrum charitatis S. Hippolyti autor. 76) Matthæus Guerra, congreg. clericorum sacrorum clavorum parens. 77) Camillus de Lellis, qui congreg. Cler. Reg. spe supernæ mercedis gratis ministrantium infirmis instituit. 78) Augustinus Adornus, Cler. Regul. Minorum congregationis conditor. 79) B. Joh. a Cruce, Carmelitarum reformator. 80) Thomas a Jesu, ord. strictioris discalceatorum Eremit. S. Augustini autor. 81) Cæsar de Bus, congreg. Patrum de doctrina Christiana fundator. 82) J. Baptista a Conceptione, qui novam discalceatorum familiam peperit. 83) Petrus de Berulle, congreg. Oratorii Domini nostri Jesu Christi parens. 84) Josephus a Matre Dei, qui religionem Cler. Reg. pauperum Matris Dei Scholarum piarum erexit. 85) S. Franciscus de Sales, ord. Sanctimonialium de visitatione B. M. V. institutor. 86) Carolus Caraffa, piorum operariorum congregatione instituta clarus. 87) Vincentius de Paulis, congreg. Clericorum de missione autor. 88) Petrus Betancur a S. Josepho, congreg. fratrum Laicorum Bethlehemiticorum fundator. Hi sunt, qui gestu omnes devoto depicti repræsentantur, quos deinde duplici indice, primo quo ordine se in libro excipiant, tum Alphabetico, repetit Autor, tandem indicem Ordinum ipsorum subnectens, quos Viri illi vel instituerunt, vel reformarunt, vel illustrarunt.

JAC. HYACINTHI SERRY, ORD. PRÆD. Doct. Sorbonici & in Academia Patavina Primarii S. Theol. Professoris, Divus Augustinus Divo Thomæ ejusque Angelicæ Scholæ conciliatus in quæstione de gratia primi hominis & Angelorum.

Pata-

Patavii, typis Seminarii, apud Jo. Manfrè, 1723, 8.
Pl. 13½.

QUi post editam Congregationis de auxiliis gratiæ Historiam, eandemque adversus Germontium & Metzenium assertam, (vid. Acta nostra A. 1700 p. 337, & A. 1703. p. 118 - 124) de Augustino bene mereri voluit, & *Augustinum a calumnia vindicatum*, A. 1704, 8 orbi eruditorum exposuit Autor celeberrimus; jam hoc opusculo non de Augustino solum, sed etiam de Thoma bene mériturus, Augustinum in quæstione de gratia primi hominis & angelorum, sive de efficacia gratiæ in statu integritatis, Divo Thomæ ejusque Angelicæ Scholæ conciliatum exhibet. Hos ipsos enim, Augustinum & Thomam, prædestinationis & gratiæ summos prædicat in epistola dedicatoria ad Danielem Delphinum Episcopum Aureliano-Politalensem Magistros, a Deo ecclesiæ datos; quos tamen veritatis Magistros esse non posse fatetur, nisi in tradenda divinæ gratiæ doctrina unam eandemque habuissent sententiam, cum veritas aut una sit, aut nulla. Thomam vero ejusque discipulos in efficaci gratia ad omnes humanæ naturæ status, atque ad ipsos etiam angelos dilatanda ab Augustino procul abscessisse, non solum, teste Autore in præfatione hujus opusculi, Cornelius Jansenius primus omnium affirmavit, qui tamen Thomam etiam dixit Augustinum contractum; sed etiam Viri nonnulli summe, uti Autor scribit, Catholici, doctrinæ Romano-Catholicæ integri, ipsiusque Augustini studiosissimi, profitentur, qui Thomisticæ scholæ turpem illam notam affricant, quod in asserenda gratia per se ipsam efficaci, sanis perinde ac lapsis hominibus necessaria, Aristotelem prætulerit Augustino, totaque a summo illo doctore via abierit. Hanc injuriam cum surda aure præterire non potuerit Autor, scholæ Thomisticæ defensionem hoc scripto, quod XXIV absolvitur capitibus, suscepit, Augustinum non solum divo Thomæ, quod titulus spondet, conciliaturus, sed etiam Augustinum, a se ipso per falsos interpretes abalienatum, Augustino restituturus. Quod consilium suum pluribus exponit C. I, sibi scilicet non animum esse cum Molinæ

discipulis disputare; sed tantum cum pauculis Augustinæ scholæ Professoribus, quos efficaciam gratiæ in statu naturæ lapsæ necessariam adserentes, in statu vero naturæ innocentis efficaciam gratiæ ex humanæ voluntatis assensu vel dissensu suspendentes, priori respectu Thomistas, posteriori Molinianos dicit; in hanc delapsos sententiam, eo quod gratiæ per sese efficacis necessitatem ex sola naturæ vulneratæ corruptæque conditione repetant, non vero simul ex activa, ut ajunt, indifferentia voluntatis, aut ex naturæ creatæ, a Deo pendentis, subjectione. Ad internum hoc dissidium, inter Augustinianos nonnullos & Thomistas subortum, quo argumenta Molinianis opposita enervari agnoscit, sedandum tollendumque, ita adversus hosce Augustinianos se disputare fatetur, ut ipsa principia, quibus doctrina Augustiniana & Thomistica nititur, verane sint an falsa, Pontificum Romanorum decretis obtemperans, non expendat, sed ex sola argumentationis lege pro certissimis ponat, atque hac ratione ad hominem, uti dici solet, consonantiam utriusque doctrinæ ostendat, probetque, Augustinum non modo gratiam per se ipsam efficacem homini utroque in statu variis titulis necessariam docuisse, verum etiam ea posuisse principia, quæ gratiam illam non solum in statu naturæ corruptæ, sed etiam in statu naturæ innocentis necessariam evincant. Istiusmodi generalia principia Augustini Cap. II - VI quinque in medium profert, & ad quæstionem susceptam applicat; eandemque Cap. VII, VIII & IX, ipsius Augustini autoritate verbisque confirmat, & inter alia ex cap. IX libri XII de civitate Dei locum adducit, in quo Augustinus aut angelos, mala voluntate cadentes, minorem accepisse amoris divini gratiam, aut bonos, amplius adjutos, ad eam pervenisse statuit beatitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent. Testimoniis Augustini Autor Cap. X - XIV rationes subjungit theologicas, ex Augustino delibatas, suamque ulterius probantes sententiam: & cap. XV celeberrimæ de divinis auxiliis Congregationis judicium recitat, in qua ad mentem Augustini, tanquam ad Lydium lapidem controversias, Molinianæ doctrinæ occasione excitatas, probare & definire jusserat Clemens VIII Pontifex Romanus. Hæc enim Congregatio sanxit,

tantum

tantum abesse, ut testimoniis Augustini, ex cap. XI & XII libri de correptione & gratia, a Moliniano oratore adductis, dogma Thomisticum de gratia per se efficaci impeti possit, ut potius ex illis ipsis magis firmetur, si recte intelligantur. Potissimum vero adversæ sententiæ fundamentum ut evertat Autor, Augustinum, probat Cap. XVI & XVII, non ex sola humanæ naturæ, originali peccato sauciatæ, corruptione, sed etiam ex ipsa causarum subordinatione, efficacis gratiæ necessitatem petiisse; & Cap. XVIII ex Systemate de gratia, versatili dicta, non efficaci, angelis primisque parentibus data, non pauca fluere consectaria ostendit, ab Augustini principiis alienissima: ruere scilicet, hoc posito, gratuitæ prædestinationis dogma; ruere divinæ voluntatis decreta in se ipsis efficacissima; ruere scientiam Dei, rerum omnium causam, non dirigentem modo, verum etiam efficientem: quæ dogmata Augustiniana ii, quibuscum Autori nostro res est, rata habeant & confirmata. Sed cum hi regerant, mentem Augustini ex eo maxime repetendam esse loco, in quo totam illam quæstionem ex instituto tractavit, nempe ex cap. X, XI & XII libri de correpț. & gratia, Autor cap. XIX - XXIV disputationem Augustini cum monachis Adrumetinis recenset, ejusque distinctionem inter adjutorium, *sine quo non fit* bonum opus, & *quo* re ipsa *fit* opus, exponit: atque argumentum adversariorum, ex hac Augustini cum Monachis disputatione desumtum, refellere; quin immo summa doctrinæ capita, quæ Augustinus in hac disputatione attingit, singulatim ad D. Thomæ sententiam reducere conatur. Sic magno quidem cum studio scholæ Thomisticæ causam oravit Autor: utrum vero eandem peroraverit, & Augustinianis scrupulum exemerit omnem, non sine causa dubitamus. Parum autem utilitatis ex hac controversia redundabit in eos, qui nec Augustini, nec Thomæ, sed Apostolorum & Prophetarum fundamento innixi, utriusque dogmata ad sacram Scripturam, tanquam ad Lydium lapidem examinanda ducunt; & præterea ab aliis jam satis superque demonstratum esse norunt, Hipponensium Præsulem in doctrina de gratia nec ubique recto incedere tramite, nec sibi semper constare.

Historie

Historie derer Heidnischen Opfer-Mähler.

hoc est,

HISTORIA CONVIVIORUM SACRORUM a gentilibus celebratorum, ad demonstrandam realem præsentiam corporis & sanguinis Christi in S. Cœna exposita.

Magdeb. & Lipſ. ap. Viduam Chriſt. Seidelii, 1726, 4.
Plag. 11.

AUtor præſentis opuſculi Anonymus quatuor capitibus non
nihil curatius in hunc profanorum gentium ritum, ipſis ſan-
ctiſſimum habitum, inquiſiturus, c. 1 hujus ſui inſtituti ratio-
nem reddit, perſuaſus, huic argumento, quo ipſe Paulus Apo-
p. 4. ſtolus 1 Cor. XI, 15-22 utitur, novam lucem accendi debere. Et
quamvis ingenue fateatur, B. Godofr. Olearium noſtrum in diſſ.
de κοινωνίαις cum Chriſto & dæmoniis hoc argumentum jam
3 ſqq. excuſſiſſe, cujus diſſertationis ſummam quoque c. 1 §. 5 exhibet;
negat tamen, ſe ex Oleario ſapere, & jam diu ante, quam Olea-
rianam diſſertationem viderit, ſe de hoc argumento quædam in
5. chartam conjeciſſe, aſſeverat. Cap. 2 ipſam horum ſacrorum
hiſtoriam pandit, ubi quidem ſtatim in fronte rationem, quare
hactenus adeo pauci de his ſacris egerint, eam eſſe putat, quia in
ſcriptis gentilium pauca tantum de his conviviis inveniantur, ſi-
quidem ex diſciplina arcani ſolis initiatis hæc myſteria aperire
voluerint. Convivia vero hæcce non omnibus ſacrificiis ſubjun-
7. cta fuiſſe, inde probat, quia Porphyrio L. 2 §. 54 de abſtin.
Virgilio item Æneid. VIII v. 152 ſq. & Servio, ut & Feſto teſti-
bus, quædam ſacrificia holocauſta fuerint. Talia vero antiquiſ-
ſima ſacra omnia fuiſſe, opinatur. Tempore tamen Jacobi Patri-
archæ convivia ſacra jam in uſu fuiſſe, & originem a profanis
Autoribus his conviviis aſſignatam fabuloſam merito credit, ex
uſtu nempe Promethei, Jovem decipientis, ſacra hæc originem
8 ſq. ducere. Ritus generatim in oblationibus obſervatos recenſet,
præcipue quod illotus nemo ad S. convivia accedere debuerit:
quod item poculum vini in convivio biberint, Diisque aliquid in

menſam

mensam effundendo libaverint. Pro temporum & gentium varietate quosdam quoque ritus variasse, sanguinis usum & in p. 10 sqq.
sanciendis fœderibus & in sacris obtinuisse, in his conviviis suc- 14 sqq.
cessu temporis convivantes delitiatos fuisse, & quales mensæ 28 sqq.
qualisque apparatus in usu fuerit, recenset. Dein c III propius ad rem accedit, & finem his conviviis intentum exhibet, triplicem nempe κοινωνίαν, 1 epulantium inter se, 2 mutuam convivarum cum Diis & Deorum cum convivis, & 3 dæmonum cum sacrificiis: quæ ultima in eo consistebat, quod gentes putabant,
dæmones mediæ naturæ (non pariter Deos plane spirituales) ad 37 sqq.
talia etiam convivia accedere, & cibos ipsis sacros ingredi ac per 40 sqq.
esum eorum in ipsos convivas se insinuare, quod Noster e locis 49 sqq.
Jamblichi & Julii Firmici, ab Oleario jam adductis, quibus locum ex Augustino tantum jungit, docet, quod & ex apparatu 50 sqq.
omni corroborare nititur, e. gr. e Diis dedicatis conviviorum mensis, benedictione sacerdotali, esu intestinorum, &c. & tandem ex effectibus sacris hisce conviviis tribui solitis, v. c. vaticinandi facultate per convivia illa acquirenda. Ultimo c. IV Autor ad ipsam verborum Paulinorum expositionem se confert, & ad triplicem illam κοινωνίαν antea indicatam Pauli quoque verba reducit. De prima communione convivarum inter se agit *v. 17, 18.* De secunda, nempe communione Dei & convivarum,
explicat *v. 20: 21.* De tertia autem illius communionis specie, 65 sqq.
qua dæmones in cibis vere præsentes a gentibus credebantur, Autor noster exponit *v. 16 & 19*, ubi Paulus eo respiciat & inde argumentum petat. Quia vero hoc est illud ipsum, quod V. Cl. sibi in toto tractatu demonstrandum sumsit: sublato prius dubio,
num ab idololatrico illo ritu argumentum peti potuerit, para- 67 sqq.
phrasin *1 Cor. X, 14* sqq. præmittit, & deinde argumentationem
Pauli secundum naturalem plane ordinem sistit: ne comedatis 70.
idolothyta: nam S. Cœnæ usus repugnat: est enim in S. Cœna talis κοινωνία inter symbola & corpus & sanguinem Christi, qualem sibi gentiles imaginabantur inter cibos sacros & dæmones &c. Hæc ut magis inculcet, ostendit, S. Cœnam vim suam non a fide sumentis, sed institutione Christi habere, & præsentiam Christi non solum possibilem, sed & vere talem esse. Et hoc

 e con-

e conviviis facris gentium exponi debere probat, quia α) contextus Paulinus de illis loquitur, & phrafin *v. 16* fic declarat, & β) Paulus clare convivia illa facra cum S. Cœna confert. Quod vero realis unio Chrifti & Symbolorum in S. C. intelligatur, demonftrat, quoniam 1) Paulus ex ea *κοινωνίας* fpecie, a gentibus in S. conviviis afferta, argumentatur, quæ reliquarum eft fundamentum, &, qua fublata, convivium tale mera effet ceremonia: id autem de tertia fpecie *κοινωνίας* fupra commemorata, ubi dæmones cum cibis facris vere fe uniiffe dicebantur, verum eft: igitur, vi oppofitionis, in S. Cœna vere talis eft unio materiæ cœleftis cum terrena: 2) ita colligit: argumentatio Paulina omni fundamento concludendi careret, fi realem præfentiam & unionem C. & S. Chrifti cum pane & vino in S. Cœna Paulus non docuiffet: omnino illa intelligi debet. Atqui. Ergo. Affumtum probat, quia Paulus tunc ea folum ratione argueret: Gentes credunt, fe in S. conviviis vere participes fieri Deorum fuorum: in S. Cœna id quidem non fit, ut vere Chrifti corpus & fanguinem accipiatis: attamen idolothyta comedere haud debetis. Ita deeffet ratio concludendi. 3) Hoc comprobat, quoniam duæ reliquæ fpecies *κοινωνίας* a gentibus creditæ ad exponendam communionem, quæ eft inter corpus fanguinemque Chrifti & panem ac vinum, non quadrant: ut fic ad tertiam hanc fpeciem compellamur. Quibus fic inculcatis, ex eodem ritu & transfubftantiationem & Calvinianorum pariter opinionem rejicit, atque, duas admonitiones practicas fubnectens, finit.

p. 76 fqq.

NIC. BERNOULLI PROF. BAS. RESPONfio ad ea, quæ JULIUS CAROLUS DE FAGNANIS edidit in Art. VI Tomi I Supplem. Diarii Erud. Italiæ, ut & in Sect. II Tomi VIII Supplem. Act. Lipf. pag. 75; continens præter alia novum Theorema pro integratione æquationum differentialium fecundi gradus, quæ nullam conftantem differentialem fupponunt.

NUllus dubito, controverfiam iftam, inter me & Fagnanum agita-

agitatam, occasionem præbuisse Eruditissimi Comitis Riccati Animadversionibus editis in Sect. II Tom. VIII Suppl. Act. Erud. pag. 66, & in Act. Anni 1723 pag. 502, in quibus proponit atque exemplis optime illustrat *Criterium generale*, per quod dignosci possit, *an proposita aliqua æquatio differentialis secundi ordinis assumtionem differentialis constantis supponat aut gigni queat nulla usurpata constante.* Etenim cum criterium hoc generale conveniat cum eadem illa regula a me jam ante subindicata in integratione æquationis ad Parabolam $a y d d x - a x d d y = z y d y^2 + y y d d y$ (vid. *art. V Tomi XXIX Diar. Erud. Ital.*) & postea sequentibus expressis verbis proposita in *Act. Lips.* 1720 *pag.* 309, *si dicat, æquationem suam nullam præsupponere differentialem constantem, necesse est, ut ad eandem æquationem integralem perveniam supponendo constantem aut nullam differentialem, aut aliquam pro lubitu sive hanc sive illam;* cum, inquam, criterium hoc generale Comitis Riccati (consistens in eo, quod si quacunque usurpata constante eadem semper summatoria nobis occurrat, hoc signum sit ad æquationem propositam differentio — differentialem perveniri absque eo, quod necesse fuerit, constantem adhibuisse) conveniat cum dicta regula, qua tunc præter alia argumenta utebar adversus Fagnanum ad ostendendum, non posse ad æquationem hanc $X d y^n : y^m d x^n = \frac{a}{x} + \frac{b d d x}{d x^2} + \frac{c d d y}{dx\, dy}$ $+ \frac{f dy}{y dx}$ perveniri sine prævia positione differentialis alicujus constantis extra casum, quando $c = -b$; valde mihi verisimile fit, Ill. Comitem suis animadversionibus in æquationes differentiales secundi gradus objectiones meas contra Fagnanum, & regulam prædictam ab ipso rejectam nec pro *demonstrativo indicio* habitam (vid. Suppl. Diar. Ital. Tom. I pag. 176 177, & Tom. VIII Supplem. Act. Lips. pag. 83) firmare atque sic causam meam tacite defendere voluisse, pro quo officio ipsi debitas habeo gratias. Talem igitur defensorem nactus existimavi, non necesse esse, ut vel quicquam opponerem ultimo Fagnani scripto locis citatis primum Italico sermone in *Suppl. Diar. Ital. Tom. I* & postea latino in *Tom. VIII Suppl. Act. Lips.* immediate post Riccatianas

animadverſiones adverſus me evulgato; quamvis viderim mihi immerito ſpiritum contradictionis, acrem ſtylum, perverſam verborum interpretationem, logomachias, paralogiſmos & errores objici, quorum omnium reum eſſe ſolum Fagnanum, intelligentes & æquanimi Lectores facile, ut confido, deprehendent. Iſta fiducia fretus per tanti temporis intervallum ſilui, & diutius ſiluiſſem, niſi reſponſionem aliquam meam paſſim nonnullos, præſertim in Italia, deſiderare mihi nuntiatum fuiſſet; quorum deſiderio ſatisfactum iri credo, ſi vel unicum illud argumentum a me in *Act. Lipſ. 1720 pag. 310 & ſeq.* prolatum, quod Fagnanus per riſum & ironiam *Achillem* vocat, revera fortiſſimum *Achillem*, qui *Therſiten Fagnaneum* ictu pugni interficiet, eſſe oſtendere.

Ante omnia vero ſtatum quæſtionis denuo rite formabo, Fagnanus enim ad ſophiſma *ignorationis elenchi*, tanquam ad ſacram anchoram, confugere videtur. Quæſtio inter nos agitata hæc eſt: an ſupra memorata æquatio $Xdy^n : y^m dx^n = \frac{a}{x} + \frac{bddx}{dx^2} + \frac{cddy}{dxdy} + \frac{fdy}{ydx}$, in qua nulla differentialis primi gradus conſtans ponitur, poſſibilis ſit, nec ne: id eſt, an detur aliqua Curva, cujus coordinatæ x & y talem inter ſe relationem habeant, ut quocunque modo ipſarum incrementa vel decrementa momentanea procedere concipiantur, ſive quæcunque differentialis primi gradus conſtans eſſe intelligatur, prædicta æquatio ſemper oſtendat relationem, quæ eſt inter ſecunda differentialia coordinatarum illius Curvæ. Nam quemadmodum ex. gr. iſta formula $ds^3 : (dyddx - dxddy)$ in qua ds ſignificat elementum ipſius Curvæ & nulla differentialis conſtans ponitur, eandem ſemper dat longitudinem radii circuli oſculatoris in quacunque hypotheſi differentialis conſtantis; ita etiam, quando in prædicta æquatione controverſa nullam differentialem conſtantem ſupponimus, hi characteres *ddx* & *ddy* generalem ſignificationem obtinent, quæ omni hypotheſi differentialis conſtantis convenit. Jam vero dixi, & etiamnum affirmo, propoſitam æquationem eſſe impoſſibilem & contradictoriam, ſi nulla poſita differentiali con-


constante ipsæ *ddx* & *ddy* generalem habeant significationem, id est, nullam dari Curvam, quæ propositæ æquationi satisfaciat in omni hypothesi differentialis constantis, excepto solo casu, quando $c = -b$.

Ad hoc demonstrandum præter alia invicta argumenta adhibui sequens Lemma: *Omnis æquatio differentialis secundi gradus, in qua dx est variabilis & dy constans transmutari potest, salva æquatione integrali, in aliam in qua dx est constans & dy variabilis, scribendo pro ddx hunc valorem* $- dx\,ddy : dy$. Ope hujus lemmatis controversa æquatione in alias æquivalentes, id est, semper eidem Curvæ respondentes æquationes transformata, deduxi necessario debere esse $c = -b$. Hanc autem illationem Fagnanus præcipitem vocat & in purum putum paralogismum dissolvi ait, nisi probem, *quod ex præsupposita æqualitate inter ipsas x earumque differentiales ad æquationes, prædicta ratione transformatas, pertinentes, etiam ipsæ y earumque differentiales tam primæ, quam secundæ, imo vero etiam quantitas per f designata*, (quid hic sibi velit cum quantitate *f*, quæ sicut reliquæ per *a*, *b*, *c*, designatæ invariabilis est, & cur potius hanc nominet, quam unam pluresve reliquarum *a*, *b*, *c*, nemo capiet) *vere æquentur in utraque æquatione.* Sed vereor, ne ipse Fagnanus hic variis suis documentis ex Poetarum floribus decerptis ad evitandum paralogismum opus habeat. Quid enim sibi volunt aliud ista Lemmatis verba: *salva æquatione integrali:* quam quod adhibita transmutatio differentialis constantis non mutet naturam Curvæ æquationi propositæ satisfacientis, sed quod eadem Curva designetur per utramque æquationem, propositam nempe & illam, in quam proposita transformatur? Quod si ergo eadem Curva designatur per utramque æquationem, annon positis *x*, *dx*, *ddx*, utrobique æqualibus, etiam ipsæ *y*, *dy*, *ddy* vere æquabuntur in utraque æquatione, & easdem, non diversas, quantitates repræsentabunt?

Quia vero vim allegati Lemmatis & consequentiæ illinc deductæ Fagnanus non percepisse videtur, utriusque veritatem clarissime demonstrabo. Ut omnis æquivocatio tollatur, sit *dd* nota differentialis secundi gradus, ubi nulla primi ordinis constans

 poni-

ponitur; Dd nota differentialis secundi gradus, quando dx constans ponitur, Δd similis nota, quando dy, & δd, quando alia quantitas præter dx & dy constans ponitur. Sit præterea æquatio universalis $ddy = A\,ddx + B$, ubi A & B significent quantitates quomodocunque compositas ex x, y, dx, dy & constantibus. Vi definitionum præmissarum erit in eadem Curva, cui competit ista æquatio differentialis secundi gradus $ddy = Addx + B$ in hypothesi nullius differentialis constantis, erit, inquam, in eadem illa Curva $Ddy = B$, & $\Delta\,dx = -B:A$. Lemmatis autem demonstrandi hic est sensus, quod in omni Curva sit $\Delta\,dx = -dx\,Ddy:dy$, sive quod semper $dy\,\Delta\,dx = -dx\,Ddy$, id quod variis modis facillime demonstratur. 1 In omni Curva radius circuli osculatoris est $= ds^3 : dy\,\Delta\,dx$, ubi ds elementum Curvæ designat, idem vero radius est etiam $= ds^3 : -dxDdy$, ergo in omni Curva $dy\Delta dx = -dxDdy$. 2 Quia $Ddy = B$, dividendo per dx erit $Ddy : dx = B : dx$, & integrando $dy : dx = \int B : dx$, quæ æquatio rursus differentiata in hypothesi dy constantis præbet $-dy\Delta dx : dx^2 = B : dx$, sive $-dy\Delta dx : dx = B$, sed est $B = Ddy$, unde iterum sequitur, quod $dy\Delta dx = -dxDdy$. 3 Sit propositæ æquationis $ddy = Addx + B$ integralis $dy = zdx$, quæ æquatio in utraque hypothesi ipsius dy & dx constantis differentiata præbet $o = dzdx + z\Delta dx = dzdx + dy\Delta dx : dx$, item $Ddy = dzdx$, quo valore ipsius $dzdx$ in præcedente æquatione substituto iterum habebitur $dy\Delta dx = -dxDdy$. Hæc demonstratio convenit cum illa quam acutissimus Geometra Brook Taylor dedit in *Method. Increment. p. 8.* 4 Idem Geometrice quoque demonstratur: Exponatur Curva quæcunque $ABCDE$, cujus ordinatæ infinite propinquæ BN, CO, DP, distent paribus intervallis, NO, OP, quæ



quæ vocentur dx, producatur arculus Curvæ BC donec ordinatæ DP productæ occurrat in H, & erecta ad axem AN normali AM, ducantur rectæ MHE, LCG, IBF, axi AN parallelæ, voceturque $IL = CF = HG = ML = dy$, erit $HD = -Ddy$, & $HE = \Delta dx$, & ob similitudinem triangulorum CGD, EHD, erit $HE.\ HD :: CG.\ GD$ i.e. $\Delta dx. -Ddy :: dx.\ dy$ (pono dy pro DG, quia a CF differt quantitate DH infinities minore quam CF & DG), quæ analogia iterum præbet $dy\Delta dx = -dx\, Ddy$. Sufficienter jam his quatuor modis veritatem propositi Lemmatis demonstratam existimo; videamus jam, quænam consequentia hinc deduci possit: hæc tribus tantum characteribus sequentibus denotabitur $z = A$, id est, $dy = Adx$; quia enim $Ddy = B$, & $\Delta dx = -B : A$, substituendo hos valores in æquatione Lemmatis habebimus $-Bdy : A = -Bdx$, & per $-B : A$ utrinque dividendo $dy = Adx$. Nascitur itaque ex demonstratis hoc utilissimum

Theorema pro integrandis æquationibus differentialibus secundi gradus, quæ nullam constantem differentialem supponunt.

In proposita æquatione neglectis terminis, qui per nulla secunda differentialia multiplicantur, mutentur secunda differentialia in prima, & habebitur æquatio differentialis primi gradus, quæ propositæ integralis erit.

Unicus est casus, qui hoc Theorema ad integrationem ineptum reddit, scilicet quando in æquatione proposita $ddy = Addx + B$, coefficiens quantitas A jam exprimitur per $dy : dx$, tunc enim ambo membra æquationis $dy = Adx$ fiunt identica; hoc autem casu habebitur æquatio integralis, si quantitas $B : dx$, integrari poterit, est enim per superius demonstrata $dy : dx = \int B : dx$. Ceterum præbet hoc Theorema etiam universalissimum criterium, quo dignosci potest, an aliqua æquatio differentialis secundi ordinis nullam differentialem constantem supponens possibilis sit nec ne; quando enim in proposita æquatione non est $dy = Adx$, sed ponendo pro dy hunc ejus valorem in absurdum delabimur, æquatio illa erit impossibilis, nec sine assumtione differentialis constantis ad illam pervenietur. Sed hæc omnia exemplis illustrabimus.

Exempl.

Exempl. 1 Sit æquatio a Cl. Comite Riccato propoſita $z^{m+1} dx^m ddx + dy^{m+1} dz : z = dy^m ddy$, hujus integralis per noſtrum Theorema, neglecto termino $dy^{m+1} dz : z$, atque mutatis ddx in dx, & ddy in dy, invenietur $z^{m+1} dx^{m+1} = dy^{m+1}$, ſive $zdx = dy$.

Exempl. 2. Proponatur iſta æquatio $x^m ddx = ddy$, per Theorematis regulam erit $x^m dx = dy$, ſed iſto valore ipſius dy in æquatione propoſita ſubſtituto habebimus $x^m ddx = x^m ddx + mx^{m-1} dx^2$, quod non poteſt eſſe, niſi ſit $m = 0$, hoc autem aſſumtam hypotheſin evertit, & facit $dx = dy$, ut optime etiam obſervatum eſt a laudato Com. Riccato.

Exempl. 3. Proponatur $x^m ddx = zddz + dz^2 + zz dz^2$, per regulam noſtram erit $x^m dx = z dz$; ſi ſubſtituamus igitur $x^m dx$ pro zdz, & ejus differentiale $x^m ddx + mx^{m-1} dx^2$ pro $zddz + dz^2$, habebimus $x^m ddx = x^m ddx + mx^{m-1} dx^2 + x^{2m} dx^2$, unde ſequitur debere eſſe $m - 1 = 2m$, & $m = -1$, quod iterum convenit cum animadverſionibus Riccatianis.

Exempl. 4. Proponatur æquatio $ayddx - axddy = zydy^2 + yyddy$, erit per regulam $aydx - axdy = yydy$, ſive $(aydx - axdy) : yy = dy$, quæ eſt differentialis æquatio Parabolæ, quam etiam ordinariis methodis inveni in *Art.* 5 *Tom.* 29 *Diar. Ital.*

Exempl. 5. Proponatur æquatio $ayddx = (mm - m) y^{m-1} dy^2 + Pddy$, quam ſibi reſolvendam ſumſit Fagnanus in *Art.* 7 *Tom.* 31 *Diar. Ital.* Per theorema noſtrum habebimus $aydx = Pdy$, ſive $adx = Pdy : y$, quæ æquatio iterum differentiata dat $addx = dydP : y + Pddy : y - Pdy^2 : y^2$, quo valore ipſius $addx$ in propoſita æquatione ſubſtituto erit $dydP + Pddy - Pdy^2 : y = (mm - m) y^{m-1} dy^2 + Pddy$, ſive $dydP - Pdy^2 : y = (mm - m) y^{m-1} dy^2$, & per ydy dividendo $dP : y - Pdy : yy = (mm - m) y^{m-2} dy$, quæ integrata præbet $P : y = my^{m-1} + b$, ubi b ſignificat conſtantem arbitrariam; quapropter neceſſario $P = my^m + by$, alioqui æquatio propoſita impoſſibilis eſt, nec ad illam perveniri poteſt ſine aſſumtione differentialis alicujus conſtantis. Subſtituendo igitur $my^m + by$ pro P æquatio inventa $adx = Pdy : y$ æquivalebit huic $adx = my^{m-1} dy + bdy$,

cujus

cujus integralis eſt $ax = y^m + by + g$, ubi per g iterum intelligitur quantitas conſtans arbitraria. Non itaque mirandum eſt, Fagnanum per duplicem differentiationem hujus æquationis $ax = y^m + by + g$ non potuiſſe redire ad æquationem propoſitam $ayddx = (mm - m) y^{m-1} dy^2 + Pddy$ (*vid. art. 7 Tom. 31 Diar. Ital.*) niſi in ſolo caſu, ubi $P = my^m + by + k(ax - y^m - by - g)$, id eſt, quia $ax - y^m - by - g = 0$) ubi $P = my^m + by$, ſolus enim iſte caſus poſſibilis eſt, reliqui autem omnes impoſſibiles ſunt & contradictionem involvunt, adeo ut inconcuſſa maneat veritas illius propoſitionis, quam *Axioma notiſſimum* non *nobiliſſimum*, ut male impreſſum legitur, appellavi *in art. 5. Tom. 29 Diar. Ital. & in Act. 1720 p. 305*, nequicquam obſtante erronea Fagnani objectione facta in *art. 7 Tom. 31 Diar. Erud. Ital.*

Exempl. 6. Proponatur æquatio inter nos controverſa Xdy^n: $y^m dx^n = \frac{a}{x} + \frac{bddx}{dx^2} + \frac{cddy}{dxdy} + \frac{fdy}{ydx}$; per theorema noſtrum invenitur $\frac{bdx}{dx^2} + \frac{cdy}{dxdy} = 0$, id eſt $b + c = 0$, ſive $c = -b$. *Quod erat demonſtrandum.*

Oſtenſa igitur ſoliditate animadverſionis meæ in præcedentem æquationem a Fagnano propoſitam, ſupervacaneum eſſe exiſtimo refutare reliqua a Fagnano mihi objecta, quæ nonniſi verborum cavillationes, logomachias, paralogiſmos (quales mihi immerito imputantur) ratiocinia propriis Fagnani hypotheſibus contraria, floſculosque Poeticos & Rhetoricos, loco demonſtrationis geometricæ poſitos, continere, Lector præcedentia intelligens & cum reliquis noſtris hac de re ſcriptis conferens non difficulter deprehendet.

Quod vero attinet ad Fagnani ſolutionem hujus Problematis: invenire ſuppoſitionem differentialis conſtantis, quæ integrabilem reddat hanc æquationem $XYdy^n$: $dx^{n-1} = \frac{adz}{z} + \frac{b\delta dx}{dx} + \frac{c\delta dy}{dy} + \frac{fdb}{b} + \frac{gd\&}{\&}$ ubi X & Z ſignificant quantitates datas quomodocunque per X & conſtantes, Y & b quantitates datas per

O y &

y & constantes, $\mho$ quantitatem quomodolibet ex variabilibus & constantibus compositam, a, b, c, f, g constantes arbitrarias & δd differentialem secundi gradus: audeo affirmare, eam esse occultam imitationem methodi a me exhibitæ in *art. 5 Tom. 29 Diar. Ital.* Ecce enim quomodo premendo vestigia illius methodi quæsita differentialis constans inveniri queat. Integrando propositam æquationem habetur $\int X\Upsilon dy^n : dx^{n-1} = alz + bldx + cldy + flb + gl\mho + le =$ logar. $z^a dx^b dy^c b^f \mho^g e$, ubi e sit quantitas constans quæsita. Patet igitur quantitatem e talem esse debere, ut $z^a dx^b dy^c b^f \mho^g e$ possit æquari quantitati finitæ, in qua indices potestatum ipsarum dx & dy se invicem destruant, ex. gr. $\zeta z^t \Upsilon^s b^k \mho^m dx^u dy^{-u}$, ubi t, s, k, m, u sint numeri constantes sed incogniti, & ζ significet quantitatem quomodocunque expressam per x & constantes; stante igitur prædicta hypothesi erit

$$X\Upsilon dy^n : dx^{n-1} = \frac{d\zeta}{\zeta} + \frac{tdz}{z} + \frac{sd\Upsilon}{\Upsilon} + \frac{kdb}{b} + \frac{md\mho}{\mho} + \frac{u\delta dx}{dx} + \frac{u\delta dy}{dy}$$

& multiplicando utrinque per $\zeta^r z^p \Upsilon^{-1} dx^n dy^{-n}$ (sumo iterum r & p pro numeris incognitis sed constantibus) habebitur $\zeta^r z^p X dx$ $= \zeta^r z^p \Upsilon^{-1} dx^n dy^{-n}$ in $\frac{d\zeta}{\zeta} + \frac{tdz}{z} + \frac{sd\Upsilon}{\Upsilon} + \frac{kdb}{b} + \frac{md\mho}{\mho} + \frac{u\delta dx}{dx} - \frac{u\delta dy}{dy}$, pro cujus integrali ponatur $\int \zeta^r z^p X dx = q\zeta^r y^p \Upsilon^{-1} dx^n dy^{-n}$, ut autem posterioris membri differentialis i.e. $\zeta^r z^p \Upsilon^{-1} dx^n dy^{-n}$ in $\frac{qrd\zeta}{\zeta} + \frac{qpdz}{z} - \frac{qd\Upsilon}{\Upsilon} + \frac{qn\delta dx}{dx} - \frac{qn\delta dy}{dy}$ possit æquari posteriori membro præcedentis æquationis, oportet ut sit $qr = 1$, $qp = t$, $-q = s$, $k = 0$, $m = 0$, $qn = u$, id est, $q = -s$, $r = -1:s$, $p = -t:s$, $u = -sn$, unde substitutis his valoribus pro integrali quæsita habebimus $\int \zeta^{-1:s} z^{-t:s} X dx = -s\zeta^{-1:s} z^{-t:s} \Upsilon^{-1} dx^n dy^{-n}$; ubi notetur, hic & in similibus casibus, ubi tota integratio actu non fit, sed per signum $\int$ facienda denotatur, non opus esse addere quantitatem aliquam constantem B, ut facit Fagnanus, quia ipsum signum $\int$ satis monere potest, additionem debitam quantitatis constantis in actuali integratione non omittendam esse. Et cum positum fuerit $z^a dx^b dy^c b^f \mho^g e = \zeta z^t \Upsilon^s b^k \mho^m dx^n$-
dy^{-n}

$dy^{-n} = \zeta z^t \Upsilon^s dx^{-sn} dy^{sn}$, erit e sive quantitas constans supponenda $= \zeta z^{t-a} \Upsilon^s b^{-f} \& ^{-g} dx^{-sn-b} dy^{sn-c}$ vel (ponendo $t = a$, quod fieri potest non tantum quia t habet valorem arbitrarium, sed & quia ζ quomodolibet data esse concipitur per x, & per consequens etiam per z) $= \zeta \Upsilon^s b^{-f} \& ^{-g} dx^{-sn-b} dy^{sn-c}$. *Q. E. I.* Si quis jam Fagnani solutionem cum ista conferre velit, nullam fere inter eas differentiam inveniet, nisi quod mea paulo sit simplicior, fundamentum autem solutionis utrobique idem, & quod literæ ζ, s, e, mihi idem significent, quod Fagnano respective $A^{s:r}$, $\Theta s:r$, $C^{s:r}$.

Non abs re erit hic exponere aliam methodum magis simplicem, quæ sine ulla exponentum incognitorum assumtione filo quasi Ariadneo nos ducit ad hujus Problematis solutionem. Sit iterum, ut supra, $\int X\Upsilon dy^n : dx^{n-1} = \text{Log.} z^a dx^b dy^c b^f \& ^g e$, ponatur $z^a dx^b dy^c b^f \& ^g e = V^k$, eritque $X\Upsilon dy^n : dx^{n-1} = k\,dV : V$ multiplicando per $V = z^{a:k} dx^{b:k} dy^{c:k} b^{f:k} \& ^{g:k} e^{1:k}$, habemus $X\Upsilon z^{a:k} dx^{b:k-n+1} dy^{c:k+n} b^{f:k} \& ^{g:k} e^{1:k} = k dV$, ut autem primum hujus æquationis membrum integrari possit in quantitatibus per x & constantes tantum expressis, oportet assumere $e^{1:k} = \zeta^{1:k} \Upsilon^{-1} dx^{-b:k+n} dy^{-c:k-n} b^{-f:k} \& ^{-g:k}$, ubi ζ iterum sit quæcunque quantitas per x & constantes ad libitum expressa, quo posito erit $\zeta^{1:k} z^{a:k} X dx = k dV$, cujus integralis est $\int \zeta^{1:k} z^{a:k} X dx = kV = kz^{a:k} dx^{b:k} dy^{c:k} b^{f:k} \& ^{g:k} e^{1:k} = k\zeta^{1:k} z^{a:k} \Upsilon^{-1} dx^n dy^{-n}$, & quantitas constans supponenda sive e erit $= \zeta \Upsilon^{-k} dx^{-b+nk} dy^{-c-nk} b^{-f} \& ^{-g}$; quæ solutio plane convenit cum priori, in qua s idem denotat, quod in ista $-k$.

Quamvis autem ambæ methodi eandem prodant differentialem constantem supponendam, non tamen existimandum est, hanc quantitatem solam esse, quæ propositam æquationem integrabilem reddat, dantur enim plures aliæ positiones differentialis constantis non contentæ in formula nostra inventa, quæ idem præstant, ut jam olim in exemplo particulari ostendi in *art. 5 Tom. 29 Diar. Ital.* Et sane proposita æquatio facillime ad æquationem differentialem primi gradus reducitur ponendo hanc quantitatem $P dx^{\pm b} dy^{\pm c}$ constantem, ubi per P intelligo quantitatem quomodocunque expressam per x, y & constantes; faci-

 endo

endo enim hanc hypotheſin habebimus $\frac{dP}{P} \pm \frac{b\delta dx}{dx} \pm \frac{c\delta dy}{dy} = 0$, id quod propoſitam æquationem mutat in hanc $XYdy^n : dx^{n-1} = \frac{adz}{z} + \frac{-dP}{P} + \frac{fdb}{b} + \frac{gd\&}{\&}$, quæ continet tantum differentialia primi gradus, & in qua ſeparatio indeterminatarum & ulterior integratio dependet a diverſitate valoris ipſius P. In caſu ſpeciali quando $X = x$, $Y = 1:yy$, $n = 1$, $z = x$, $a = 1$, $b = 1$, $c = 1$, $b = y$, $f = 1$, $g = 0$, ſeparantur indeterminatæ ponendo conſtantem $Ax^p dxdy$ id eſt $P = Ax^p$, ubi p exponentem arbitrarium, & A quomodolibet ex y & conſtantibus compoſitam quantitatem denotat, eritque æquatio integralis $(p-1)A^{1:(1-p)}y^{1:(p-1)}x^{-1} = \int A^{1:(1-p)} y^{(3-2p):(p-1)} dy$. Imo, ſi dicendum quod res eſt, ille qui proponit inveniendam Curvam ſatisfacientem æquationi allegatæ generali $XYdy^n : dx^{n-1} = \frac{adz}{z} + \frac{b\delta dx}{dx} + \frac{c\delta dy}{dy} + \frac{fdb}{b} + \frac{gd\&}{\&}$ nec ſupponit differentialem aliquam conſtantem, nec ponit $c = -b$, ſimilis eſt illi, qui proponeret inveniendum aliquem numerum unitate e. g. majorem alio numero, nec diceret quem numerum intelligat per iſtum alium numerum; nam quemadmodum in hoc caſu nullus eſſet numerus, qui quæſtioni ſatisfaceret, ita & in illo caſu nulla eſt Curva, nullaque æquatio integralis, quæ propoſitæ æquationi differentio-differentiali non ſatisfaciat, quippe pro qualibet Curva propoſita ipſi conveniens poſitio differentialis conſtantis inveniri poteſt. Sit enim $dy = Bdx$ (ubi per B intelligo quantitatem quomodolibet expreſſam per x, y & conſtantes) æquatio differentialis primi gradus Curvæ cujuscunque; ajo hanc ipſam æquationam $dy = Bdx$ eſſe integralem ſæpe allegatæ æquationis a Fagnano propoſitæ, ſi nempe pro differentiali conſtante aſſumatur $\xi Y^s b^{-f} \&^{-g} dx^{-b-c} B^{sn-c}$, quæ aſſumtio ſemper poſſibilis eſt, excepto ſæpe memorato caſu quando $c = -b$, adeo ut nova ratione probata ſit veritas aſſerti mei, quod Problema Fagnani, ſi modo ſit diſtinctum Problema, quod aliquam vel aliquas Curvas, ex omnibus

quæ

quæ in mundo exiſtunt, ſeligendas vel inveniendas proponat, neceſſario ſupponat aliquam differentialem conſtantem vel c eſſe $= -b$.

Cæterum recte obſervatum eſt a Fagnano, poſſe formulam inventam differentialis conſtantis etiam inſervire reſolvendæ huic æquationi $XYdxdy^n : dw^n = \frac{adz}{z} + \frac{b\,ddw}{dw} + \frac{c\,ddy}{dy} + \frac{fdb}{b} + \frac{gd\mho}{\mho}$, cujus integralis invenitur $\int \xi^{-1:s} z^{-a:s} X dx = -s\,\xi^{-1:s} z^{-a:s} Y^{-1} dw^n dy^{-n}$ poſita conſtante $e = \xi Y^s b^{-f} \mho^{-g} dw^{-sn-b} dy^{sn-c}$; in caſu igitur particulari hujus æquationis $dxdw : edy = \frac{adx}{x} - \frac{ddw}{dw} + \frac{ddy}{y}$ (in qua nulla differentialis conſtans ponitur, & ubi e ſignificat radium circuli oſculatoris datum per x & conſtantes, $dw^2 = dx^2 + dy^2$, $a = 1$, quando ordinatæ Curvæ in puncto quodam coeunt, & $= 0$, quando ſunt parallelæ) habebimus ponendo $X = 1:e$, $Y = 1$, $n = -1$, $z = x$, $b = -1$, $c = 1$, $f = 0$, $g = 0$, $\xi = 1$, $s = -1$, pro integrali quæſita $\int \frac{x^a dx}{e} = x^a dy : dw$ (omitto additionem conſtantis ad quantitatem $\int \frac{x^a dx}{e}$ ob rationem ſupra indicatam) quam æquationem *debita cautela tractando*, & ſubſtituendo pro dw ejus valorem, obtinebitur $dy = dx \int \frac{xadx}{e} : \left(x^{2a} - \int \frac{x^a dx}{e} \int \frac{x^a dx}{e} \right)^{1:2}$ alia æquatio quam quæ in Fagnani ſcripto erronee impreſſa legitur.

Abſolutis nunc omnibus, quæ neglectis multis aliis reſpondenda & monenda aſſe duxi, liceat mihi addere querelam de iniqua cenſura *Abbatis Lioni*, *Autoris Supplementorum Diarii Italici*, qui, quamvis in his rebus non verſatus, non dubitavit Fagnani ſcripto præter alia hanc epicriſin ſubjungere: *Frattanto potrà con piacere oſſervarſi dal Lettore in queſta Difeſa del Sig. Conte de' Fagnani*

gnani la moderazione, degna veramente d'un uomo nobile e dotto, che egli usa nel trattare la sua causa, e nel rispondere alle ultime dure ed acerbe espressioni del suo Oppositore. Ego quidem & alii neque hanc moderationem Fagnani, neque duritiem aut acerbitatem in expressionibus meis invenire possumus, nisi Fagnanus (cui ultimis meis verbis ulcus tactum est) aliquam duritiem velit latere in adverbio *centies*, pro quo substituat si velit *sæpius*. Sane ad manus mihi sunt literæ Celeberrimorum Virorum, qui tum expressiones meas *modestissimas* appellarunt, tum Fagnani scriptum Lipsiæ impressum (in quo tamen multæ expressiones in Suppl. Diar. Ital. occurrentes correctæ sunt) *felle plenum* esse deprehenderunt; adeo ut a Collectoribus Actorum dubitatum fuerit, an esset Actis inserendum. Si Lectoris interesset, apponerem hic longum indicem, excerptum ex Fagnani ultima defensione, exemplorum istius moderationis, *digna* scilicet *homine nobili & docto.* Sin autem quis sit, qui judicare velit, uter nostrum magis sectatus sit tam veritatem quam modestiam, illius judicium, si scripta nostra attente perlegerit, impavidus expecto, non dubitans, pronuntiatum iri illud Poetæ: *Dat veniam corvis, vexat censura columbas.*

CONTINUATIO DISSERTATIONIS ANTI-Bernoullianæ de luminis refractione, Autore JO. RIZETTO, Actis Erud. A. 1726 M. Junio p. 275 insertæ.

PHÆNOMENON I.

IN transitu luminis ex medio rariore in densius, mutato angulo incidentiæ mutatur angulus refractionis, ea lege, ut horum angulorum sinus sibi invicem in ratione constante respondeant.


EXPLICATIO.

Sinus angulorum incidentiæ & refractionis inter se sint vel reciproce ut resistentiæ mediorum, juxta Canonem Bernoullianum, vel directe ut facilitates, quibus lumen in mediis inæqualiter resistentibus propagatur, juxta nostrum; mutata incidentia luminis ex uno in aliud medium transeuntis, constantes attamen sunt,

sunt, tum illæ resistentiæ, tum istæ facilitates. Quare videtur ita esse mutanda refractio, ut constans maneat in utroque casu etiam ratio inter eos sinus, & Canon sit æque Bernoullianus ac noster pro hoc explicando Phænomeno idoneus.

Facit autem respectu primi difficultatem, quod floccus lanæ levis, & globus auri gravis descendunt velocitate valde inæquali per aerem, & velocitate perquam æquali per materiem illam, quæ remanet in Machina Boileana aere vacua; quare patet assignabilem esse resistentiam aeris, & inassignabilem resistentiam materiæ in hac machina remanentis. At hæc materia (etiam annuente Bernoullio) ætherea dicitur, itaque resistentiam ætheris esse infinite minorem resistentia aeris conceditur.

Difficultas igitur in eo consistit, quod in transitu luminis ex æthere in aerem, ex medio scilicet resistentiæ infinitesimæ in alterum resistentiæ finitæ, quamvis mutetur angulus incidentiæ, attamen Canon Bernoullianus postulat, ut angulus refractionis semper unus & idem maneat, hoc est infinite parvus. Cum enim sit resistentia aeris ad resistentiam ætheris ut sinus anguli incidentiæ *AR*, (Fig. 1) ad sinum anguli refractionis *BI*, resistentia aeris



est

eſt infinite major reſiſtentia ætheris; & proinde debet eſſe *A R* infinite major *BI*: Quælibet nempe ſit quantitas finita *AR*, quantitas *B I* debet eſſe ſemper infiniteſima. Quam ob rem in tranſitu luminis ex æthere in aerem vel Canon Bernoullianus, vel Phænomenon propoſitum falſitatis arguendum eſt. At in tranſitu luminis ex æthere in aerem Aſtronomorum obſervationes oſtendunt, quod ſi mutatur angulus incidentiæ, angulus refractionis unus & idem ſemper non eſt, nempe infinite parvus, ſed hic etiam mutatur, finibus horum angulorum in ratione aſſignabili ſibi invicem reſpondentibus; videtur itaque in hoc caſu ipſe Canon deficere, & etiam in eo propoſitum Phænomenon confirmari.

Si noſtro Canoni inſiſtimus, hujuſmodi difficultates evitamus, quælibet enim ſit finita vel infinita facilitas, qua lumen propagatur in æthere (per ea quæ ſupra docuimus), hæc ita differt ab illa, qua propagatur in aere, ut ratio inter has geminas facilitates aſſignetur. Quoniam igitur ſinus angulorum incidentiæ & refractionis juxta ipſum Canonem ſunt ut iſtæ facilitates, itaque aſſignabitur ratio quoque inter eos ſinus. Si igitur aſſignabilis eſt angulus incidentiæ, aſſignabilis erit etiam angulus refractionis, ac ſi mutatur primus, mutabitur juxta legem propoſitam etiam ſecundus. Quare ſi Canon Bernoullianus experientiæ adverſatur, noſter autem arridet, illo itaque deficiente, hic videtur ſolus explicando Phænomeno ſatisfacere.

Pro corollario ſubjungo, hinc alias profluere leges, quas docuit Newtonus in Libro Optices. Is ait primo, quod ſi ratio inter ſinus angulorum incidentiæ & refractionis in tranſitu luminis ex medio rariore in denſius, exempli gratia ex æthere in aerem, eſt ut *b*, *a*, & in tranſitu ex eodem medio rariore in aliud denſius, exempli gratia ex æthere in aquam, ut *B*, *a*, ratio inter eos ſinus in tranſitu ex aere in aquam ſunt inter ſe ut *B*, *b*. Is deinde pronunciat, quod ſi lumen tranſit per multa refringentia media gradatim invicem denſiora, & ſuperficiebus inter ſe parallelis terminata, ſumma omnium refractionum eſt æqualis uni refractioni ei, quæ futura eſſet luminis immediate ex primo medio in ultimum tranſeuntis: & hoc eſſe verum affirmat, etiam ſi corporum refringentium numerus augeatur infinite, eorumque diſtantiæ

inter

inter se minuantur, adeo ut lumen continuis refractionibus in lineam plane curvam inflectatur. Quare concludit, totam refractionem luminis per Atmosphæram transeuntis ab altissima ac rarissima ejus parte usque ad infimam & densissimam æquare refractionem, quæ futura esset luminis simili obliquitate transeuntis immediate ex æthere in illum aerem, qui pari densitate sit, ac infima pars Atmosphæræ. Ratio pendet ex præmissis, & hoc ideo dixisse sufficiat.

PHÆNOMENON II.

In transitu luminis ex medio densiore in rarius dato angulo incidentiæ assignatur angulus refractionis eo pacto, ut ratio inter sinus horum angulorum inversa illius sit, quæ erat in transitu ex hoc medio rariore in illud densius.

EXPLICATIO.

Si Canon Bernoullianus adhibetur, transeunte lumine ex medio rariore in densius, sinus angulorum incidentiæ & refractionis reciproce sunt, ut resistentiæ mediorum. At redeunte lumine ex hoc medio densiore in illud rarius, constantes manent istæ resistentiæ, ergo constantes erunt etiam illi sinus, & eorum ratio in secundo casu inversa erit illius, quæ fuerat in primo; quare satis ad intentum facere Canon ipse videtur.

Objicitur tamen, quod in transitu luminis ex aere in ætherem, scilicet (per ea, quæ supra tradita sunt) ex medio resistentiæ finitæ in alterum resistentiæ infinitesimæ, quamvis detur angulus incidentiæ BeI (Fig. 1), attamen postulat ipse Canon, ut nullo modo assignari possit angulus refractionis AeR. Cum sit enim resistentia ætheris ad resistentiam aeris ut sinus anguli incidentiæ BI ad sinum anguli refractionis AR, resistentia aeris est infinite major resistentia ætheris, & proinde AR debet esse infinite major BI. Quælibet igitur sit quantitas finita BI, nunquam potest assignari quantitas AR; quam ob rem vel is Canon vel Phænomenon propositum in hoc etiam casu falsitatis arguendum esse deprehenditur.

Contra hanc difficultatem responderi potest, quod in eo casu radius ex medio densiore non emergit in rarius, sed potius regre-

regreditur tanquam reflexus. Quo posito sequitur, lumen ex æthere in aerem immergi, non autem ex hoc in illum emergere. At lumen coloris ærei, quod exhibet Luna in defectu (P. Ricciolo in Almagesto indicante) est illud Solis, quod a nostra Atmosphæra refringitur; patet itaque, lumen ex æthere in aerem immergi, & ex hoc in illum emergere. Quam ob rem (ni fallor) in hoc etiam casu ipse Canon deficit, & propositum Phænomenon confirmatur.


Non ita Canoni nostro contingit: si radii extrema linea *FG* (Fig. 2) propagatur in medio densiore intra rectas *mG*, *OF*; facilitas propagationis esse potest vel æquabilis vel successive repressa. Si æquabilis est; inde sequitur, quod constanter sit applicata illa vis, unde oritur propagatio, ac radius hominem imitetur, qui vi semper eadem innatans, difficilius movetur in aqua densiore; at si ex hac in alteram rariorem transit, majorem innatandi facilitatem indipiscit. Si vero facilitas, qua lumen propagatur in medio densiore successive reprimitur, sequitur, quod minor sit in medio rariore repressio, & ideo propagationis facilitas major sit in rariore quam in densiore.

His positis, si radii extrema linea *FG* (Fig. 2) propagata intra rectas *mG*, *OF* incidit oblique ex densiore in superficiem *CG* medii rarioris, huic primum occurrit, ac primum emergit punctum *G*, dum adhuc punctum *F* per medium densius propagatur. Cum autem minorem difficultatem offendat punctum *G*, quam punctum *F*, necesse est ut in transitu ex uno medio in aliud ea puncta *F*, *G* propagentur per curvas *GB*, *FC*; Dum scilicet punctum *F* propagatur ægrius in medio densiore per arcum minorem *FC*, necesse est, (inquam) ut punctum *G* propagetur facilius in rariore per arcum majorem *GB*; donec tota linea *FG* emergente, ac acquirente positionem *CB*, iterum propagatio fiat punctorum extremorum *C*, *B* per alias rectas *CD*, *BA*. Hinc igitur Demonstrationis præmissæ vestigiis insistendo intelligitur sinus angulorum incidentiæ & refractionis in transitu quoque ex medio densiore in rarius esse inter se ut facilitates, quibus lumen in mediis inæqualiter resistentibus propagatur.

Si igitur propagationis facilitas æquabilis est, post emersionem

nem ex densiore in rarius, eadem redit, quæ fuerat ante immersionem ex rariore in densius; si facilitas propagationis successive reprimitur, in transitu ex densiore in rarius ita fit ordine inverso repressio, sicut in transitu ex rariore in densius antea fiebat. Quoniam autem hæc contingere patet, cujuslibet resistentiæ sit medium rarius, sive finitæ sive infinitesimæ; colligitur itaque, rationem inter facilitates propagationum in uno casu esse semper inversam illius, quæ fuerat in altero. Et quoniam ita pariter inter se habentur sinus angulorum incidentiæ & refractionis, itaque in transitu luminis ex densiore in rarius dato angulo incidentiæ assignatur angulus refractionis eo pacto, quo erat explicandum.

Fig. 2.



 Corol-

Corollarii loco subjiciendum est, hinc aliam emanare legem, quam Newtonus tradit in libro supra citato: Is ait, quod si radius refractus ad punctum incidentiæ revertatur, in eandem lineam refrangitur, quam incidens ante descripserat. Hujus quoque legis explicatio est eadem, quæ prior, & ideo sufficiat illam indicasse.

PHÆNOMENON III.

Radius qui ex medio densiore transit in rarius, est diversus ab illo, qui ex rariore transit in densius, ac diversitas in eo consistit, quod ille non semper ex densiore in rarius emergit; sed si angulus incidentiæ est nimis magnus, emersione in immersionem mutata regreditur tanquam reflexus: Radius autem, qui transit ex rariore in densius, semper immergitur.

EXPLICATIO.

Principia Bernoulliana videntur in hoc Phænomeno explicando deficere: transeunte radio *Be* (Fig. 1) ex medio densiore *BCD* in rarius *CDA*, Virga rigida *CD* instar axis admittat more Bernoulliano verticillum *e*, qui lubricissime fluat. Huic verticillo duo funiculi alligati sint *eAm*, *eBn* trochleas *A*, *B* superambientes, inque suis extremitatibus suspensa sustinentes duo pondera inæqualia *n*, *m*, quæ mediorum resistentias exprimant. Deinde ostendatur, verticillum *e* pertrahendum esse in virga *CD* ad eum locum, in quo sinus anguli *BeI* repræsentantis angulum incidentiæ ad sinum anguli *AeR* exhibentis angulum refractionis sit ut pondus *m* exponens resistentiam medii rarioris *ADC* ad pondus *n* exprimens resistentiam medii densioris *DCB*. His positis, verticillus *e* ita se componere debet, ut semper adsint Anguli *BeI*, *AeR*, ut unus nempe alteri semper respondeat. Quamobrem longe abesse videtur, ut ex hoc principio mechanico eliciatur ratio, qua ob nimiam magnitudinem anguli incidentiæ *BeI* (deficiente angulo refractionis *AeR*) reflexionem potius quam refractionem radius patiatur.

Non ita principia nostra deficiunt: ex densiore in superficiem medii rarioris *CG* (Fig. 2) radius incidat *mGFO*, cujus linea extrema *FG* ita sit inclinata, ut antequam emergat tota,

posi-

poſitionem acquirat *S n* perpendicularem ſuperficiei refringenti *CG*. Quoniam propagatur facilius (medio permittente rariore) pars emerſa *Cn*, & ægrius (medio impediente denſiore) pars immerſa *CS*; tota linea *Sn* (cujus partes facilitate cientur inæquali) non amplius propagabitur pro peragenda emerſione; ſed contra medium denſius inclinata ad immerſionem regredietur, & tota ipſo medio motus immerſa, poſitione *PQ*, ac directione *QR* propagabitur tanquam reflexa.

Cum iterum ſit æqualis propagationis facilitas, hinc acquiſita in emerſione, & inde amiſſa in immerſione, ſi facilitati acquiſitæ mutatio reſpondet poſitionis *FG* in *SN*, neceſſe eſt, ut facilitati amiſſæ reſpondeat æqualis etiam mutatio poſitionis *SN* in *PR*. Cum igitur angulus *CQP* ſit æqualis angulo *CGF*, recti ſunt anguli *RQP*, *mGF*, & æquales per conſequens anguli *RQT*, *mGV*: Nimirum extrema linea *FG* poſt inceptam emerſionem redit ad immerſionem ea lege, qua reflexionem ſubire ſolet.

Hinc patet, quod ipſa linea *FG* ex medio denſiore emergenda mutari poteſt in immergendam, ſi nimis magnus eſt angulus incidentiæ *O G m*; Cum enim refractio a perpendiculari diſcedat, emerſio incipere poteſt, & antequam peragatur, fieri ejus lineæ poſitio *Sn* perpendicularis ſuperficiei refringenti *CG*, & inde ad immerſionem reclinari. At pariter manifeſtum eſt, quod ipſa linea *FG* in medium denſius immergenda mutari nequit in emergendam. Quislibet enim ſit angulus incidentiæ *OG n*, cum tamen refractio ad perpendicularem accedat, nullam ea linea poteſt in actu immerſionis poſitionem acquirere, qua ulterius introire recuſet.

Quamvis radii extrema linea *FG* ſit infinite parva, arcus tamen *FC*, *GB* (per ea, quæ ſupra docuimus) inter ſe ſunt, ut facilitates, quibus propagatio ſit in mediis inæqualiter reſiſtentibus. Sunt autem in eadem proportione ſinus angulorum incidentiæ & refractionis; Si hæc igitur proportio in terminis finitis aſſignatur, facile intelligitur, rectas quoque *Gm*, *BA*, quæ tangunt arcum ſuperiorem *GB* in punctis extremis *G*, *B* ad ſe invicem ſub angulo aſſignabili inclinari. Cum itaque radius

transiens ex directione *m G* in alteram *B A* per alias directiones medias transiturus sit; si aliqua ex his est parallela superficiei refringenti *CG*, tunc emersione in immersionem mutata, radius regreditur tanquam reflexus. Quare patet, quod licet infinite parva sit incidentis radii diameter, idem semper effectus contingere debet, & juxta leges propositas refractio fieri, vel in reflexionem mutari. Quod erat explicandum.

PHÆNOMENON IV.

Resistentiæ aeris & aquæ inveniuntur directe, ut differentiæ inter sinus angulorum incidentiæ & refractionis in transitu luminis ex æthere in aerem, & in transitu ex æthere in aquam.

Ex observationibus in Anglia habitis ac in Commentariis Regiæ Academiæ Parisiorum anni 1700 relatis colligitur, esse ipsorum angulorum sinus in transitu ex æthere in aerem ut 100036, 100000, & in transitu ex æthere in aquam ut 134400, 100000. Quare eliciuntur differentiæ inter eos sinus, ea scilicet, quæ habetur in uno casu ad illam, quæ habetur in altero, ut 100036-100000, 134400 - 100000, vel ut 1, 955. At Newtonus in Principiis Mathematicis ex suis experimentis pendulorum in aere & aqua oscillantium elicuit resistentias aeris & aquæ esse inter se ut 1 ad 800 vel 900; licet igitur has sumere resistentias differentiis illis directe proportionales.

EXPLICATIO.

In hujus Phænomeni explicatione Canon Bernoullianus videtur non modo deficere, sed etiam adversari; cum enim sinus angulorum incidentiæ & refractionis in transitu luminis ex æthere in aerem inter se sint ut 100036, 100000, & in transitu ex æthere in aquam ut 134400, 100000, erunt ipsorum angulorum sinus in transittu ex aere in aquam ut 134400, 100036. Quare sequitur ex ipso Canone, proportionem inter resistentias aeris & aquæ esse ut 100036, 134400, vel quam proxime ut 1, 13, valde diversam ab illa (ut 1 ad 800 vel 900), quæ ab experientia indicatur.

Ut hujus diversitatis causa intelligatur, notetur prius, quod in transitu luminis ex aere in aquam ex lege actionis & reactionis

Autor

Autor elicuit, resistentias aeris & aquæ esse inter se, ut vires, quibus lumini opus est ad eas resistentias superandas; & quoniam statuit has vires in puncto incidentiæ obniti, ex suo mechanico principio collegit, easdem vires, & per consequens easdem resistentias esse reciproce inter se, ut sinus angulorum incidentiæ & refractionis. Ad memoriam deinde revocetur, quod in puncto incidentiæ ex una parte obnititur illa vis, quæ superest lumini post aeris resistentiam superatam, & ex altera parte obnititur altera vis, quæ refertur ad excessum, quo resistentia aquæ superat resistentiam aeris; non autem obnituntur vires, quibus lumini opus est ad superandas resistentias aeris & aquæ. Quare perperam Autor (ni fallor) ex mechanico suo principio collegit, has vires, sive horum mediorum resistentias sinibus illorum angulorum reciproce respondere.

Denique loco virium, quibus dicitur lumen per media resistentia ferri, substitutis facilitatibus, quibus dicatur illud per eadem media propagari, ex lege actionis & reactionis iterum colligatur, esse resistentias aeris & aquæ, ut facilitates, quas lumen amittit in transitu ex æthere in aerem, & in transitu ex æthere in aquam. Quoniam autem sinus angulorum incidentiæ & refractionis inter se sunt juxta Canonem nostrum ut facilitates, quibus lumen in mediis inæqualiter resistentibus propagatur, hinc facile elicitur differentia inter eos sinus in transitu luminis ex æthere in aerem ad differentiam inter eosdem sinus in transitu ex æthere in aquam, ut differentia inter facilitates, quibus lumen propagatur in æthere & aere, ad differentiam inter facilitates, quibus propagatio fit in æthere & aqua, vel ut facilitas, quam lumen amittit in transitu ex æthere in aerem, ad facilitatem, quam amittit in transitu ex æthere in aquam, vel tandem ut resistentia aeris ad resistentiam aquæ: Quod erat explicandum.

Proportiones inter sinus angulorum incidentiæ & refractionis ab Anglis inventæ exponuntur in transitu luminis ex æthere in aerem numeris 100036, 100000; in transitu ex æthere in aquam numeris 134400, 100000, ita ut constans in utroque casu sit angulus refractionis. Cum autem sinus ipsorum angulorum inter se sint ut facilitates, quibus lumen in mediis inæqualiter resi-

resistentibus propagatur, erunt proportiones inter facilitates propagationum in æthere & aere ut 100036, 100000, in æthere & aqua ut 134400, 100000. At si loco primæ proportionis altera æqualis substituatur expressa numeris 100000, 99964; loco secundæ altera æqualis substituenda pariter erit, quæ numeris 100000, 74404 exprimatur, adeo ut constans in utroque casu sit facilitas propagationis in æthere. Cum enim facilitates, quibus lumen propagatur in aere & aqua, sint reliquiæ illius facilitatis, qua propagatur in æthere, constans hæc esse debet, transeunte lumine vel ex æthere in aerem, vel ex æthere in aquam. Quare si loco facilitatum restituantur sinus incidentiæ & refractionis, isti exprimendi sunt (ni decipior) in transitu ex æthere in aerem numeris 100000, 99964, & in transitu ex æthere in aquam numeris 100000, 74404, ita ut in utroque casu sit constans angulus incidentiæ in æthere.

Differentiæ igitur inter eos sinus transeunte lumine ex æthere in aerem, & ex æthere in aquam statuendæ esse videntur, non juxta computum Anglorum ut 100036 - 100000, 134400-100000, vel ut 1, 955, sed juxta nostrum ut 100000 - 99964, 100000-74404, vel ut 1, 711. Porro Newtonus ex suis experimentis pendulorum in aere & aqua oscillantium invenit aeris & aquæ resistentias ut 1, 571; deinde subjunxit, *quod si penduli in aqua oscillantis filum totum fuisset immersum, resistentia ejus fuisset adbuc major, adeo, ut penduli in aere oscillantis resistentia illa, quæ velocitatis quadrato proportionalis est, quaque sola in corporibus velocioribus consideranda venit, sit ad resistentiam ejusdem penduli totius, eadem cum velocitate in aqua oscillantis, ut 1 ad 800, vel 900 circiter, hoc est ut densitas aeris ad densitatem aquæ quam proxime.* Videtur autem proportio inter resistentias aeris & aquæ, quam Newtonus invenit, majorem illa (ut 1, 571) magis esse appropinquatura ad illam ut 1, 711, quæ deducitur ex refractione juxta computum nostrum, quam ad illam ut 1 ad 800, vel 900, quæ refertur ad densitates juxta computum Newtoni, vel ad illam ut 1, 955, quæ elicitur ex refractione juxta computum Anglorum.

Cum in transitu luminis ex æthere in alia media densiora diffe-

differentiæ inter sinus angulorum incidentiæ & refractionis sint ut facilitates, quas lumen in penetrandis mediis amittit, vel ut mediorum resistentiæ; ita incidat radius *Ae* (Fig. 1) ex æthere in medium densius *DCB*, ut infinite parvus sit angulus *AeD*, complementum anguli incidentiæ: ac is radius ita refringatur in *eB*, ut sit angulus refractionis *BeI*, cujus sinus *BI*: sumatur *eH* æqualis *BI*, ac ducatur *FH* parallela ad ipsam *BI*. Denique constantes maneant æther & angulus incidentiæ, mutetur autem medium densius, & per consequens angulus refractionis. Hinc vocatis *eB* (a), *eF* (x), *FH* (y), in triangulis similibus *eBI*, *eHF* invenitur analogia, $IB\,(\sqrt{x^2+y^2}).\,HF\,(y) :: eB\,(a).\,eH\,(\sqrt{x^2+y^2})$, ex qua deducitur $\overline{a-y}.\,y = x^2$.

Si itaque dividatur *eP* bifariam in *C*, ac ex puncto C, semidiametro *Ce*, descripto semicirculo *eAP*, ducatur quælibet recta *eHB*; exponente *eH* sinum anguli refractionis, intercepta *HB* exprimet differentiam inter hunc sinum & illum anguli incidentiæ, vel facilitatem, quam in penetrando medio lumen amittit, vel tandem ipsius medii resistentiam.

Ab hac constructione plura notatu digna indicantur: In transitu luminis ex medio densiore in rarius agnoscitur, quis sit angulus incidentiæ, extra quem incidens lumen reflectatur potius quam refringatur. Si enim dividatur semidiameter *eO* in puncto *k*, ut sit *eO*, *eK*, sicut angulorum incidentiæ & refractionis sinus, ac ex centro *e*, semidiametro *eK*, describatur arcus *KH* secans semicirculum *eHP* in puncto *H*; recta *eHB* transiens per punctum *H* faciet angulum *BeI*, extra quem incidens lumen reflexionem potius quam refractionem patietur.

Cum refractiones oriantur ex facilitatibus, quas lumen in penetrandis mediis amittit, his facilitatibus amissis respondent resistentiæ mediorum, & his resistentiis vires refractivæ, quæ mediis ipsis tribuuntur, ac pariter differentiæ inter sinus angulorum incidentiæ & refractionis. Quamobrem his differentiis eas pariter vires refractivas in præfatis Commentariis Regiæ Academiæ Parisiorum recte dicitur respondere. Itaque in transitu luminis ex æthere in medium densius vim hujus refractivam,

Q sive

ſive reſiſtentiam licet agnoſcere; ſi enim dividatur ut prius ſemidiameter *e O* in puncto *K*, ut ſit *e O*, *e K* ſicut angulorum incidentiæ & refractionis ſinus, ac ex centro *e*, ſemidiametro *e K*, deſcripto arcu *K H*, agatur per punctum interſectionis *H* recta *e HB*, intercepta *H B* vim refractivam, ſeu reſiſtentiam medii denſioris exponet.

Hinc tabulam conſtruximus, cujus prima columna in partibus decem milleſimis indicat proportionem ſinuum incidentiæ & refractionis, in tranſitu luminis ex æthere in illa media, quæ Newtonus poſuit in tabula prop. 10 part. 3 Lib. 2 Optices. Oſtendit ſecunda Columna vires refractivas ſeu reſiſtentias ipſorum mediorum abſolutas, quæ in ipſis partibus exprimuntur. Gravitates ſpecificas, ſeu denſitates mediorum tertia columna in partibus iisdem exponit. Interim deficiebant in hac tabula tenacitates, quæ ad denſitates additæ reſiſtentias abſolutas mediorum, ſeu vires refractivas componunt. At tenacitas in uno medio inveniri non poterat, niſi prius ea cognita foret in altero: Hæc porro in nullo medio cognoſcebatur, ſed obſervare tamen licebat, in quo medio illa minima videbatur. Hinc Vitrum Antimonii notavi, quam maxime friabile, perexigua ſcilicet affectum tenacitate, quare hoc ſatis ad intentum facere viſum fuit.

Cum vis refractiva hujus vitri ſit 4706, ejus denſitas 52800, obſervavi vim refractivam aeris $3+6:10$, & ejus denſitatem 12. Hinc ſtatui, quod ſi nulla foret ipſius vitri tenacitas, haberetur analogia 4706. 52800 :: $\overline{3+6}:\overline{10}$. 40. Poſito itaque, quod vitrum Antimonii tenacitate careat, ſi ipſe quoque aer tenacitate careret, ejus denſitas conſtaret ex partibus 40. At hæc conſtat ex partibus 12; colligitur itaque, vim refractivam aeris componi ex ſumma duorum elementorum, ſcilicet ex denſitate 12, & ex tenacitate 28. Vera hæc eſſet aeris tenacitas, ſi nulla foret illa vitri Antimonii; at quoniam aliqua hæc eſt, ea quoque aeris eſt major quam illa inventa. Cum tamen pateat, ipſius vitri tenacitatem perexiguam eſſe; Si itaque negatur exacte illam aeris invenire, ſaltem datur eam proxime agnoſcere; intelligitur enim, veram aeris tenacitatem non eſſe minorem inventa, ſed illam eſſe paulo majorem. Tali pacto aliorum mediorum tenacitates

elicui,

elicui, ac in quarta tabulæ columna descripsi, quæ nisi exacte, saltem proxime veræ sunt, cum veræ sint paulo majores inventis, non autem minores.

Corpora refringentia	*Proportio sinuum incidentiæ & refractionis seu proportio facilitatum, quibus propagatur lumen ex æthere in alia media.*	*Vires refractivæ seu Resistentiæ mediorum absolutæ.*	*Gravitates specificæ seu densitates mediorum.*	*Tenacitates.*
Pseudo-Topazius	10000 - 6087	3913	42700	1200
Aer	10000 - 9996 + 4:10	3 +. 6: 10	12	28
Vitrum Antimonii	10000 - 5294	4706	52800	—
Selenites	10000 - 6721	3279	22520	14270
Vitrum commune	10000 - 6451	3549	25800	14015
Chrystallus de Rupe	10000 - 6400	3600	26500	13890
Chrystallus Islandica	10000 - 6000	4000	27200	17676
Sal Gemmæ	10000 - 6470	3530	21430	18175
Alumen	10000 - 6857	3543	17140	18124
Borax	10000 - 6818	3182	17140	18566
Vitrum	10000 - 6562	3438	19000	19574
Vitriolum Dantzicum	10000 - 6600	3400	17150	20997
Oleum Vitrioli	10000 - 7000	3000	17000	16656
Aqua pluvia	10000 - 7440	2560	10000	18720
Gummi Arabicum	10000 - 6774	3226	13750	12444
Spiritus vini	10000 - 7300	2700	8660	21636
Camphora	10000 - 6666	3334	9960	17448
Olivum	10000 - 6818	3182	9130	26574
Oleum ex lini semine	10000 - 6750	3250	9320	27146
Spiritus Terebentinæ	10000 - 6800	3200	8740	27166
Electrum	10000 - 6429	3571	10400	30365
Adamas	10000 - 4100	5900	34000	32197

Proportiones sinuum incidentiæ & refractionis, ac densitates mediorum in hac tabula descriptæ cum illis conveniunt, quæ in tabula Newtoniana leguntur; discrepant autem proportiones inter vires refractivas, & densitates; At de hac discrepantia non miror, videtur enim tabula Newtoniana falsæ Hypothesi insistere, qua nimirum supponitur, lumen esse celerius in corporibus quam in inani.

Mirum est potius, quod in nostra tabula inveniatur resistentia aquæ, quæ oritur ex tenacitate, major illa, quæ provenit ex densitate. Nam ea difficultatem faciunt, quæ Newtonus docet

quæſtione vigeſima Optices. Is ait, *quod Calor multum facit ad fluiditatem, diminuendo tenacitatem corporum: Fluida reddit multa corpora, quæ alioquin fluida non ſunt, augetque fluiditatem liquorum tenacium, ut olei & mellis, eorumque vim reſiſtentem eo pacto imminuit, quod utique facere deberet, ſi quidem aquæ reſiſtentiæ pars aliqua notatu digna oriretur ex tenacitate partium ſuarum. Quare aquæ vis reſiſtens oritur præcipue ex vi inertiæ materiæ ſuæ.*

Huic difficultati Autor ipſe reſpondere debuerat; cum enim in prop. 10 part. 3 Lib. 2 ejusdem operis, is quoque colligat ex luminis refractione, aquam eſſe mediæ naturæ inter corpora pinguia, ſulphurea & unctuoſa, ut Camphoram & oleum, ac inter alia terreſtria, macra, & alcalizata, ut Pſeudo-Topazium & Vitrum Antimonii, materiam aquæ conſentit non exigua tenacitate coire. Cum autem ille præmiſſam difficultatem prætereat, ea, quæ ad rem noſtram faciunt, in medium ferenda ſunt.

Si verum eſt, quod ex partibus ſolidis conſtent omnia corpora fluida; alia tenacitas eſt, qua ſimul univerſæ corporis fluidi partes adhærent, & alia qua coit ſingularum partium materia. Tenacitas autem, cujus inops (fluiditatis cauſa) dicitur aqua, primi generis eſſe videtur; generis (inquam) illius, quod ad refractionem non facit; hanc enim patitur lumen (ni fallor) penetrando materiam ſingularum partium; Quare tenacitas, cujus dives (refractionis cauſa) aqua dicitur, eſſe videtur ſecundi generis. Hoc etiam confirmatur ex eo, quod aqua ſive in liquorem ſoluta, ſive in glaciem indurata, refractionem (teſte P. Lana) in utroque caſu quam proxime æqualem efficit: Quare vitrum quoque in liquorem (ut aqua) ſolutum, æque lumen refringeret, ac in ſoliditatem (ut glacies) induratum, nam materia ſingularum partium æque in utroque caſu luminis penetrationi reſiſteret. Dum agitur itaque de luminis refractione, tenacitatem eſſe intelligendam puto, non illam propriam corporis fluidi, qua minimæ ejus partes inter ſe adhærent; ſed illam æque communem corpori tam fluido, quam ſolido, qua ſcilicet materia partium ſingularum cogitur. Quare non miror, ſi a refractione judicatur

dicatur reſiſtentiam aquæ, quæ tribuitur tenacitati, majorem illa eſſe, quæ adſcribitur denſitati.

Itaque addendum eſt, quod in tranſitu luminis ex aere in aquam ſinus angulorum incidentiæ & refractionis ſunt ut 99964, 74404; quare reſiſtentiis aeris & aquæ relativis ad denſitatem exiſtentibus ut 12, 10000, vel ut 1, 833, ut ipſorum mediorum reſiſtentiæ abſolutæ ſint juxta Canonem Bernoullianum ut 74404, 99964, oportet eorum reſiſtentias relativas ad tenacitatem eſſe ut 1118, 1; & hoc neſcio quo colore affirmari poſſit. Diverſam autem invenimus, ſi noſtro Canoni inſiſtimus; cum enim reſiſtentiæ abſolutæ aeris & aquæ juxta iſtum Canonem ſint ut 36, 25596, vel ut 1, 711; ſi horum mediorum reſiſtentiæ relativæ ad denſitates ſunt ut 1, 833, ipſorum reſiſtentiæ relativæ ad tenacitates erunt ut 1, 589, ſcilicet in ratione diverſa parum ab illa (ut 28, 18720, vel ut 1, 672), quæ ex tabula prædicta reſultat. Quare in omnibus & per omnia Canon Bernoullianus elidi, & noſter confirmari videtur.

Prætermittenda non eſt vis refractiva, ſeu reſiſtentia illa, quæ medium denſius lumini impervium facit. Cum enim in tranſitu ex æthere in aquam ſinus angulorum incidentiæ & refractionis ſint 100000, & 74404, vel quam proxime 4 & 3, & per conſequens vis refractiva ſeu reſiſtentia aquæ 4 - 3 (1); ut penetrationis facilitate pereunte refractio omnino tollatur, ſufficit vim refractivam, ſeu reſiſtentiam medii denſioris eſſe majorem quadruplo illa aquæ. Quod in cauſa eſſe poteſt, ut corpora opaca fiant.

Tandem concluſionis loco ſequens obſervatio ſubjungenda eſt: corpus elaterii expers, cujus maſſa e, feratur directe velocitate f in alia duo corpora quieta, ac ea pariter elaterii expertia, ſemel in corpus, cujus maſſa r, & rurſus in aliud, cujus maſſa R: ea lege, qua corpora inertia moventur, elicitur corpus e poſt congreſſum ferri in primo caſu velocitate $fe : \overline{r+e}$, & in ſecundo velocitate $fe : \overline{R+e}$. Hoc poſito velocitates, quibus movetur corpus e ante & poſt congreſſum, erunt in primo caſu ut f, $fe : \overline{r+e}$; vel ut $r+e$, e; & in ſecundo ut f, $fe : \overline{R+e}$, vel ut

R+e, *e*; ex quo elicitur differentia inter eas velocitates in primo casu ad eandem differentiam in secundo ut *r*, *R*, nimirum ut massæ ipsorum corporum *r*, *R*.

In transitu luminis ex æthere in aerem, & ex æthere in aquam vidimus, esse resistentias aeris & aquæ ut differentias inter sinus angulorum incidentiæ & refractionis, qui propagationum facilitates exponunt. Si igitur comparamus resistentias aeris & aquæ cum massis corporum *r*, *R*, luminis energiam cum massa corporis *e*, & facilitates, quibus lumen propagatur, cum velocitatibus, quibus ante & post congressum movetur ipsum corpus *e*, loco quantitatum illarum his aliis proportionalibus substitutis, in uno casu uti possumus eo discursu, quo in altero usi sumus, ac in utroque similes consequentias elicere. At analogiam inter has quantitates esse percipimus, & consequentias, quæ similes in utroque casu eliciuntur, veras esse cognoscimus; itaque intelligimus, actionem luminis transeuntis ex medio rariore in densius, eam scilicet pertinentem ad facilitates, quibus lumen in mediis inæqualiter resistentibus propagatur, eo modo temperari, quo natura moderatur motus corporum elaterii expertium.

Si rursus pila *BC* (Fig. 2) elaterii expers (cujus puncta extrema *BC* ferantur pari velocitate per rectas *AB*, *DC*) impingat oblique in alteram quietam *GF*, hanc etiam elaterii expertem; hæ pilæ simul invicem comprimentur, geminæ in unam coituræ. Cum autem minorem resistentiam inveniat punctum *B*, quam punctum *C*; necesse est, ut in tempore compressionis punctum *B* moveatur citius per arcum majorem *BG*, dum alterum punctum *C* movetur tardius per arcum minorem *CF*, donec peracta compressione, ac mutata positione *BC* in alteram (puta) *GF*, iterum pari velocitate ferantur per rectas *GM*, *FO*. Quoniam igitur demonstravimus, ita transire ex medio rariore *BCG* in densius *CGF* radium *ABCD*, cujus extrema linea *BC*, videtur itaque temperari, ut motum corporum elaterii expertium, actionem radii transeuntis ex medio rariore in densius, ac non modo eam actionem pertinentem ad facilitates, sed etiam illam pertinentem ad directiones, quibus fit in mediis inæqualiter resistentibus propagatio.

Cum

Cum tandem diameter radii talis sit, ut tanquam infinite parva nisi Mathematice, saltem Physice sumi queat, indicavimus ea, quæ supra demonstrata sunt, alteranda non esse nec a tremitu, nec a quolibet alio elemento, quod in collisionibus locum invenit. Quare ex hoc etiam patet, actionem uminis ex medio rariore in densius transeuntis, vel illam pertinentem ad facilitates, vel illam pertinentem ad directiones, temperandam esse ut motum corporum elaterii expertium. Quoniam igitur ita fieri ex Phænomenis etiam constat, videtur itaque huic nostræ explicationi omnia conspirantia favere.

JOANN. CASP. LOESCHERI, S. THEOL. Doct. Superint. & Past. prim. Rochlitiens. Liber II de Patribus Africanis, in quo de S. Athanasii, Cyrilli Alex. Didymi Alex. Eutychii Alex. Isidori Pelus. Macariorum, Nili, Nonni, Origenis Adamant. Pauli Theb. Paphnutii &c. vita, eruditione, meritis, scriptis, elogiis, nævis, singularibus rebus & autoritate exponitur.

Rochlitii, formis Langianis, 1724, 8.
Plag. 12.

NOn defuit promissis, priori Libro, in his Actis recensito, factis, S.R. Autor, secundoque hoc libro eadem methodo pergit ad Patres, qui veram Christi Ecclesiam ornarunt, Ægyptios; inter quos Alexandrini reliquis facile palmam præripiunt, sigillatim *Athanasius*, *Clemens*, *Cyrillus*, *Didymus*, *Origenes*, *Theophilus*, *Dionysius* & alii. In gratiam legentium memorabilia non hujus tantum, sed prioris etiam libri peculiari indice complexus est. Promittit præterea, Accessiones ad utramque libri totius partem, si summo visum fuerit Numini, suo tempore in lucem prodituras. Ex parte autem hac secunda quædam breviter delibare, Ben. Lectori haud ingratum fore autumamus. Pag. 15 abominatur errorem *Autoris Anonymi Angli*, doctrinam de *S. Trinitate* a Valentinianis coortam esse, absque fronte tradentis.

Pag.

Pag. 22, *Clementem Alexandrinum* Plutarchum Chriſtianum a non nemine habitum obſervat, Jacobumque Gaddium taxat, qui jam dictum Autorem Præſulem Alexandrinum fuiſſe contendebat. P. 44, *Origenem Adamantium* omnium, qui ſanctum regni Chriſti cœtum ornarunt, Presbyterorum doctiſſimum fuiſſe, cenſet. Pag. 50, B. Kortholti judicium, Origenem, ſi errores ſibi objectos pro ſuis non agnoviſſet, diſſenſum ſuum publico ſcripto teſtari debuiſſe, referens, hoc forte ab Origene aliquo loco factum ſuſpicatur; etſi de omnibus ejus erroribus idem ſibi perſuadere nolit. Id ex eo colligit, quia pleraque ejus ſcripta hodie non extant, & quia Hieronymus (vid. p. 53) ex quadam Origenis epiſtola, Origenem cum dolore faſſum retulit, *ſe multa erronea ſcripſiſſe*. Pag. 59 commemorat, Origenem in Libris contra Celſum teſtari, crepitus ventris ſ. v. ab Ægyptiis pro re ſancta ſtultiſſime habitos fuiſſe. Idem Origenis liber a Philippo Labbeo opus aureum nuncupabatur, vid. p. 59. *Dionyſium Alexandrinum* Antiſtitem Romanum in ſuis ad hunc Epiſtolis fratrem appellaſſe, p. 66 enarrat. Pag. 97 occaſione epiſtolarum *Paſchalium* ab *Athanaſio* cum ad alios, tum ad ipſos Romanorum Epiſcopos, ſcriptarum obſervat, Athanaſium, etſi hoc jus ad ipſum & reliquos Alexandrinæ Eccleſiæ Antiſtites pertinuerit, nullam ſibi tamen prærogativam ex hac conſuetudine arrogaſſe, quam haud dubie Romanos Antiſtites ſibi aſſerturos fuiſſe credit, ſi hoc jus ad eos ſpectaſſet. Cum Petro Nannio, nulli Patrum plures libros fuiſſe ſuppoſitos, pag. 97 exiſtimat. Veritatem hiſtoriæ de *Paphnutio* cælibe pro ſacerdotum conjugio in concilio Nicæno magno cum pondere ſententiam dicente, idque graviter defendente, adverſus Pontificios pag. 104 ſeq. vindicat. *Homilias Cyrilli Alexandrini* tanto in honore ſacerdotibus Ægyptiacis fuiſſe, ex Gennadio notat, ut verba ad populum pro concione facturi eas memoriæ mandatas ex ſacro ſuggeſtu recitarint. Mittimus alia, quia ratio inſtituti noſtri, quod prolixitatem non fert, plura annectere vetat.

JO. CASP. LOESCHERI, S. TH. D. SUPERint. & Paſt. Rochlit. Parergorum Sacror. Exercit. XI & XII,

XII, quarum illa de ficto Mosis sacerdotio, hæc de homine interno & spir. in impiis exponit.

Dresdæ, sumtibus Hæred. Miethianorum, 1723, 4.
Const. plagulis 7.

Continuatio hæc Parergorum Sacr. Autoris duo tractat argumenta haud levis momenti. Prima harum Exercitationum Romani cœtus fautoribus opposita est, in qua Autor refutato *Tolandi* iniquissimo de Mose judicio, Bellarminum, Gretserum aliosque Romani cœtus, Mosi summum sacerdotium idque Aaronis sacerdotio eminentius tribuentes refellit, causamque, cur ita sentiant, uberius exponit, & quantum illis intersit, ut hunc errorem tueantur, planum facit, veramque sententiam idoneis argumentis evincit, confutatis simul adversariorum rationibus. In *altera* Exercitatione res *paradoxa* & perabsurda Fanaticorum quorundam sententia impugnatur. Cum enim homo *internus & spiritualis* solis credentibus vereque piis conveniat, hi talem in impiis pariter ac piis quærunt. Hos igitur, notatis Pontificiorum, Reformatorum, Socinianorum, Arminianorumque de interno homine erroribus, modeste confutat, & *Weigelianorum* non solum errorem refellit, sed Fehrmanni maxime & similium figmentum sibi discutiendum sumit, ultimoque loco argumenta dissolvit, quæ vel adversantis sententiæ fautores urgent, vel ad errorem illum extenuandum facere videntur.

FRANCISCI FABRICII ORATIO IN NAtalem CL sive Annum Jubilæum III Academiæ Batavæ, quæ est Lugduni Bat. habita autoritate publica d. VIII Febr. MDCCXXV.

Lugd. B. in typographia Acad. Petri van der Aa, 1725, f.
Plag. 17.

Etsi in Orationibus, sigillatim impressis, recensendis parci esse consueverimus, hujus tamen, quam Summe Reverendus *Fabricius*, Magistratu Academico decedens, ipso ejus Natali CL recitavit, vel ideo mentionem faciendam putamus, quod ad Historiam Literariam illustrandam non parum conducit, imprimis

cum Autor notas Orationi sub finem adjunxerit admodum curiosas. Nos pauca pro more enotabimus. Cum orto cum Hispanis bello prudenter perspiceret Guilielmus Arausionensis, Lovaniensem Academiam, quæ unica hactenus fuerat in Belgio, nec religioni, nec statui civili Belgarum satis convenire, autor fuit suasorque,
p. VII. datis d. 28 Dec. A. 1574 ad Status Hollandiæ ordines litteris, ut novam Academiam conderent Lugduni, quod illi
VIII. consilium ita probabant, ut eam haud multo post d. 8. Febr. 1575 solenni ritu inter arma inaugurarent, eodem Jano Dousa, qui nuper urbi præfectus eam contra hostes strenue defenderat,
XIII. primo Academiæ Curatore constituto. De Mathesi hic sigillatim
not. observatur, quod ea inde ab A. 1599 lingua Belgica, autore Mau-
p. 4. ritio Principe, hic doceri cœperit, ne Latinæ ignari artis bellicæ
5. notitia privarentur. Theatrum Anatomicum maximum ante paucos annos incrementum accepit a Jo. Jac. Ravio, qui ei præparata sua cum instrumentis Anatomicis curiosissimis A. 1719 suprema voluntate legavit, cujus legati Indicem propediem emissurus dicitur Cl. Albinus. Memorantur & inter recentiora legata, tum Codices excusi vetustæ editionis & manu scripti
6. rariores, a Celeb. Perizonio, A. 1715 die 6 April exstincto, Bibliothecæ donati, tum Sphæra Astronomica Copernicana, qualis in sola Regis Galliæ supellectile mechanica exstat, a Sebastiano
7. Schepers, Senatore Roterod. A. 1711 Bibliothecæ destinata. Inter legata ad sublevandam studiosorum paupertatem facta, quorum summa centum millia floren. longe superat, recentissima sunt Perizonii, qui 20000, & Samuelis de Zee, qui mortuus 1724 10000 Academiæ reliquit. Professorum aliorumque Virorum do-
10 ss. ctorum, Lugdunum eruditionis suæ fama illustrantium, longos catalogos Noster nectit, simulque nuntiat, Petrum vander Aa in eo esse, ut omnium Professorum vitas cum eorum iconibus in lucem emittat. Imprimis vero extollit virtutem Juvenum studio-
XXVIII. sorum, qui, Gallis A. 1672 urbi imminentibus, in unam cohortem
not. descripti, sub præfecto primario Christiano Meldero, Mathem.
p. 13. Professore, & altero ab illo, Carolo Dematio, Med. D. & Chymiæ Professore, portam, per quam Hagam tenditur, strenue tuendam susceperunt. Quam publice eodem anno elegiaco carmine nomine Magistratus urbani deprædicavit Janus Grœnendicius, urbis

urbis Actuarius, numismate quoque argenteo in rei memoriam cuso ac distributo, cui hoc inscriptum carmen: p. XXIX.

Græcia devictam jactat per Pallada Trojam,
Immensæ strueret cum modo molis equum.
Diva Minerva suis Leydam conservat alumnis,
I nunc, & dubita, queis magis æqua fuit.

Inter cives Academiæ illustres Mauritius imprimis & Fredricus Henricus, Guilielmi I Arausionensis filii, tum Guilielmus III, Patriæ Gubernator ac postea Angliæ Rex, memorantur, nec omittuntur summi Principes alii, qui Academiam sua præsentia dignati sunt, in quibus Russorum imprimis Imperatorum compellat, ejusque singularem in lustrandis rimandisque naturæ arcanis curiositatem extollit, observatque in notis, illo ipso die 8 Febr. paucis ante horis, quam hæc habita Oratio, rebus mortalibus fuisse ereptum tantum Principem. XVII. XXXI. p. 15.

SYSTEMA RELIGIONIS MUHAMEDANÆ.

Petropoli, in officina Cæsarea, 1722, fol.
Alph. 4 pl. 8.

AUtorem hic liber habet Illustrissimum Moldaviæ quondam Principem, in omni doctrinarum genere eximium, *Demetrium Contemirum*. Inter alia illustria eruditionis suæ specimina, quorum pleraque imperfecta sunt, hoc quoque scriptum reliquit, quod ante obitum, qui incidit in diem 21 Augusti anni 1723, Latino sermone ab eo compositum, posteaque in Ruthenicum translatum, Augustissimo Imperatori PETRO MAGNO dicavit, apud quem Senatoris intimique Consiliarii munus admirabili dexteritate administravit. Multi de religione Muhamedanorum hactenus prodidere: inque his palmam reliquis fere præripuit Hadrianus Relandus in suo de religione Mahumedana libro; nihil tamen nostri Autoris scripto in hac materia melius exactiusque in lucem adhuc prodiisse facile vel hinc conjectu est, quod libros Muhamedanorum rarissimos evolvere, eorumque sacra propius introspicere, Autori licuit. Multa itaque hic de genuina eorum doctrina, multa de hæresibus Muhamedanorum, eorumque autoribus reperiuntur, quorum apud reliquos altum est silentium. Præfixa operi est præfatio, erudita multa aliaque conti-

 nens,

nens, quæ Imperii Turcici statum hodiernum concernunt. In encomium Illustriss. Autoris Archimandrita Theophylactus, Scholæ Moscuensis Rector, Oden quandam non inelegantem Latinam, & Gedeon Wiszniowski, Philosophiæ Doctor, inscriptionem satis amplam præmisere. Jam, cum liber ipse nondum ad nos pervenerit, solum, quod possumus, Librorum & Capitum conspectum, qualis nobis transmissus est Petropoli, cum B. L. communicamus.

Divisum est opus in Libros VI. Liber primus continet Capita 12. Capite 1 exponuntur nomina Muhamedis, 2 vita ipsius, 3 persona, 4 mores, 5 initium pseudoprophetiæ illius, 6 quomodo legem a Deo acceperit, 7 ascensus ipsius in cœlum, 8 descensus e cœlo, 9 miracula, quæ scriptis memoriæ prodita leguntur, 10 alia miracula, quæ a plebe narrantur, & virtus filiæ ipsius, qua satisfecit libidini aliquot millium militum, numerusque uxorum ejus, 11 lipsana ipsius, & 12 Successores ejus. Liber II absolvitur 6 Capitibus, quorum primo tractatur de nominibus Curani, vulgo Alcorani, 2 de libro Muhamedis, qui traditiones continet, 3 de doctrina Curani, 4 de falsitate Curani, 5 de stilo Curani, 6 de difficultate idiomatis, quo Curanus scriptus est. Liber III exponit Apocalypsin Muhamedanam. Liber IV constat 21 Capitibus, quorum primo generatim agitur de Theologia Muhamedanorum, 2 exponitur, quid sentiant de Deo, 3 de providentia divina, 4 de creatione eorum, quæ præcesserunt universi creationem, 5 de Angelis, Diabolis, &c. 6 de creatione mundorum, 7 de creatione Adami & Evæ, 8 de Prophetis ab Adamo usque ad Noachum, 9 de ipso Noacho, 10 de Abrahamo, & filiis ejus, 11 de Moyse & Aarone, 12 de Davide & Salomone, 13 de Alexandro Magno, 14 de Salvatore nostro Jesu Christo & beatissima Virgine Deipara, 15 de Sanctis Christianorum, 16 de fine mundi, 17 de universali resurrectione & judicio extremo, 18 de examine peccatorum fidelium, 19 de Araff, igneo fluvio, ipsorum purgatorio, 20 de inferno, & 21 de Paradiso. Liber V habet 15 Capita, quorum primo continetur modesta Autoris excusatio, quod vix valeat omnes, quotquot sunt, ejus superstitionis vanitates describere. In 2 tractatur de Religione Muhammedana in universum, 3 de *Hurl*, i. e. ablutione

totius

totius corporis, & *Aldest*, i. e. ablutione manuum, 4 de *Namar*, i. e. precibus, 5 de *Urudz*, i. e. jejunio, 6 de *Hadz*, i. e. peregrinatione versus Meccam, 7 de præceptis Curani, 8 de operibus ad *Fars*, i. e. præcepta a Deo data, & *Gunnet*, i. e. præcepta a Muhamede instituta pertinentibus, 9 de operibus ad solum *Gunnet* pertinentibus, 10 de operibus meritoriis, sed non necessariis, 11, quod ea, quæ ad *Fars* atque *Gunnet* simul pertinent, & necessaria sunt & meritoria, 12 de aliis operibus meritoriis, 13 de Præceptis *Halat*, i. e. permissivis, 14 de præceptis *Haram*, i. e. prohibitivis, 15 de *Mecrub*, i. e. execrabilibus vel spurcis. Liber VI continet Capita 41, quorum primo tractatur de *Dubun*, i. e. Solennitate generaliter accepta, 2 de Matrimonio, 3 de Divortio, 4 de sepultura & parentalibus, 5 de monumentis *Schejchorum*, i. e. prælatorum, 6 de diebus festis, 7 de Solennitatibus politicis, 8 de sectis *Derwischorum*, i. e. religiosorum in genere, 9 de primis harum sectarum autoribus, 10 de secta *Mewlewi Derwisch*, 11 de secta *Bektachi Derwisch*, 12 de secta *Calenderi Derwisch*, 13 de secta *Kadri Derwisch*, 14 de *Derwischis Torlaz*, & *Ebribubari* dictis, 15 de secta *Jedhemi Derwisch*, 16 de secta *Hysrewi Derwisch*, 17 de *Abdal*, *Urian*, & *Budalla Derwisch*, 18 de *Sejah Derwisch*, 19 de hæresibus Muhamedanorum in genere, 20 de hæresi *Raphasy* dicta, 21 de hæresi *Munasub*, 22 de hæresi *Maalumi*, 23 de hæresi *Himetullahi*, 24 de hæresi *Mesaky Bajagy* &c. 25 de hæresi *Ischraky*, 26 de hæresi *Chajreti*, 27 de hæresi *Muammasi* & *Selis*, 28 de hæresi *Bektaschi*, 29 de hæresi *Kadysadeli*, 30 de hæresi *Mumsejunduren*, 31 de hæresi *Luty*, 32 de idololatris, & impiis Muhamedanorum, 33 de atheis Muhamedanorum, 34 de scientiis, quæ apud Muhamedanos coluntur, 35 de eo quod primum esse debeat in scientiis, 36 de doctrina *Incha* dicta, 37 de scientiis *Reckam gendise* &c. 38 de Logica, Rhetorica, &c. 39 de scientia divinorum nominum, 40 de scientiis *Rasad*, *Sybr*, *Tylsym* &c. & 41 de scientiis *Fal*, *Dzajasuly* &c. prohibitis

ELOGIUM JOACHIMI FRIDERICI FELLERI.

PAtrem habuit B. *Fellerus Joachimum*, Theologiæ Lic. & Poeseos apud nos Professorem, Collegam nostrum sub ipsius hujus instituti auspiciis perindustrium, matrem vero *Annam Do-*

rotheam, *Friderici Rappolti*, Theologi de Academia noſtra optime meriti, filiam, e quibus natus eſt Lipſiæ anno ſuperioris ſæculi LXXIII die 26 Dec. Ingenium nactus ad literarum ſtudia aptiſſimum, mature ſub idoneis magiſtris operam iis dedit, ita ut jam A. 1688, anno ætatis decimo quarto, prima Philoſophiæ laurea ornaretur. A. 1690 literarium iter ingreſſus, Wittebergam primum adiit, *Kirchmaieri*, Viri clariſſimi, convictu & hoſpitio uſus; tum Fribergam delatus, Plur. Rev. *Bayeri*, ab Orientali præſertim literatura celebris viri, bibliothecam diligenter perluſtravit. Hinc Tſchopavia tranſiens non neglexit contemplari *precatoriam*, uti vulgus appellat, *ſpeluncam Valentini Weigelii*, quam pro metallico ipſe cuniculo habere non dubitavit. Aliquanto diutius Sneebergæ commoratus eſt, retinente ipſum *Lichtenhanii*, Medici clariſſimi, humanitate & bibliotheca. Diutius etiam Cygneæ, in Parentis ſui patria, ubi B. *Schlegelii* Superintendentis convictu, hoſpitio autem publico Senatus ipſius uſus eſt, qui demandaverat ipſi curam conficiendi catalogi ejus Bibliothecæ, quæ poſt Chr. *Daumii* V. C. mortem ad Senatum pervenerat. Cum vero Bibliotheca illa libris maximam partem Philologicis conſtaret atque Criticis, tum quid de juvene XVII annos nato judicaverint homines idonei, tum quanta ipſi facultas diſcendi hac occaſione oblata ſit, apparet. Sed interrupit tranquillum hunc ſeceſſum acerba mors Patris, quem, dum ſemiſopitus, deſurgendi cauſa, cubiculo dormitorio egredi vult, malus error ad feneſtram appulerat lorica humiliori, per quam infeliciter adeo in pavimentum delapſus eſt, ut cranio eliſo paulo poſt exanimaretur. Rediit noſter poſt funus patris Cygneam, &, abſoluto demum Catalogo Bibliothecæ Daumianæ, Lipſiam reverſus, ab A. 1693 Juris tum civilis tum publici ſtudio ſeriam operam navare cœpit, Titio præſertim, Menckenio, Franckenſteinioque doctoribus. A. 1696 iter literarium denuo ingreſſus, mox Guelferbyti innotuit magno Leibnitio, cui in tertium annum operam navavit ſedulam in colligenda ex medii ævi ſcriptoribus materia hiſtoriæ Brunſuicenſis, alioſque literarios labores ipſi adjuvit, liberaliter eo nomine tractatus, nec dimiſſus ſine viatico. Circa Hiſtoriam Brunſuicenſem quid egerit, ipſe indicat in vitæ Leibnitianæ ſuppl. „Ex Hiſtoricis medii ævi, mihi

„ex

„ex Bibliotheca Electorali suppeditatis, operose congessi *Ex-„cerpta & Collectanea secundum ordinem annorum*, ab initio Im-„perii Henrici Sancti sive ab anno 1002 usque ad excessum Hen-„rici VI Imperatoris & finem seculi XII. Antiquiores quosvis „scriptores aut coævos primum perlegi, deinde recentiores cum „veteribus comparavi. Gesta præsertim & itinera Imperatorum, „festa Nativitatis Christi, Paschatos, Pentecostes &c. passim „celebrantium, aliaque memorabilia, adhibitis accuratissimis „Chronologis, diplomatibus, chronographis ineditis, quanta „fieri potuit diligentia, annotavi & excussi. Quicquid sub eo-„rum Imperio *de rebus Brunsuicensibus* reperire potui, eo retuli, „ita ut potius Annales rerum ab Imperatoribus seculi XI & XII „gestarum, quam Historia Brunsuicensis appellari mereatur. Neque vero sibi hic ipse defuit. Nam præterquam quod in eo, quo ipse præditus erat, ingenio multa hærere necesse fuit ex tot librorum lectione, & ipso usu reddi ad historiam cum laude tractandam aptius subactiusque, multa etiam tum ex ore ac literis Viri, tum ex libris, quos legebat, hausta sibi seposuit, non ipsi tantum, sed pluribus, quin posteritati profutura. Hoc enim ex fonte profluxerunt, maximam certe partem, primum *Monumenta varia inedita*, quorum fasciculus ultimus, isque XII prodiit anno hujus sæculi XVIII (plures quo minus secuti sint, per B. Virum non stetisse, certum est) deinde literario illi apud Leibnitium otio debetur *Historia Genealogica domus Brunsuicensis*, variis observationibus illustrata, quæ prodiit anno hujus sæculi XVII Lipsiæ, libellus bonæ frugis & optimarum observationum plenissimus, non tantum ad Serenissimæ familiæ, cui Regium Anglorum diadema veterem dignitatem instauravit potius, quam recentem contulit, origines antiquissimas pernoscendas, sed ad alia multa historiarum capita inde illustranda. Sed quantum ex Leibnitiana illa consuetudine profecerit noster, nihil forte melius indicaverit, quam editum ab ipso A. 1718 *Otium Hanoveranum, seu Miscellanea ex ore & schedis Ill. Viri p. m. G. G. Leibnitii quondam notata & descripta &c. quibus præmissum est supplementum vitæ Leibnitianæ*, quod paulo ante laudavimus. In hoc otio plurima inesse, quæ non possunt non esse Leibnitiani nominis i. e. literarum omnium studiosis jucundissima, quisquis legere volue-

rit,

rit, deprehendet. Sed redimus in viam. Hoc labore perfunctus (verba sunt B. „Viri, iis, quæ ante retulimus, proxima) operam meam commodavi celeberri„mo viro *Jobo Ludolfo*, Francofurti ad Mœnum, in Parte secunda *Theatri* „*mundi*, seu historiæ universalis ex recentioribus historicis, Pufendorffio, „Vittorio Siri, Nani, Gallorum Commentariis &c. contexenda. Fateor ta„men, multa memoratu digna, quæ tunc ad illud opus complendum submi„nistraveram, ob festinationem Autoris ætate jam gravis & librarii omissa, alia„que minoris momenti ex Theatro Europæo & similibus scriptoribus arrepta fuisse. „ Anno hujus seculi primo Noribergæ aliquandiu moratus est apud fratrem novercæ suæ, Gotefridum Thomasium, Virum non sola medendi scientia, sed reliquis etiam Apollineis artibus merito suo celeberrimum, ejusque diviti bonæ copiæ bibliotheca fruitus est. Sed amplior paulo post occasio illi nascebatur divitiarum, quæ ingenio comprehenduntur, insigniter augendarum; itinere in Galliam suscepto, in quo, tum Leibnitiana tum sua ipsius commendatione adjutus, innotuit eruditissimis ea tempestate hominibus; in quibus nominare ipse solebat *Hospitalium* Marchionem, tum *Bulteavium* Consiliarium atque Secretarium regium, *Godefredum* & ipsum Consiliarium tabulariique custodem, *Toinardum* præterea, P. *de Vitre*, Abbatem de *Longuerue* & *Bækervium*, qui Palmquisto, Suecorum Regis legato, tum a sacris erat. Redux factus cum Ratisbona transiret medio A. 1702, a Legato Brunsvico-Cellensi, *Schradero*, præfectus est filii ipsius unici, qui postea patri suffectus est, moribus studiisque regendis, mansitque in familia Viri Excellentissimi usque ad auctumnum Anni 1706 hujus seculi, quo ad occupandam Secretarii Ducalis stationem Vinariam commendatione avunculi sui *Rappolti*, qui Cancellarius eo tempore erat, vocatus est. Sub initia statim hujus muneris anno sæculi quarto in comitatu Ill. Viri *Lynckeri* Vindobonam abiit, cum is nomine totius Serenissimæ familiæ Vinariensis feudum, quod vocant, acciperet, rebusque ex sententia peractis, redeunte Legato, ipse aliquot adhuc mensibus, indultu Principis sui, in convictu Ill. Viri *Huldebergii* Vindobonæ hæsit. Non ita multo post A. 1708 & iterum A. 1720 Vitebergam missus, communis domus Saxonicæ tabularii recensendi causa, ea cum fide & dexteritate his rebus perfunctus est, quam & in aliis omnibus muneris sui partibus demonstravit. Si quid illi otium a laboribus relinqueretur molestissimis, ut qui in audiendis scribendisque litibus versarentur maximam partem, illud literis omne tribuit; unde præter ea, quæ ante jam commemoravimus, & alia forte, quæ nostram effugere notitiam, nata ipsi sunt, quæ ad emendandum & illustrandum Atrium vernaculum Heroum Saxonicorum Sigism. a Birken ab ipso allata sunt, quæ editio prodiit Norib. 1718, 8. Multo enixiorem operam navavit in *Serotini* (*Spathens*) i. e. *Stileri* amplissimo opere vernaculo, quod *Secretariorum artem* inscripsit. Illud cum propediem (absolutum enim esse, præter indices, ex ipso B. Viro audivimus) prodierit, apparebit luculentius, quam præclare occasionibus usus sit, obiter quasi, & nulla parte officii sui neglecta, studiosis earum rerum, quibus ipse cum laude interfuit, inserviendi. Uxorem duxit A. 1708 Annam Elisabetham Wolfiam, honestissimo genere Senatorio & Mercatorio apud Numburgenses ortam, e qua filios superstites habet duos, unam filiam virginem. Morbum, qui fatalis ipsi fuit, nactus videtur fuisse jam A. 1719, ubi hæmorrhagiam narium secuta febris tertiana cum sudoribus per tres menses integros ipsum afflixit. Idem morbus A. 1723 cum pleuritide spuria & continua tussi rediit, quem tamen præter spem tum evasit; sed ita ut ab illo tempore satis appareret, cum hectico ipsum morbo conflictari, qui cum per totam hiemem proximam tussi, æstu, sudoribus, illum macerasset, tandem d. 15 Febr. A. 1726 mortalium rebus exemit, virum & reip. & literis merito suo desiderandum.

✿ ✿ ✿

ACTORUM ERUDITORUM,

Quæ Lipsiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. IX Sect. IV.

INDEX ALTER PLANTARUM, QVÆ IN Horto Academico Lugduno-Batavo aluntur, conscriptus ab HERMANNO BOERHAAVE.

Partes II.

Lugduni Batavorum, apud Petrum van der Aa, 1720, 4. Alph. 3 pl. 11 Tabb. æn. 28.

QVem sub auspicia muneris sui jam tum divulgaverat Horti Lugdunensis Indicem; altera vice pluribus per decennium accessionibus auctum, pauloque accuratius digestum, binis voluminibus, (serius quamvis allatis, non tamen penitus silentio prætermittendis) exhibuit Celeberrimus *Boerhaave.* Qui cum intelligeret, multis, qui herbarum cultura delectantur, non ingratam esse hortorum, in quibus publica autoritate studiosius colliguntur, brevem historiam; quibus tam conspicuus hoc tempore hortus ab initiis ad tantum succreverit splendorem, quibusve sua debeat incrementa, succincte in historia Indici huic præmissa explicat. Primum loci pone ædes Academicas a Curatoribus Reipublicæ A. 1557 horto destinati conditorem *Theodor. Augerium Clutium* memorat, qui cum filio, *Augerio Clutio,* per universam Europam, imo & Asiam, ad plantas sedulo investigandas, aliquot annos ablegato, satis egregia horti posuit fundamenta; cui uberius exornando *Bontius, Pavius, Clusus, Vorstii, Schuylius, Syenus,* omnes summi inter illorum temporum Botanicos nominis, tanta dexteritate

& sollicitudine manus admoverunt; ut *Paulus Hermannus*, libris non minus Botanicis, quam horti cura, bene de herbarum notitia meritus, anno 1680 ad 1537 stirpes in eodem deprehenderet: quorum ille tamen conatus tanto post se intervallo reliquit, ut octo annorum spatio ad 3029 usque plantas in hortum congesserit. Cui post *P. Hottonum*, in digerendis accuratius plantis potissimum occupatum, Autor huius Indicis Celeberr. anno huius seculi nono ex merito successit.

Primum in hoc Indice locum plantæ occupant submarinæ, utpote simplicissimæ, ab Autore antea in privatos usus collectæ, nunc suis inscriptæ titulis publice in usum studiosorum expositæ; quarum quatuor ab ipso constituuntur genera: Lithophyta, Keratophyta, Titanokeratophyta, & reliqua mollioris fabricæ marina. His terrestrium stirpium simpliciores, in quibus partim neque floris neque fructuum vestigia patent, partim aliqua saltem vasorum seminalium rudimenta sunt conspicua, subjungit. In quarum tamen simplicissima fabrica flosculorum aliquando fructuumve simile quid humanam esse detecturam industriam contemplatione ductus modi, quem natura ubique solet servare, confidit; cum seminalia in iis organa & ovaria requiri tota clamet natura; eoque minus de felici dubitat successu, cum & *Malpighius* in ficu tectos flosculos atque fructus integros tandem omnium præter expectationem deprehenderit. Inde ad plantas, composita magis ex organis diversis fabrica gaudentes, progreditur, omnemque earum gentem bifariam dividit; in Dicotyledones seu binis lobis seminalibus, embryonem in medio complectentibus, in semine præditas, & Monocotyledones, quibus, si eo spectantes occurrant plantæ, Polycotyledones jungi queant. Arctiores earum ordines a semine, quod ad maturitatem provectæ ferunt, constituuntur, unde Gymnopolyspermarum, Gymnomonospermarum, Gymnotetraspermarum, Enangiospermarum, Diangiopolyspermarum, aliæque emergunt classes. Reliquas earum divisiones modo a varia floris figura, modo a foliorum cauliumque crescendi ratione, modo ab aliis deducit momentis; ita scilicet Gymnotetraspermæ in verticillatas, asperifolias, tetrapetalas ab eo dividuntur.

Spe-

Speciales cujusvis plantæ characteres ex *Malpighio* potissimum & *Grewio*, quos apparatum naturæ herbas molientis optime ostendisse censet, desumsit. Nominum innovationem, quantum licuit, evitare studuit, sicque, quam in primo admisisse fatetur culpam, in hoc emendare allaboravit. Imo ne ceterorum nova fingendi nomina pruritus suis obesse queat Auditoribus, potiora cognomina *Casparis* & *Joannis Bauhinorum*, *Morisonii*, aliorumque, quorum icones accuratiores evolvi merebantur, ubique subjunxit. Quo tamen labore supersedere in posterum Botanicos posse sperat, simulac Amplissimus *Guil. Sherardus* Pinacem suum, opus dudum desideratum, evulgaverit; cui perficiendo prosperam vegetamque ei senectam merito cum Autore iterum atque iterum apprecamur. Ut autem accuratam magis Botanices studiosis notitiam conciliaret, durationem stirpium, locum apud Batavos natalem, civitate medica ob perspectas earum virtutes donatas, ut & quæ ad culturam & conservationem plantarum pertinent, suis quæque signis annotavit. Hac ratione digestas ab Autore descriptasque invenies plantas indigenas æque ac exoticas, quarum non exiguum hinc & inde per totum systema numerum, quibus rariora potissimum placent, deprehendent. Imprimis egregie iis se probabunt stirpes nonnullæ, quibus Africa superbit, elegantissimæ, Tomo II a p. 182 ad p. 206 cum sollicite descriptæ, tum nitidissimis tabulis æneis delineatæ, quarum icones a *Joanne Hertog*, herbarum per omnes terras indagatore sedulo, sibi concessas, perituras forte alias, hac occasione ab interitu vindicare non inconsultum, neque lectori ingratum fore duxit. Tria sunt illarum genera Lepidocarpodendron, Conocarpodendron, & Hypophyllocarpodendron, in varias quæque species distincta, loco quarumvis natali, usuque pariter, si quis esset in Medicina, notatis. Neque, quibus novas, variis e terrarum angulis excussas, accuratius nosse & systemati inserere volupe est, ingratum erit, sub finem operis recensitas legere plantas, de quarum ordine dubitat, quasve nondum ab autoribus descriptas esse animadvertit.

SEBASTIANI VAILLANT, ACAD. REG. SCIENT. Socii, & Plantarum in Horto Regio Parisino Demonstratoris, Botanicum Parisiense, Operis majoris Prodromus.

Lugduni Batav. apud Petrum van der Aa, 1723, 8. Plag. 9.

INdicem hunc plantarum, quæ ſponte ſua circa Lutetias naſcuntur, prodromum majoris operis, propediem rogatu defuncti Auctoris a ſe edendi, Celeberr. *Boerhaave* evulgavit, ut, quarum plantarum delineationem, quidve novi in ipſo opere debeat expectare, eo certius lectori conſtare queat. Edidit jam ſub finem ſeculi proxime præterlapſi *Tournefortius* Plantarum indigenarum catalogum; huic operi ſupplementa ſcribere, & quæ ſolertiam viri ſummi præterfugerant, curatius colligere, ab illo ipſo tempore ad annum usque 1722 annifus eſt, in quo quantum ille præſtiterit, vel ex ſola huius indicis inſpectione facile patebit, ſiquidem præfixi plantarum nominibus aſteriſci, (quorum aliquot ſingulis paginis occurrunt) prætervisas *Tournefortio*, & ab autore adjectas denotant ſtirpes. Has igitur omnes ingenti in folio volumine deſcripſit, florendi & perficiendi ſemina tempus, nomen proprium æque ac ſynonyma uſitatiora adnotavit, obſervationes circa partium fabricam creberrime immiſcuit, in reliquos Autores criticas ſubinde notas adjecit, utque eo perfectius prodiret opus, manu *Claudii Aubriet*, Pictoris Regii, in hoc opere a *Tournefortio* jam exercitati, minutiſſimas Plantæ partes delineari curavit.

Hoc opere ita abſoluto, ut publicam lucem aſpicere mereretur, præter opinionem per litteras a Celeberr. *Boerhaave* flagitare cœpit, ut curam evulgandi operis in ſe ſuſciperet. Qui illud & precibus amici & bono publico ſe debere ratus, tabulas pictas, quæ ad opus pertinebant, haud mediocri ære ſuo redemit, eumque iis librum ipſum accepit, easdemque a principe ſculptorum ſui ævi, *Jacobo Wandelaar*, æri incidi curavit. Jamque magna ſpes affulget, ipſum propediem opus proditurum, ſiquidem *Joh.* & *H. Verbeck*, Lugdunenſes, & B. *Lakemann*, Amſteloda-

men-

mensis, bibliopolæ, conditiones obtulerunt, quibus nomina profiteri sua jubentur, qui leviori pretio, antequam liber perficiatur, solvendo ejus compotes fieri cupiunt. Ceterum quale ipsi libro statuendum sit pretium, facile intelligit, qui a Vaillantio, natura veluti ad Botanicen destinato, *Tournefortii* disciplina formato, usu demum in horto regio Parisino, cui præfectus erat, confirmato, multis jam in Botanica speciminibus incluto, illum elaboratum, tabulasque trecentas præstantissimorum artificum manu pictas, ærique incisas, jam Celeb. *Boerhaave* cura studioque in publicum prodire perpenderit.

JOHANNIS MEYERI, S. THEOL. D. ET Prof. Tractatus de temporibus sacris & festis diebus Hebræorum. Accedit מגלת תענית *Volumen de jejunio.*

Amstelodami, apud Jo. Pauli, 1724, 4.
Alph. 3 pl. 5.

PRimam hujus Operis editionem A. 1693 p. 505 sq. recensuimus. Hanc alteram cum Autor, nuper vita defunctus, ideo se distulisse scribat, ut prodiret elaboratissima, utque produceret non vulgaria & trita, sed rara & alibi haud obvia, merito putamus, nova nobis defungendum esse recensione. Divisit autem hoc opus duas in partes, alteram τεχνικὴν, alteram ἱστορικὴν. Ac in priore quidem copiose agit & accurate de distributione temporis in annos, menses, septimanas, dies, & horas. Scilicet præmissa *Capite primo* quæstione de anni tempestate, qua conditus mundus, invictis argumentis e sacro codice probari posse statuit, autumnali tempore mundum fuisse a Deo creatum, multisque refellit Sebast. Schmidium, pro verno propugnantem tempore. Hinc *Cap. II & III* computationem annorum Judaicam considerans, in medium profert Raf Adæ computum mensium unius anni, & R. Hillelis cyclum novemdecennalem, ex quo certissime cognosci queunt novilunia. Simul in *Addendis* totius anni novilunia demonstrat ex R. Mordechai Japhe, eumque computum mirifice laudatum esse docet a Jos. Scaligero. *Cap. IV & V* p. 361 sqq.

 docet,

docet, Patriarchas, qui ante Mosen vixerunt, computum suum instituisse secundum annum solarem, idque probat ex historia diluvii: qua occasione etiam observat, plerosque Scripturæ S. interpretes vulgatam versionem improvide secutos existimare, aquam in diluvio fuisse quindecim cubitis altiorem montibus, cum tamen textus Hebraicus ita explicari possit, *quindecim cubitis sursum versus crevisse aquas, adeo ut montes tegerentur. Capite VI* docet, a Mose post exitum ex Ægypto institutam esse novam anni formam, & in usum deductos annos lunares, idque negantem Petavium refellit, producendo loca sacri codicis clarissima. *Cap. VII* demonstrat, Judæos sub Macedonico viventes imperio præter ecclesiasticum suum computum habuisse *æram contractuum*, cujus initium ab Alexandri an a Seleuci imperio factum sit, disputari ostendit, prius defendentibus Judæis, posterius Christianis. *Cap. VIII* agit de novissima forma anni Judaici a R. Hillele Hannasi, qui tempore Imp. Constantii seculo IV vixit, introducta, deque cyclo ejus decemnovennali. Incidens hic oblata occasione in quæstionem de origine & occasu synedrii magni, repudiata Petavii opinione, a Gabinio synedrii illius originem derivantis, & eorum quoque rejecta sententia, qui post Esdram id introductum putant, Judæis assentitur, id a Mose institutum semper postea viguisse etiam sub regibus Israelis. *Cap. IX* de mensibus & eorum nominibus; *Cap. X* de septimanis agit, & de divisionibus diei pariter ac noctis in certas partes. *Cap. XI* disquirens de translatione unius diei in sequentem, ne scilicet duo dies festi concurrant, ingenue corrigit sententiam in priore hujus libri editione defensam, docens, istam dierum translationem non obtinuisse in V. T. nec fuisse a Synedrio introductam, stante templo, sed quarto demum seculo Christiano a Rabbinis. *Cap. XII* de diei in horas partitione differens, ostendit, antiquissimam eam esse apud Judæos: eaque occasione commentationem Abarbanelis de solario Achazi in Latinum sermonem translatam exhibet, sperans, non exiguam se initurum esse a lectoribus gratiam, simulque subscribens istius Rabbini sententiæ, statuentis, miraculum illud non constitisse in retrocessione Solis, sed in regressu miraculoso decem graduum per singularem radiorum solarium in illo horologio motum.

Hacte-

Hactenus prior Pars hujus Operis. Altera propemodum tota est occupata in refutanda Spenceri sententia de originibus legum ritualium Mosaicarum: ubi praemissa *Cap. I* & ex Judaeis scriptoribus illustrata partitione legum Mosaicarum in morales, ceremoniales, & forenses, *Cap. II* observat, a Spencero injuste accusari Judaeos, quod statuant, leges Mosaicas pependisse a sola DEI voluntate, neque adeo investigari debere earum causas. Docet enim, Rabbinos censuisse plerosque, omnium legum certas fuisse causas, etsi illae singulae non sint cognitae. *Cap. III* Spencero, qui, primariam legis Mosaicae rationem fuisse inhibitionem idololatriae, probarat primum ex eo, quod Israelitae recens ex Ægypto egressi gens fuerint idolis addictissima; deinde ex eo, quod lex primario ad idololatriam inhibendam a Deo promulgata fuerit; utrumque assentitur: eius autem interpretationem *de statutis non bonis Ezech. XX, 25* rejicit tanquam impiam, adductaque Abarbanelis de isto dicto commentatione, itemque Cocceji & Spanhemii sententia, ipse, quid sentiat, silentio praeterit. *Cap. IV* Spencero, originem sacri tabernaculi, templi, sacrificiorum, arcae, & Cherubinorum a sacris Ægyptiis repetenti, respondet, sententiam hanc plane non esse verosimilem Deoque indignam. Addit, ex epistola Pauli ad Hebraeos manifestum esse, iis rebus subesse sensum mysticum. Loca V. T. quae pro sua sententia adducit Spencerus, aliter interpretatur, ductum sequens Rabbinorum, simulque explicat locum *Amosi V, 25, 26. Cap. V* separatim expendit locum *Jerem. VII, 22, 23*, ex quo probare nititur Spencerus, sacrificia Mosaica non tam a voluntate Dei, quam a gentium ruditate originem habuisse, adductis rursus more suo Rabbinorum interpretationibus. *Cap. VI* Spenceri sententiam, statuentis, Deum in lege Mosaica tantum bona & mala huius vitae, non item praemia & supplicia aeterna proposuisse, refutat, docens, Rabbinos resurrectionem mortuorum & vitam aeternam referre inter articulos fidei fundamentales. Adducit etiam plurima loca cum V. tum N. T. ad probandam suam sententiam, simulque exhibet doctrinas Rabbinorum de resurrectione mortuorum. *Cap. VII* Spencero, circumcisionis originem ab Ægyptiis arcessenti, eaque in re prementi vestigia

ſtigia Marshami, reſpondet, eum manifeſte contradicere Moſi, & dicta *Joſuæ V, 9* & *Jerem. IX, 26*, quæ in ſuam ſententiam interpretatur Spencerus, rectius interpretatur Rabbinis ducibus. *Cap. VIII* de origine feſtorum Hebræorum generatim diſputans, refutat breviter argumenta Spenceri, quibus is uſus eſt ad originem eorum in Ægypto quærendam. *Cap. IX*, refutatis de Sabbatho opinionibus Spenceri Marshamique, oſtendit, in ipſo exordio mundi Sabbathum a Deo inſtitutum, & a piis hominibus obſervatum fuiſſe: quanquam, hoc poſterius non eſſe prorſus certum, concedit. Hinc contra Spencerum & Vitringam negat, Sabbathum conſiſtere in ſola ceſſatione ab operibus, contenditque, Sabbathum inſtitutum fuiſſe propter exercitia pietatis, in eoque congregationes ſacras fuiſſe habitas: idque egregiis argumentis reddit teſtatiſſimum. *Cap. X* addit, præceptum Dei de Sabbatho partim morale eſſe, partim ceremoniale: ſubjungens nonnulla de origine & obligatione Chriſtiani Sabbathi ſive diei Dominicæ. *Cap. XI, XII* & *XIII* de Hebræorum Neomeniis menſtruis, deque feſto Paſchatis & Pentecoſtes agit, &, quæ Spencerus de horum ſacrorum origine ab ethnicis repetenda diſputat, refellit copioſe. Pari modo *Cap. XIV* Spencerum oppugnat, ab ethnicis derivantem originem feſti novi anni ſive diei clangoris buccinæ initio menſis Tiſri celebrati. *Cap. XV* de die expiationis agens, per Azazelem *Levit. XVI* intelligit diabolum, ſequens hic ſententiam aliquot eruditiſſimorum virorum, quos nominatim laudat. *Cap. XVI* feſti tabernaculorum veram originem ac præcipuos ritus perſequitur, ac *Cap. XVII* potiores quæſtiones circa annum Sabbathicum occurrentes ſtudioſe reſolvit. Denique *Cap. XVIII* de anno Jubilæo diſputat, quem non quadrageſimum nonum, ſed quinquageſimum quemque fuiſſe, docet argumentis magni ponderis, ac ſimul ad eorum rationes, qui pro anno quadrageſimo nono pugnant, dilucide reſpondet.

Annexus eſt huic Operi liber Hebraicus *de jejunio* antiquiſſimus, & quondam ſummæ raritatis, quem Amſtelodami A. 1649 R. Abraham Levita edidit una cum ampliſſimis annotationibus. Illuſtrat is liber hiſtoriam Eſræ, Nehemiæ, ac Maccabæorum,

rum, enarratque res gestas a condito templo secundo usque ad urbis eversionem, itemque Judæorum persecutiones, quibus obnoxii fuerunt, potissimum sub regno Græcorum. Constat duodecim Capitibus pro numero mensium, ac singulis sub mensibus memorantur dies festi Judæorum, qui celebrantur ob miracula Dei exstinctasque persecutiones. In fine demum capitis ultimi breviter commemorari videas dies jejunii. Adjunctus habet hic liber Autoris incogniti non solum versionem Meyeri, sed & notas notæ optimæ: e quibus, ne longiores simus, duas duntaxat excerpimus pro specimine. Scilicet *p 13 sqq.* disputat de Karæis, ostenditque, eam sectam jam ante natum Christum viguisse, ac Sadducæorum grege vetustiorem esse. Simul refellit plures doctissimorum virorum errores de Karæis. *P. 62 sq.* docet, ex hoc libro certiores nos reddi de Herodis M. mense & die emortuali, simulque vetustatem hujus libri propugnat adversus Bern. Lamium.

JOHANNIS VAN DEN HONERT, T. H. Filii, Ecclesiastis Harlemensis, de gratia Dei, non universali, sed particulari: nec non de essentia Dei Dissertationes.

Lugduni Batavorum, apud Samuelem Luchtmans, 1725, 8. Alph. 2.

DUæ hic exhibentur Dissertationes Ecclesiastæ Clarissimi *Honerti*, antehac Catwycensis, postea Enkhusani, nunc Harlemensis, paternæ laudis æmuli, qui ante aliquot annos non solum Parentis sui celeberrimi Dissertationem de Theologiæ propheticæ necessitate, ejusque perpetuo in ecclesia usu, in linguam Belgicam transtulit, & Dissertationem de sacrificio Abrahami typico adjecit: sed etiam eodem sermone Miscellanea sacra edidit, & Johannis Melchioris Fundamenta Theologiæ in tabulas redegit; nunc vero hisce Dissertationibus, quas Professores Theologiæ in Academia Lugduno-Batava approbasse dicuntur, & diligentiam & ardorem Reformatæ ecclesiæ dogmata propugnandi ostendere voluit. Posterior quidem Dissertatio, de essentia

Dei, quæ & brevior eſt, & minoris ponderis, in qua Autor ex ſententia Carteſii atheos convincere, & rem omnem, uti quidem opinatur, dirimere aggreditur, jam antea typis deſcripta fuit, & nunc altera vice auctior paulo & emendatior prodiit: a nobis vero in præſenti facile prætermitti poteſt, cum ſolidiora non deſint argumenta, ab aliis prolata. Prior autem Diſſertatio, de gratia Dei, non univerſali, ſed particulari, quæ maximam opuſculi hujus partem conſtituit, nunc primum edita eſt; & in hac quidem nihil etiam in medium profertur, quod non toties totiesque a Reformatæ eccleſiæ doctoribus ſit propoſitum; cum vero multis hodie perſuaſum ſit, a priſtino rigore jam abiiſſe hodiernos Reformatæ eccleſiæ doctores; operæ omnino pretium eſſe ducimus, & occaſionem atque ſcopum, & argumentum hujus diſſertationis paucis enarrare.

Doctrinam de gratia univerſali a variis vario tractari inſtituto cum vidit Autor, Lutheranis, quos inter beatum Fechtium nominat, gratiam divinam univerſalem ſimpliciter defendentibus, & non nullis ex ipſis Reformatis non quidem in Belgio, ſed aliis in regionibus, eandem ſententiam amplectentibus, vel hanc controverſiam nullius plane momenti eſſe, ſibi & aliis perſuadentibus, uniendæ eccleſiæ deſiderio; cui, ſi ſententiam ſuam de particulari gratia vel mutent, vel aliter paulo interpretentur, vel intactam penitus relinquant, ſatisfieri poſſe arbitrantur: in longe alia ſe abire, hac diſſertatione teſtatum facere voluit Autor noſter, id quod in procemio hujus diſſertationis diſerte profitetur, materiam hanc non ſolum graviſſimam eſſe, ſed & eandem dextre explicandam, atque hac demum ratione animorum conjunctionem ſperandam eſſe, non inepte perſuaſus, modo dextre & ex mente ſupremi numinis explicetur, ea ſcilicet, qua gratiam ſuam nobis patefecit, ratione. Hac autem mente diſſertationem hanc non Lutheranis ſolum, ſed & Arminianis & Socinianis oppoſuit; quin & non nullis ex ipſis Reformatis, quorum nominibus tamen parcit, ne claſſicum canere, & alios, ut ſecum in arenam deſcendant, evocare videatur. Autorem vero anonymum, qui Formulam conſenſus Helveticam Latino & Gallico idiomate cum notis edidit, non ad Reformatos,

natos, sed ad Remonstrantes & Socinianos pertinere, sibi persuasissimum habet.

Ipsam Dissertationem in tria dispescit Capita, in quorum *primo* salutem æternam non meritis nostris, sed sola Dei gratia niti, prolixe demonstrare: in *altero*, hanc gratiam ad solos electos referendam esse, probare: & denique in *tertio* adversariorum argumenta refutare voluit. In *primo* Capite non tam Lutheranos, quam quidem Socinianos rectius informare conatur, & universam humani generis corruptionem prolixe exponit, quia ex hac veritate quædam maximi ponderis argumenta fluere credit, ad convincendos Lutheranos, & ad refutandos Arminianos haud inutilia. Hinc de vita æterna & salute, quo nomine corrupti hominis felicitas optime describitur, pauca quædam præfatus, cum de malis auferendis, tum de bonis possidendis differit. Malum dividit in malum turpe, sive peccatum; & malum nocens vel triste, sive pœnam peccati, mortem, cum corporalem, tum spiritualem: ubi inter alia adversus Limburgium tuetur, originem peccati non ex solis aliorum exemplis derivandam esse: in doctrina de peccato originis Remonstrantes quidem a Socinianis distare verbis, re ipsa tamen cum iisdem amicissime conspirare: in comminatione mortis non solam corporis mortem esse intelligendam: & imprimis peccatum Adami recte justeque imputari omnibus ejus posteris: Parentem quoque in Commentario Belgico de veris Dei viis affirmantem, infantes perversis in utero materno motibus cogitationibusque demonstrare, se inhærentis atque perniciosæ cupiditatis imperio morem gerere, cujus sententiam Limburgius in quarta demum editione Theologiæ suæ Christianæ commentum hactenus inauditum novumque dixit, & non argumentis solum, sed & acerbis satis verbis aggressus est, in nota subjuncta defendit, & Limburgii argumenta refellit. Ad bona vero obtinenda dum progreditur, immunitatem ab omni malorum genere impetrari posse ostendit, vel sola debiti remissione, vel justa ejus solutione: hanc postulasse justitiam Dei vindicativam; præstitam vero esse a sponsore, nempe Christo, cujus satisfactionem & meritum adversus Socinianos confirmat. Atque circa

p. 55. 68. 104. 162. 172.

hoc Caput primum nonnulla quidem etiam moneri poſſent: verum eadem ab aliis notatum iri facile prævidemus. In Capite *ſecundo* meritum Chriſti, & eo nixam gratiam, non ad omnes omnino homines, ſed ad ſolos ab æterno electos referri oportere probaturus, neminem *ſine abſurdiſſimis conſequentiis* meritum Chriſti univerſale agnoſcere atque defendere poſſe, confi-
p. 36. denter ſatis affirmat, cum omnes æternæ ſalutis participes non ſint futuri. Hinc enim ſequi ſcribit, vel patrem filio non dare omnes, quos ille emerit: vel filium eos, quos pater ipſi dederit, non ſervaſſe: vel denique filium non applicationem, ſed ſolam impetrationem ſalutis homini meritum eſſe: quicquid autem eligatur, nil niſi *abſurdum* eligi poſſe, ſeſe demonſtraſſe jactat,
548. & tandem concludit: rejectis omnibus *abſurdiſſimi univerſaliſmi abſurdiſſimis conſequentiis*, tenemus firmiter, Dei gratiam, a Chriſto impetratam, non ad omnes omnino homines, ſed ad ſolos ab æterno electos referendam eſſe. Ea vero, quæ ad doctrinam Reformatorum propugnandam, & ad abſurdiſſimas, ut ipſius vocabulo utamur, doctrinæ de gratia univerſali conſequentias ſtabiliendas, ex ſectæ ſuæ ſcriptoribus congeſſit, multis jam vicibus, & a quamplurimis ſunt excuſſa. Lutheranos quidem ſæpius fratrum dignatur nomine: utrum vero fraterno amori par ſit, quod eos per Remonſtrantium latus ſæpiſſime pungat; quod magnum ſane decretorum divinorum numerum ac mirum admodum ordinem eos *fingere*, nulla addita probatione, affirmet; imo, quod eos Socinianiſmi defenſores nominet; prudentiores diſpiciant dijudicentque. Nos tantum monemus, quam plurima Scripturæ S. dicta in alienam detorqueri ſententiam, eo quod nec operationes gratiæ divinæ hominis pertinacia reddi poſſe irritas, agnoſcere, nec intelligere velit, quo ſenſu primi gratiæ convertentis motus a noſtratibus dicantur irreſiſtibiles. In capite *tertio* dum reſpondere ſatagit Autor ad objectiones, quibus univerſaliſmus probatur, & firmiter ſatis atque ſolide evinci poteſt, gratiam Dei a Chriſto partam eſſe omnibus omnino hominibus, certas argumentorum conſtituit claſſes, quarum prima ea complectitur Scripturæ S. teſtimonia, quæ ſalutem & virtutem meriti Chriſti ad *omnes*: ſecunda, quæ illam ad *mundum*: tertia, quæ

quæ eam indefinite ad *peccatores:* quarta, quæ eandem *ad illos* quoque, *qui pereunt*, pertinere confirmant: porro in classe quinta ponuntur dicta, quibus universalis Christi intercessio: in sexta, quibus Christo omnes generaliter datos esse: in septima, quibus universalis vocatio probatur: & tandem octava classis varias continet argumentationes, a Cel. Pfaffio & Remonstrantibus Reformatorum sententiæ oppositas; scilicet, Catechismum Palatinum in resp. ad qu. 37 universalitatem meriti Christi habere; ex universa credendi obligatione universalem probari posse gratiam; doctrinam de particulari gratia hominibus injicere scrupulum dubitationis de fide & salute; hacque doctrina posita, baptismum, gratiæ, non dubiæ, sed certæ signum, in neminem conferri posse; neminem quoque propter suam incredulitatem damnatum iri. Quæ ad hæc argumenta respondentur, cum satis trita sint & sæpius recocta, ex. gr. vocabulum *omnis* ad genera singulorum, atque adeo ad solos electos restringi posse: *mundum* notare electos, & gentiles, & Judæos, & id genus alia; merito præterimus. Hoc saltem adhuc observamus, præfationem duabus hisce Dissertationibus præmissam esse, Cel. *Jo. Laur. Moshemio* oppositam, vel, uti Autor loquitur, consultatione ipsius de autoritate Concilii Dordraceni, paci sacræ noxia, extortam. Nulla quidem privatorum hominum, vel Conciliorum humanorum, sed solius Dei autoritate nixum sese, arduum hujus negotii examen & dicendam de eo sententiam aggressum esse, Autor contendit: Synodi tamen Dordracenæ canonibus se esse addictissimum, non diffitetur, quos æquissimos dicit, & nil nisi orthodoxiam complexos. Atque hac de causa voculam *noxia* in titulo commentationis Cel. *Moshemii*, quam tamen innoxiam esse, & acerbitate carere, facile perspicere potuisset, ægre ferens, omnia ejus argumenta in hac quoque dissertatione examinasset, si eam prius vidisset; jam vero, alio quodam Viro, in Belgio minime ignoto, apologiam pro Synodo Dordracena moliente, duo tantum monere voluit; primum sua non referre, utrum supralapsarius, an infralapsarius dicatur: certum sibi esse, ab æterno Deo in ipsa æternitate immutabili ratione constitutum esse, quid de unoquoque homine in hac vita, & post eam in æternum futurum sit: al-

terum vero, eos, qui quinque Remonstrantium articulos defendere velint, a Luthero decedere, & Lutheranorum nomine indignos esse. Sed nec Moshemius optimæ causæ suæ tuendæ deerit; nec veritas semper sibi constans probis modestisque non minus, quam strenuis defensoribus destituetur.

DAN. GEORGII MORHOFII LIBER DE pura Dictione Latina.

Hanoveræ, apud Nic. Færsterum & Fil. 1725, 8.
Pl. 20.

QUanta *Morhofius*, immortale decus Cimbriæ, in excolendis bonis literis solertia fuerit, quantove ingenii acumine omne Scriptorum Latinorum genus excusserit, non solum luculentissima eruditorum suffragia testantur, sed etiam applausus, quo omnia felicissimi ejus ingenii monumenta adhuc hodie excipiuntur, abunde satis declarat. Qua de causa in Actis quoque nostris, in quibus Morhofii nomen optimo suo jure est celebratissimum, ante hos quadraginta annos, A. 1684. p. 575, optatum fuit, ut Viro huic, ad literas Latinas pristino splendori restituendas nato, divina benignitas vitam & integras largiretur vires, quo tractatum *de pura dictione*, cujus jam tum temporis spem fecerat, in lucem ipsemet producere posset. Sed fato dum cedere debuit longiore vita dignissimus, opusculum hoc, quod anno superioris seculi nonagesimo quarto hæredes Morhofii a se quidem exspectari jusserunt publice, irrito tamen hactenus eventu, in scriniis delituit, & non oculis solum, sed animis quoque eruditorum subtractum fuit. Summam ergo apud orbem eruditum gratiam iniit Vir Summe Reverendus, *Jo. Laurentius Moshemius*, Th. D. & in Academia Julia Prof. P. longe dignissimus, quod tractatum hunc, ab amico quodam ea lege dono acceptum, ut publici illum juris faceret, diutius desiderari non passus sit, eundemque Reverendissimo & Perillustri *Christophoro*, Cœnobii Luccensis Abbati, & literarum elegantiorum censori ac arbitro gravissimo, inscriptum, & præfatione ornaverit, & notis eruditissimis illustraverit. In præfatione recte monet, librum

brum hunc, cum voce *purus* in latissima significatione accepta, regulas contineat, ad veram eloquentiam dictionisque castitatem perveniendi rationem docentes, commode inscribi potuisse *Institutiones linguæ Latinæ:* exhiberi etiam in illo notitiam criticam librorum & autorum, ex quibus uberior rerum ad hoc argumentum spectantium hauriri queat scientia; præsertim scriptorum Indicum, quibus recensendis nemo hactenus peculiarem operam impenderit: atque hac ratione supplementa hic inveniri Polyhistoris Morhofiani in rebus ad eloquentiam Latinam pertinentibus, cum opusculum hocce talia complectatur, quæ in Polyhistore vel parcius exposita sunt, vel penitus omissa: id quod vel ex titulis XVI Capitum, in quæ tractatus hicce ab Autore est divisus, unicuique constare potest. Etenim quid per puram dictionem intelligat Autor, Cap. I exponit, docens, puritatem dictionis sensu grammatico, logico & rhetorico considerari posse, & ex tribus illis considerationibus inter se junctis illam oriri ideam καθαρότητος, quam Hermogenes formavit, abstrusioribus contemplationibus, judice Autore nostro, nimium abreptus; primam tamen acceptionem in hoc opere tantummodo respici, quippe in quo de lingua Latina agatur, quomodo illa ad normam scriptorum aureæ ætatis formanda, & quomodo orationis habitus sit constituendus, ne quid vel barbari vel inusitati aures offendat. Tum characteres puræ dictionis alios constituit Autor noster externos, alios internos: & externos quidem Cap. II designat, *tempus* & *locum*, ac ratione utriusque & differentiam & historiam Latini sermonis tradit, quomodo scilicet a gentibus Europæis ad eam, qua vixit, ætatem cultus sit. Interiores puræ dictionis characteres dicit *materiam* & *formam*, quibus rite explicandis omnia reliqua capita inserviunt. Nam quod ad *materiam* attinet, quam *voces* constituunt, singulari industria & dedita opera agitur de puritate vocum ratione etymologiæ Cap. IV, ratione usus Cap. V, de nomenclatoribus Cap. VI, de Lexicorum & Indicum scriptoribus Cap. VII, de phrasibus, earumque selectu & scriptoribus phraseologicis Cap. VIII, de verbis & phrasibus civilibus & formulis Latinæ linguæ Cap. IX, de vocibus barbaris ac germanismis

Cap. X.

Cap. X, de observatione puritatis instituenda Cap. XI, de translatis, quæ loco propriorum adhibentur, Cap. XII, de particulis, earumque accurata observatione, Cap. XIII, & denique de particulis connectentibus expletivis earumque variatione, Cap. XIV. Per *formam* vero puræ dictionis Autor aptam & decentem *vocum juncturam* intelligit, quam syntaxis Grammatica præcipit: atque hac occasione tam veteres quam recentiores recenset autores, qui Grammaticæ studium præ ceteris excoluerunt, Cap. XV, ex quo Polyhistoris Tom. I Lib. IV Caput decimum de Grammaticis Latinæ linguæ & augeri & illustrari potest. Tandem Cap. XVI sermonis puritatem Autor considerat, quatenus consistit in sententia, & in expressionibus sensuum formalibus, quæ verbis mentis nostræ cooperatione imponuntur. In notis, quas S. R. *Moshemius* adjecit, modo ea, quæ Morhofius posuit, explicantur & illustrantur; modo levia quædam παραράματα notantur & emendantur, vel minimum a sententia Autoris receditur: modo scriptores nonnulli adduntur, præsertim recentiores, qui post obitum Autoris demum innotuerunt: ubi tamen iterum iterumque, quæ summa Editoris est modestia, monetur, plura & locupletiora facile ab iis adhuc addi posse, qui in hoc studiorum genere versantur. Ut industriæ & eruditionis Moshemii specimina quædam producamus in medium, &, quid in edendo hoc libro Morhofii præstiterit, Lectori nostro cognitum perspectumque reddamus, prolixiores quasdam notas præ reliquis notabiles paucis attingemus. Pag. 10 Morhofius certas ut rerumpublicarum, ita linguarum ætates haud inepte constitui, affirmat, infantiam, pueritiam, virilem ætatem & senectutem. Moshemius vero observat, eruditos circa linguæ Latinæ fata certis intervallis distinguenda tum in denominandis hisce intervallis, tum in limitibus ætatum definiendis dissidere, additque, universam linguæ Latinæ historiam illis ætatum distinctionibus, quamcunque sequamur, non comprehendi, cum restitutæ Latinitatis historia ab hisce partitionibus excludatur. Quando Morhofius p. 24 linguam Latinam ratione locorum variantem considerat, eandemque antiquitus *Romanam* aliam, aliam *Latinam* fuisse, monet: Moshemius notat, hanc distinctionem

&

& ratione temporis accipi posse, uti Petrus Crinitus quatuor idiomatum Latinorum statuit genera, *priscum*, *Latinum*, *Romanum* & *mixtum*; & ratione loci: posteriori autem sensu, quo Morhofius partitionem hanc usurpavit, quanquam rara distinctionis hujus apud veteres occurrant vestigia, quibus *Latine loqui* idem est, quod *pure* & *eleganter*; rem tamen ipsam aliis nominibus esse expressam, cum veteres inter sermonem urbanum & peregrinum sive rusticum discrimen statuerint, nobis hodie incognitum. Porro lectu dignissima sunt, quæ p. 48 de duplici vocum proprietate, alia *significationis*, *alia usus*, quæ a Morhofio prætermissa: quæque p. 169 de ratione & vi Synonymorum disserit, in quibus recte percipiendis ipsam actionem a principio actionis distinguere jubet, ostenditque, dari vocabula, quæ *actionem*, ut in se spectatur, exprimunt, alia vero, quæ simul *principium actionis* designant; & posterioris generis vocabula interdum generaliori significatione poni pro ipsa actione, interdum vero, ubi res id postulat, non quibusvis promiscue, sed certis tantum adaptari hominibus. Ultimo loco non prætermittendum esse ducimus, dum Morhofius p. 31 Bernhardum Aldrete Hispanum citat, Moshemium utrumque hujus Autoris librum, quem & de origine linguæ Castellanæ & de antiquitatibus Hispaniæ conscripsit, rarissimum dicere & præstanti eruditione refertum; faterique, se Latinam utriusque versionem conficiendi cepisse consilium, quum *Antiquitatum Hispanicarum Thesaurum*, sive collectionem Scriptorum, qui antiquitates illustrarunt Hispaniæ, meditatus sit; nunc autem aliis distractum laboribus, hoc quicquid consilii fuerit, aliis relinquere: & hæc occasione data ideo notare voluisse, ne secus intelligantur, quæ Bibliothecæ Germanicæ autores Tom. VI p. 238 prodiderunt, ipsum, *Antiquitatibus Italicis* absolutis, *Hispanicas* fovendas suscepisse.

PRIMITIÆ UTINENSES, AUTORE ADAMO HENRICO LACKMANNO, Episcopalis Scholæ Utinensis Rectore.

Lubecæ, apud Jo. Christ. Schmidium, 1725, 4.
Plag. 12, ½.

QUatuor omnino libellus hic complectitur commentationes.
Prima est Oratio a Cl. Autore sub auspicium novi muneris, quod Scholæ Utinensis Rector suscepit, recitata, *de libris e Scholis cum publicis tum privatis eliminandis* agit. Paucula hic
p. 4. de insigni, quem librorum notitia in omni studiorum genere præstat, usu præfatus, materiæ, quam tractare constituit, dignitatem commendat. Rem ipsam deinde aggressus, remotos ante
5. omnia cum *Sacchino* & *Rechenbergio* e scholis vult libros obscœnos, juvenum pestes, Petronium, Carmina Priapeja, Aristæneti Epistolas, Satiras Sotadicas, hujusque furfuris plures alios. Comites his addit illos male ingeniosorum abortus, qui virtuti, qui veritati in S. Scriptura librisque symbolicis propositæ contrarias sive primi proferunt, sive ab aliis probatas propugnant sententias; quorum quippe lectione sensim sensimque in pes-
8. sima quævis ruant juveniles animi. Damnat porro, tanquam scholis minime proficuos, amplissimos illos veterum Grammaticorum a Gothofredo atque Putschio conlectorum Commentarios, ineptiis maxime inficetis plenos; quo vitio nec ipsæ recentiorum quorundam opellæ concinniores, v. c. Scioppii grammatica philosophica, liberæ sint, atque adeo obsint magis Latinæ sibi linguæ notitiam paraturis, quam prosint. Noxias
10. quoque Scholasticæ pubi esse contendit Comenii, Batei, Bunonis aliorumque chartulas atque nænias, in memoriæ subsidium adinventas, ob incommoda, quæ habent, longe maxima; quibus-
11. cum pari ambulant passu Rombergii, Ungeri, Corderii ac Spec-
13. cii Latini stili exercitia; jejuni item illi Sententiarum Nomenclatorumque Scriptores. Pergit Cl. Autor, atque, num *Terentius* in Scholis sit terendus? post tot alios, disquirit. *Richerio* autem heic calculum addit, qui *difficiliorem illum* dixit, *quam ut concisæ ejus venustatis gustum & sensum aliquem perciperent*
14. *pueri*. Ceterum & illos reprehendendos censet ludorum magistros, qui vel Cicerone prorsus neglecto, vel non ita, uti par erat, juvenibus commendato, varios discipulis scriptores Romanos in manus ingerunt, quin que recentioris ævi Viros Latinæ dictionis

nis laude claros proponunt; qui tamen omnes abesse a ludis
debeant prorsus, futuræque, quæ firmatis annis maturiori in-
stituitur judicio, lectioni servari. Ad editiones porro, quos Clas-
sicos dicimus vulgo, Autorum transit, deque illis quid sibi vi- p. 15.
deatur, edisserit. Ubi quidem non adeo magnum statuit pretium
illis, quæ in Delphini usum in Gallia, illis item, quæ cum Schre-
velii, Freigii variorumque notis prodierunt in Belgio: quin ne- 16.
que Germanorum plurimi ipsi probantur hac in parte suscepti
labores. Uno verbo omnes illas scriptorum Latinorum Græco-
rumve editiones, quæ criticos magis aut philosophicos exhi-
bent Commentarios, quam ut genuinum dictorum sensum tra-
dant atque eruant, minus conducere Scholarum usui arbitratur,
ac proinde merito eliminandas. Excipit hanc Commentationem
alia de *Christ. Falsteri* V. C. *Specimine emendationum in A. Gel-
lii Noct. Att. libr. I*, quod Cl. *Falsterus* Novis Litterariis Lips.
1721 p. 138 seq. inseri curavit, ubi modeste de nonnullis, quas
ille in Gellio Gronoviano ibi tentaverat, correctionibus dispicit. 47.
Observasse autem se heic profitetur nonnulla temere a *Falstero*
immutata, aliquas lectiones, quas variantes dicimus, præteritas,
& id genus alia. Ita perobscuro *Gellii* loco, lib. I cap. II p. 32 49.
edit. Gronov. *Propulsabamus caloris incommoda lucorum umbra
ingentium, longis ambulacris & mollibus ædium posticum refrige-
rantibus*, rel. sic lucem reddere conatus est *Falsterus*, ut *collibus*
aut *montibus* legat pro *mollibus*, atque ad *Varronem* simul de Re
Rust. lib. I cap. XII & XIII provocet. At vero commode satis
communem lectionem *mollibus* sartam tectamque servari posse,
Noster putat, optimum daturam sensum, si tritum hujus vocis
usum apud Latinos, Virgilium præcipue, attendas. Tertia scri-
ptione, ad spectandum Drama aliquod Scholasticum invitatoria,
problema discutit: *an una eademque Comœdia per intervalla die-
rum repræsentari possit ac debeat?* Ubi postquam varia de con- 61.
troversia *Menagium* inter atque *Hedelinum* Abbatem super Te- 64.
rentii Heautontimorumeno olim agitata, de moralitate itidem
spectaculorum, (quibus, *si casta sint*, atque *in se considerentur, tam* 68.
*parum corrumpi homines cum Kœnigsmanno putat, quam litteris
atque conviviis, si moderata*,) præfatus fuisset, Comœdiarum in-

ſuper uſum Celeb. *Chriſtiani Volfii* verbis commendaſſet, vel tribus poſt hæc verbis ſuam de hac quæſtione ſententiam profert. Et juſtas utique habere ſibi videtur cauſas, quod negantium τὸ ζήτημα partes fuerit amplexus. Scilicet, quum hic omnium

p.63. um conſenſu dramatum ſit finis, ut, fictis perſonis, res veras imitentur, hominumque conſilia ac mores ſcite pingant, unde alii, quid deceat, quid non, addiſcant, & ſpectatorum affectus

65. moveantur; ea autem porro humanæ mentis indoles ſit, ut verba uno velut impetu fuſa, imaginesve rerum una ſerie repreſentatæ, vehementius ſenſorium agant impellantque, ac quidem iſta, quorum ideæ per intervalla ad ducendam imaginem excitantur; rem ipſam certe poſtulare Autor putat, ut mens, ſcopo & uſui Comœdiarum ſatisfactura, ſpectacula iſthæc intueatur nullo interjecto ſomni & dierum intervallo, ſed exacte potius attenteque comprehendat, ne elabantur. Quartum deni-

72. que harum primitiarum ſchediaſma *de ſingulari Germanorum veterum erga Principes ſuos obſervantia* conſcriptum eſt, Sereniſſimo Lubecenſi Epiſcopo ſtrenæ loco dicatum. Varia heic ex Tacito, Cluvero, Althammero, Lehmanno, aliis afferuntur cultus, quo Principes proſequuti olim ſunt ſuos Germani, ſpecimina.

ISTORIA DELLA GENERAZIONE DELL' Vomo &c.

i. e.

ANT. VALLISNERI, MEDICINÆ THEOR. Profeſſoris Publ. Prim. in Acad. Patavina, Societatis Germ. naturæ curioſorum Collegæ, &c. Hiſtoria Generationis hominum atque animalium. Accedunt Tr. de ſterilitate, Diſcurſus Academicus de nexu rerum omnium creatarum, nonnullæque Epiſtolæ & Obſervationes virorum illuſtrium, &c.

Venetiis, apud Jo. Gabr. Hertz, 1721, in 4.

Alphab. 2 pl. 16 Tabb. æn. 14.

DIviſum eſt præclariſſimum hoc atque elaboratiſſimum opus in partes tres. In una agitur de generatione e vermiculis ſemi-

ſeminis maſculini; in altera de generatione ex ovulis, ipſam delineationem futuri fœtus, imo totum ſubtiliſſimum animalculum complectentibus; in tertia de ſterilitate. Capite primo occaſionem ſcribendi, ſtatum quæſtionis, fructumque illum exponit Autor clariſſimus, quem in difficillima hac tractatione ex priſtinis ſuis laboribus, detegendæ origini, evolutioni & naturæ inſectorum deſtinatis, multo ampliſſimum conſequutus eſt: *Difficillimum quippe*, inquit, *non dicam ἀδύνατον mihi* p.
nunc foret, de certa quadam ſpecie inſectorum (hoc eſt de vermiculis ſeminis maſculini) *ſolide diſſerere, ſi quæ univerſo generi a natura præſcriptæ ſunt leges, ignorarem.* Capite altero de primis inventoribus ac defenſoribus vermiculorum ſeminalium, *Leeuwenhœkio*, *Hartſœkero*, *Hombergio*, *Gardenio, Dalempatio*, 3.4. ſeqq.
Andryo, Geofroy, Liſtero, Camerario, ipſoque *Leibnitio*, & doctis quibusdam Italis, deque figura & veriſſima præſentia vermiculorum iſtorum diſputat, negatque cuiquam ſupereſſe dubium 10.50.
hac de re poſſe, niſi qui microſcopiis recte uti aut nolit aut neſciat. Capite tertio uſum & ſcopum vermiculorum ſemi- 12.ſeqq.
nalium ex placitis eorum explicat, qui veros animalium fœtus in iis latere ſtatuunt. Capite quarto rationes atque argumenta 15.ſeqq.
iſtorum Autorum affert, ſimulque diſcrimen notat inter ſententiam *Leeuwenhœkii*, ova plane nulla in animalibus viviparis admittentis, & inter hypotheſin *Andryi*, *Gerdenii*, aliorumque 17.
plurimorum, qui in ipſa ova inſinuari vermiculos, ibidemque nidulari, involvi, ac nutriri volunt. Capitibus V, VI, VII ſeptemplicem comparationem facit inter generationes hominum, animalium, inſectorum, & plantarum, ad confirmandum ſyſtema propoſitum, harmoniamque & conſtantiam naturæ demonſtrandam. Capite octavo docere inſtituit, quam pulchre ſci- 38.ſeqq.
licet omnia phænomena, ad generationem & ſemen ſpectantia, ex hypotheſi de vermiculis ſpermaticis explicare liceat: non ſo- 40.
lum, quo pacto maſculi & femellæ naſcantur, cur interdum 42.
plures fœtus uno partu edantur, quomodo monſtra exiſtant; 43.
ſed & qua ratione virgines gravidæ fieri poſſint ſine apertura 46.
clauſtrorum virginalium, quomodo ad XIII menſes differri partus queat, quomodo *ſuperfœtatio* fiat, & quæ ſunt alia hujus generis

 neris

neris, multis fortaſſe incredibilia, ſed ab *Andrio* nuper fortiſſime defenſa. Capite nono ad argumenta reſpondet, quæ opponi huic ſyſtemati ſolent: qua ia ſunt, quod deceptio vitri &
p. 47. phantaſiæ vermiculos produxerit; quod nimia eorum copia &
50. parum conveniens porportio ſit; quod morbi hæreditarii &
59. ſimilitudines natorum cum matribus ex hypotheſi illa minus commode declarari queant; quod denique ipſe oculatiſſimus
61. Leewenhœkius nunquam detegere vermiculum in ovo gallinaceo recens fœcundato potuerit; cujus rei hanc ille cauſam reddit, quod materia ovi non ſatis clara ac pellucida ſit, quippe magna ex parte globulis rotundis, variæ molis, conſtans. Et hactenus quidem nihil omiſſum eſt a Nobiliſſ. *Valliſnerio*, quod ad ornandam atque aſſerendam ſententiam illam pertinere videatur.
62. Nunc vero, Capite X & ſequentibus, vertere ſtylum, priora confutare, & quid ipſe de genuino uſu vermiculorum ſeminalium cenſeat, exponere aggreditur. Quod adeo modeſte atque verecunde facit, ut ſe quidem ter ſententiam mutaſſe, ter calamum arripuiſſe, quo de hac controverſia ſcriberet, ſed & ter eundem abjeciſſe, atque etiam in præſentia e manibus poſiturum eſſe confirmet, niſi juſſis magni *Leibnitii* illuſtrisque *Garelli* (ad quem opus ſuum ſcripſit) obſequendum arbitraretur.
65 66. Quærit autem ex iis, qui cum *Leeuwenhœkio* vermiculos ſeminis pro veris vermibus habent, in homunculos demum vel animalcula certæ ſpeciei, per evolutionem transformandos, num mutationem illam momento fieri, an juxta conſuetas naturæ leges exiſtiment? prius dici poſſe negat: ſed nec poſterius cum experientia convenire credit; debere enim vermem antea mutari in chryſalidem ſeu nympham, atque exinde ſive hominem ſive animal prodire, omnibus partibus mox perfectum & adultum: nam ſi ex verme ſatis valido, agili, & perfecto, facta mutatione & evolutione, animalculum prodiret tam imperfectum, tam tenerum, tam invalidum, ut eſt fœtus humanus, naturam in operationibus ſuis oppido retrogradi; quod parum
63.67. conveniens judicat. *Dalempatium*, qui vermiculos ſeminales non pro veris vermibus habet, ſed pro juſtis ac completis homunculis vel animalculis, ſub tenui ſaltim involucro vermiformi

mi latentibus, imaginariamque ejus observationem, & homunculi ab ipso visi deformationem, solide coarguit ac meritissime ridet. Iis, qui forte afferent, fœtum ex verme oriri, non evolutione, sed vera metamorphosi, respondet, hoc olim cum ap- p.69.
plausu dici fortasse potuisse, hodie non posse. Denique cum videri quibusdam queat, evolutionem vermiculorum seminalium cum evolutione ranarum potius, quam insectorum, componendam esse; tum vero non ranas modo, sed omne genus vermium se pertentasse, at nihil plane reperisse docet, quod cum 70,71.
mutatione atque evolutione vermis spermatici convenire videretur. Urget deinde rursus argumentum ab incredibili multi- 72.
tudine vermiculorum seminalium desumtum, negatque, horum abundantiam cum abundantibus plantarum seminibus a *Leeu-* 73, 74.
wenhœkio recte comparari, cum & seminum plures cogniti sint usus, (*fructus enim proe(sca viventibus*) & plantulis longe præstent homunculi atque animalcula. Ostendit etiam atque urget 76.
vere incongruam proportionem inter vermiculos seminales diversorum animalium, item difficultatem concipiendi, qua ra- 77.
tione vasa umbilicalia, juxta istam hypothesin, perforare involucra fœtus queant. Pergit capite XI, atque ulterius vermium 78.
generationi destinatorum patronis infinitam illam vermiculorum multitudinem opponit, quæ in aliis quoque liquoribus, & in aliis partibus animalium reperitur: *Quodsi enim*, inquit, *nemo* 79.
affirmat, hos liquores atque partes animalium a vermiculis ibi hospitantibus constitui atque formari, quid est, cur de vermiculis spermaticis aliter sentiamus? Docet, non semper inveniri vermes in semine, quantumvis fœcundo. Ostendit, etiam in fe- 80.
mellis libidinosis consimiles vermiculos aliquando reperiri. Affert observationem Malpighii, qui in ovo non fœcundato 81.
nescio quid molæ simile, hoc est, ut Noster interpretatur, fœtum subtilissimum & adhuc fere pellucidum detexit. Porro ex ipsis placitis atque observationibus *Leeuwenhœkii* demonstrat, 83.
vermiculos seminales nihil aliud esse posse, quam insecta, quæ in semine hospitentur, quippe cum ibidem vivant, crescant, genus suum propagent, atque moriantur, eaque ratione perpetuo vermes & insecta maneant. Multa deinde contra *Andrium* dis- 85,86.
putat,

sputat, & imprimis contra imaginarias ejus valvulas & foramina in ovis.
p.88. Postremo exemplum & testimonium amici profert, cujus semen antea non verminosum, sed sanum tamen & fluidum, postea factum est verminosum. Capite XII de vero & genuino usu vermiculorum seminalium disserit. Et primo quidem sententiam *Listeri* exponit, qui *vermes illos solo Veneris incitamento, & ad inflammandam virorum libidinem, in vasa*
90. *spermatica locatos* arbitratur: quem quidem usum non plane negat, ceterum exemplo feminarum, castratorum, senum, evincit, libidinis excitationem potius spiritibus, & ex parte salibus, immo balsamo cuidam oleoso volatili, quam vermiculis illis, adscribendam esse. Deinde propriam hypothesin in hæc verba profert: *Si de re adeo obscura loqui fas est, ego quidem putarem, vermiculos istos, præter usus commemoratos, adhuc alium habere finem magis absconditum. Scilicet cum semen ejusmodi sit liquor, cui stagnandum ad aliquod tempus extra sanguinis circulum, & voluntas hominis, quo prodire queat, expectanda est; periculum erat, ne partes ejus mucidæ & glutinosæ nimium inter se implicarentur, necterentur, condensarentur, corpusque solidum pro fluido formarent. Cui malo, hominibus & humanæ propagationi adeo funesto, ut prospiceret natura, collocavit in vasa seminalia populum infinitum minutissimorum & summe agilium vermiculorum, qui fibras & particulas pervadentes, impellentes, ac perpetuo motu cientes, nimiam earum connexionem impedirent, flui-*
91. *damque seminis naturam conservarent.* Negat postea, totam seminis substantiam (nam de subtilioribus quibusdam partibus rem facile concedit) a vasis sanguineis vel lymphaticis denuo absorberi, ac continuo motu cum ceteris humoribus circum-
92. ferri. Denique causam seminis, in lapideam naturam aliquando conversi, vermiculorum defectui rite adscribendam censet. Quod non ita interpretandum est, quasi nullo plane alio pacto, quam ope vermiculorum fluidum conservari semen opinetur; nam & amici & aliorum semen vermiculis destitutum, neque tamen non fœcundum & fluidum, rem aliter se habere convincit: sed hæc ejus esse sententia videtur, si ex semine masculino vulgo auferentur vermiculi, verendum esse, ne identidem vel lapide-

lapidefceret vel certe minus fluidus latex ifte permaneret. De cetero non ingratum fortaffe lectoribus fuiffet, fi de vera ratione, cur quædam femina verminofa fint, quædam minus, quædam etiam e non verminofis verminofa fiant, vel contra, item, cur femina fœcunda & recte conftituta non æque ad concretionem fint proclivia, fententiam explicare fuam Vir clariffimus voluiffet. Reftat caput ultimum primæ partis, in quo argumen- p. 93.
ta quædam *Andrii* examinantur atque erudite refelluntur. Demonftrato igitur atque fatis evicto, quod vermiculi utplurimum quidem in femine mafculino reperiantur, ceterum pro meris vermiculis atque infectis, in femine hofpitantibus, non vero pro generationis principiis ipfum femen conftituentibus, haberi debeant, nunc deinceps, in altera hujus operis parte, id agit Celeberrimus Autor, ut, quid fibi verofimillimum videatur, circa difficile illud & perobfcurum generationis negotium quam luculentiffime exponat. Quo loco priusquam de ordine ac divifione operis agemus, non incommodum arbitramur, univerfam Autoris hypothefin breviter complecti. Veriffimum cenfet, ge- 183.
nerationem in ovariis feminarum fieri, atque per tubas *Fallo-* 181.
pianas in uterum deduci ova, vel nefcio quid ovis fimile, fœtum tenerrimum comprehendens; id enim non folum infignem ac pœne continuam ovariorum mutationem, quam unus Harvæus 157, 192.
nequicquam infitiatus eft, fed & experientias certiffimas, de fœtibus extra uterum, in ovario, in tubis, vel in ipfa cavitate abdomi- 256. 260.
nis repertis, planiffime comprobare: ceterum vefículas illas lymphaticas, quæ vulgo in ovariis offenduntur, a plerisque etiam celeberrimis Anatomicis falfo pro ovis haberi, cum *Mal-* 183, 271, 278.
pighio, Lamy, Mery, Sparaglia, Leeuwenhœkio, ex magnitudine firmaque cohærentia & ipfa interiori earum conftitutione, demonftrat. Ergo magno fuo præceptori, *Malpighio*, quem mi- 130, 196, 264,
rifice veneratur, adfentiens, folliculos illos, five corpora glo- 182, 117, 127,
bofa, glandulofa, & plerumque lutea, quæ, ubi ad maturitatem 197.
pervenerunt, magnam ovariorum partem occupare folent, pro genuinis ovulorum tenerrimorum ac minutiffimorum receptaculis numerat. De quibus quidem corporibus hæc potiffimum 125, 126, 138,
obfervavit: quod plura reperiantur, pro multitudine fœtuum; 182.

p.137,147, quod etiam ante coitum femellæ cum maſculo adſint, conti-
182. nuoque creſcant ac mutentur; quod ex intervallis veſicularum
190. lymphaticarum enaſcantur, atque adeo pro ipſis veſiculis am-
121,196. plificatis & ad formam folliculorum redactis haberi non poſ-
123. ſint; quod tamen cum veſiculis iſtis connexionem nonnullam
habeant, nutrimentumque aliquod inde accipiant, & cum inſigni
182. earum diminutione augeantur; quod in vaccis præcipue, tam
123. colore quam ipſa compage, cum vitellis ovorum gallinaceo-
141. rum conveniant; quod in capris friabilia, e variis lobulis com-
134. poſita, coloris lutei obſcuri, & ſimilia renibus ſuccenturiatis
ſint, in canibus ſimplices veſicas grandiores referant, in aſinis
129. vix inveniantur, niſi materiam aliquam nigricantem atque ad
figuram triangularem accedentem, quam circa medium ovari-
um Autor detexit, eorum loco numerare placeat; quod in
142. uno eodemque animali tres velut ætates horum corporum ali-
quando obſerventur, creſcentium, maturorum, & deficientium;
quod in medio cavitatem habeant, liquore, qui coctus facile
116,118. concreſcat, impletam; quod cavitas illa in diverſis animalibus
diverſæ magnitudinis & figuræ, plerumque tamen triangularis,
123,135. copioſiſſimisque vaſis, fibris, & velut continuarum glandula-
rum labyrinthis, ramulos ſuos per univerſam materiam luteam di-
121,131,134, ſpergentibus, veſtita reperiatur; quod ex hac cavitate ad papillam,
182. in exteriori ſuperficie obviam, tempore maturitatis, meatus ſa-
tis notabilis pateat; quod papilla iſta multis etiam aliis fora-
133,135. minulis, inſtar cribri, pertuſa ſit, unde exprimere liquorem
nullo negotio queas; quod tunicæ, ovarium & corpora glan-
124. duloſa involventes, circa papillam mirifice attenuentur; deni-
142. que quod mox poſt graviditatem decreſcere corpora illa, venis
eorum intumeſcentibus, incipiant. Quanquam vero, his conſi-
deratis, non dubitat Vir Cl. quin ex cavitate folliculorum, de
185. quibus diximus, proveniant ovula, tamen & negat, cicatricu-
117,125,138, las, poſt ejecta ova, niſi læſione quadam minus naturali acce-
267,204. dente, in ovariis reſtare, & ingenue fatetur, ſe nunquam re-
45,81,132, perire atque ipſis oculis uſurpare verum ovum in calice folli-
135. culi, vel circa iſtum locum potuiſſe, quantumvis circumſpecte
140,186. atque curioſe, una cum ſuaviſſimo Collega, *Morgagnio*, omnia

iterum

iterum iterumque pertentasset. Et observationes quidem alio-
rum Anatomicorum, imprimis æstumatissimi sui *Malpighii*, qui p. 186.
faventiorem hac in parte naturam habuisse videntur, aperte in
dubium vocare non audet: interim nec ea, quæ ab aliis contra- 190, 191.
dici posse arbitratur, exponere atque affirmare intermittit.
Causam, cur tam raro, vel forte nunquam (nisi casu quodam
plane extraordinario & non naturali retineantur,) conspicua 188.
sint ovula, priusquam in tubas vel uterum perveniant, eam esse
censet, quod non modo tenuissima sed & prorsus pellucida 187.
sint, in tubis autem mox excrescere & opacitatem aliquam ac-
quirere incipiant. Itaque atiam inter proprias satis copiosas 144.
observationes semel ac brevissime commemorat, visa sibi ali-
quando ovula in tuba muris. Nunc si sententiam Viri clarissi-
mi de toto generationis opere, de transitu ovi per tubam, de-
que evolutione & incremento ejus, scire lector desiderat, ea est
hujusmodi: delata seminis virilis portione in uterum & tu- 192, 211.
bas, quo, tanquam in locum magnopere calescentem ac rare-
factum, avide attrahitur, spiritus ejus subtilissimus, per ipsas
tubas rigescentes (propter copiosum sanguinis spirituumque
affluxum) & arctissime ad ovarium applicatas, non modo in ca-
vitatem folliculi, sed & in ipsum ovulum, & latentem ibi tener- 213.
rimam machinulam, eo probabiliter loco penetrat, ubi deinceps
placenta & vasa umbilicalia apparent; liquoresque hujus ma-
chinulæ quam placidissime agitando, efficit, ut membra ejus ali-
quantulum explicentur, ortoque primum lentissimo motu in
auricula cordis ventriculoque dextris, deinde in sinistris, sy-
stole & diastole, porroque justus humorum per vasa sua cir-
cuitus producatur. Hinc novi subtilissimi ac purificatissimi suc-
ci in folliculo præparati, per poros ovi, & per vasa umbilica-
lia intrant, priores impellunt, cum iis miscentur, globulos ru-
bros formant, novam temperaturam sanguinis efficiunt, mate-
riamque commodam amplificandis vasis & augendis partibus
subministrant. Evoluto hac ratione fœtu in ovulo, ortoque in-
tra illud novo quodam ac proprio vortice, inflatisque membranis
ovum fœcundatum involventibus, fibræ ipsius calicis (a sanguine
jam magis in eo hærente tumefacti ac rigescentis) corrugantur, at-

 que

que ab ovo, tanquam a fructu maturo & de pediculo suo deciduo, separantur. Itaque ovum, velut emancipatum & nunc deinceps per se subsistens corpus, a fibris calicis irritatis, per papillam, ad quam via est aperta, in tubam *denuo* ad ovarium
p. 145. applicatam expellitur, atque motu *peristaltico* (quem semel
214. ipsis oculis conspexit Autor in mure lactante) ab effluviis & pondusculo ovi, fortius excitato, in uterum, velut granum aliquod in terram, immittitur. Hic sanguis & purissima lympha præsto sunt, a quibus expectatus iste hospes irrigatur, penetratur, novumque incrementum accipit: atque ipse vicissim, pondere & exhalationibus suis stimulans fibras uteri, in causa est, ut plus liquorum continuo affluat. Jamque etiam organa nutritioni destinata manifestantur: placenta quippe, cum radiculis grani in terram jacti rite comparanda, apparet; atque hæc intra alveolos & poros uteri insinuata, purissimam inde lympham, ab arteriolis allatam, haurit, eamque per infinitos vasculorum labyrinthos magis magisque attenuatam atque comminutam ad vasa umbilicalia, porroque ad embryonem, transmittit; cui hac ratione accommodatum alimentum, si omnia se recte habeant, deesse nunquam potest. Exposuimus placita Nobilissimi *Vallisneri* de generatione animalium *sensibili*. De generatione vero *insensibili* ipsorum ovulorum sic statuit: ma-
225. gna eam quidem obscuritate esse involutam, ceterum nihil verosimilius dici posse, quam corpuscula organica animalium universorum jam inde ab initio mundi divinitus creata, atque ita perfecte *præformata*, invicemque & in ovariis primorum parentum inclusa fuisse, ut nunc sola *evolutione* atque augmentatione omnis generatio cum sensibilis tum insensibilis absolvatur. Quæ sententia, hodie a summis Philosophis mirifice deamata, non propter ineffabilem primorum corpusculorum parvitatem, ad quam imperiti nequicquam stupent, sed propterea nescio quid a perfectione naturæ alienum comprehendere videtur, quod Deum velut ex machina adhibet, infinitamque materiæ & organorum varietatem, sapientissimasque & fœcundissimas leges motus, sufficere fortasse statuit, ad producendas molas, strumas, atque alia corpora inordinatius excrescentia,

quæ

quæ nemo facile evolvi præformata contendet, non vero ad formandum vel minimum corpus naturale novum atque abſolutum. Nam quid tandem magnopere intereſt, dicet philoſophus diſſentiens, ſive initio mundi, ſive nudius tertius creaſſe Deum *immediate*, & ſola vi æternæ ac potentiſſimæ ſuæ voluntatis, ovulum quodvis minimum, cum integro & perfecto animalculo, nunc evolvendo, cenſeamus? niſi forte, quod tam diu extiterit, quodque tam profunde abſconditum, & tam innumerabilibus involucris tectum fuerit, id unum pulcherrimum ducatur. Generatio plantarum atque animalium vera & mechanica opus in natura rerum ſine dubio conſummatiſſimum eſt, omnemque artem & machinationem humanam infinitis modis ſuperat: quam qui abrogare ſatagunt, ſive evolutione corporum præformatorum introducta, ſive ſpirituum, animarum, archæorumve exercitu in ſubſidium vocato, ii ſane vereor ne naturam infra artem deprimere, atque imbecillitati potius intellectus noſtri blandiri, quam pro dignitate mundanæ machinæ, ipſaque veritate pugnare videantur. Sunt & alia nonnulla, quæ ex Autore noſtro humaniſſimo, circa obſervationes ejus & hypotheſes, paullo ante propoſitas, bona cum ipſius venia quærere vellemus. Negat iterum ac ſæpius, ſe invenire vera & non dubia ova, in ovariis propriisque nidis potuiſſe, erroremque eorum coarguit, qui neſcio quos globulos vel veſiculas, ova æmulantes, (quorum
procreatione nihil eſt naturæ facilius) pro genuinis ovis, ſine p.190.
hæſitatione habuerunt: cur igitur inter accuratiſſimas ejus obſervationes non relatum legitur, ubi & quando detecta primum & quibus notis ab ipſo agnita ſint ovula veriſſima? nunquamne niſi ſemel in tuba muris ova deſcendentia notavit? & cur obſervationem illam tam paucis attingere, neque examen ſine dubio circumſpectiſſimum iſtorum ovulorum exponendo, lectoribus ſcrupuloſis ſatisfacere voluit? Non ſtatim poſtquam ſeminis maſculini ſubtiliſſima portio, per tumidas arcteque applicatas tubas ad ovaria penetravit, ſed interjecto demum notabili tempore, e corporibus glanduloſis in tubas *denuo* applicatas exſpui ova matura ac velut emancipata, ſtatuit: ſed quidnam eſſe cauſæ cenſeamus, cur *denuo* & tam attemperate applicentur

tubæ? & quomodo fieri concipiamus, ubi plura adſunt corpo-
ra glanduloſa, cum maturis ovis, ut unius tubæ tam anguſtum
orificium nunc ad hujus, nunc ad illius, mox etiam ad tertii,
quarti, quinti corporis papillam, tam promte, tam accurate,
tam ſcienter ſe convertat, ut ex ſingulis excipere ovulum ma-
p. 276. turum poſſit? num tantillum motum, qui forte a conſtrictione
membranarum ac fibrarum calicis, ex quo ejiciendum ovulum
eſt, ad tubam usque pertingit, tantundem efficere credamus,
quantum efficit (ſi efficit quidem, nam etiam de hoc du-
bitare licet) inſignis tubarum intumeſcentia, tempore æſtus
venerei & fœcundi coitus, a ſpirituum ſanguinisque uberrimo
affluxu excitata? Jam motum periſtalticum tubarum ipſis ocu-
lis, ſed ſemel duntaxat, obſervavit Celeb. Autor, in mure la-
ctante, hoc eſt longe poſt delata in uterum ova; ſimiliterque
148. applicationem tubæ ad ovarium aliquando intempeſtivam con-
ſpexit: ex quo argumentatur, ſi per accidens & extra uſum ap-
plicentur tubæ, poſſe easdem etiam haud dubie in tempore ap-
plicari. Nonne vero ſatius fuiſſet, ſi motum illum & applica-
tionem nunquam, niſi cum opus eſſet, & ita quidem ſæpius
vidiſſet? ſcilicet ut de vero uſu iſtarum rerum eo minus am-
bigere liceret. Omittimus alia, atque illud unum adhuc roga-
mus, an vaſorum matris & fœtus in utero anaſtomoſes omnino
neget, atque ut radices plantarum e terra, ſic vaſa placentæ e
poris uteri humores *extravaſatos* (ut Medici loquuntur) exſu-
gere contendat? & nullane tandem reſponſione digna judicet
argumenta contraria, quæ imprimis urſit nuperrimus Anthro-
pogoniæ ſcriptor copioſiſſimus, *Jo. Hyacinthus Vogli*, Medicus
Bononienſis? Sed eo, unde diſceſſimus, nunc redeundum, ac
tota diſpoſitio Partis II & III elegantiſſimi hujus operis *Vallis-
neriani* breviter exhibenda eſt. Differitur Capite primo de pri-
mis ovorum femineorum inventoribus, eorumque primo ſy-
ſtemate. Deinde proponuntur Capite II obſervationes *Malpighii*,
circa ovaria feminarum vivipararum; Capite III obſervationes
ipſius autoris, circa ova, corpora glanduloſa, veſiculas lympha-
ticas, aliasque ovariorum partes, in porcis, vaccis, & ovibus;
Capite IV & V aliæ ejusdem obſervationes circa res easdem in
equabus, aſinabus, canibus, vulpibus, rupicapra, felibus, capris,
muri-

muribus & hominibus; Capite VI observationes selectissimæ *Harvei* & *Graafii*; Capite VII observationes novæ Academicorum Parisiensium; Capite VIII observationes *Verheynii* & aliorum quorundam Anatomicorum recentissimorum. Capitibus IX, X, XI, XII observationes illæ examinantur. Capite XIII ostendit Autor, quomodo fiat generatio, juxta systema suum de ovis. Capite XIV sententiam *S. Augustini* cum sententia Philosophorum recentiorum, qui pro evolutione pugnant, apprime convenire docet. Capite XV & XVI evolutionem, de qua diximus, ulterius defendit, allata in eam rem eruditissima Epistola magni cujusdam Amici. Capite XVII demonstrare conatur, quod admissa hypothesi ovorum & evolutionis, omnia generationis phænomena quam luculentissime explicari queant. Capitibus denique XVIII, XIX & XX *Lamii*, *Merii*, *Sparagliæ*, *du Verney*, aliorumque objectionibus erudite atque copiose respondet. Et hæc quidem Parte II continentur. Restat Pars tertia; ubi capite primo de sterilitate feminarum agit Cl. *Vallisnerius*, rationesque complures superioribus ignotas affert; Capite altero de convenientibus remediis differit. Capite tertio duas exhibet epistolas *Lancisii*, aliasque duas *Mulebancherii*, in quibus de molis ac monstris quibusdam, nec non de vermiculis seminalibus tractatur. Caput quartum Lectionem Academicam continet, de ordine, progressu & connexione universarum rerum creatarum. Denique Capite quinto variæ adducuntur historiæ, descriptiones & figuræ monstrorum, quæ ad tractationem de generatione pertinere videntur. Sequitur index rerum maxime notabilium; totumque opus Augustissimo nostro Imperatori, Carolo VI ab Autore dedicatum est.

JOSEPHI SENTENTIOLÆ, VERZALIA CÆsenatis, Epistola ad Geometriæ Professores atque Studiosos.

POst ea, quæ duabus proximis superioribus litteris meis, vobis demonstranda suscepi, satis intelligo *Viri Doctissimi*, longiori,

giori promiſſa exſolvendi mora, & meo de cauſis, quæ me ad eam impulerunt, ſilentio, fidem, exiſtimationemque meam apud Vos in diſcrimen facile venire poſſe. Quare ne quis, aut officii oblivioni & ignorationi, aut, quod forſitan maxime vellet, alicui de rebus jam enunciatis exortæ dubitationi, rei prolationem ac ſuſtentationem aſſignet; e dignitate mea eſſe, hujus aliquam vobis a me reddi rationem, exiſtimo. Et, ne faſtidium inertiamque quandam in digerendis & diſponendis inventis, animo prope meo inſitam atque innatam, quam non omni profecto culpa liberaretis, proferam: duo vobis commemorabo, quorum alterum opuſculo illi, de quo Vos ſemel atque iterum admonui, nunc peculiare contigit; alterum in omni meditationum ac ſtudiorum meorum genere frequenter evenire, atque adeo nullo non tempore ſolet. Hoc igitur ſcire Vos volo; quod, cum non ita pridem in manus Adverſaria quædam mea ſumpſiſſem, ut iis, quas in ipſa conjeceram, meditationibus illud augerem; earum tantam eſſe varietatem inveni, ut juſto opere vix ac ne vix quidem comprehendi ea commode poſſent; quare conſilium mutare, & quæ *Animadverſionibus* quibusdam in ſuas partes ac capita diſtributis complexus fueram, ea *Dialogis* dilatare nunc cogor; quod ſcriptionis genus cum Perſonarum, quæ in ipſum inducuntur, arbitrio atque voluntate regatur, & laxioribus legibus contineatur, non ad varia modo, ſed vel ad oppoſita argumenta exponenda atque explicanda, aptum eſt, & vehementer accommodatum. Sed hæc fortuita officii mei retardatio. Illud eſt, antea ſemper fuit, & ut opinor in poſterum ſemper erit, ſcriptis meis in apertum proferendis impedimento; ſingulare & flagrans rerum novarum ſtudium; quo fit, ut jam inventas pro veteribus atque obſoletis habeam; atque vix a me ipſo impetrare poſſim, ut eas, in Commentarium ne effluant, referam; nedum ea, qua decet in lucem emittenda, diligentia exequar atque perpoliam. Quo animo hunc naturæ meæ habitum prope ſingularem accepturi Vos ſitis, *Viri Eruditiſſimi*, neſcio; pro mea adverſus judicia veſtrum ſimilium reverentia, cupio quidem, bono: quod ad me attinet, neque hactenus unquam

unquam fuit; neque in posterum, ut puto, futurum est, ut illius pœniteat, etiam plus plusque in dies lætor, cum quotidie fructus ex eo uberiores capiam; quos si cognoveritis, atque adeo cum cognoveritis, cognituri enim ex commemoratis *Dialogis* estis; non modo me, de hac lucubrationes meas evulgandi negligentia non accusabitis, sed industriam meam, in persequendis eis, in quæ, alia meditans, fortuito incido, rite collocari, Vos ipsi fatebimini.

Atque ut aliquod cessationis hujus meæ opus Vobis extet; hic habetis. *Invenire curvam, quæ per* quotlibet, & quælibet *data puncta pertranseat:* quæstio est, quam clarissimorum Virorum præconium, eorundem in illam insumptus labor, & studium, ac sua in primis maximopere præstantia commendat. In eam cum jam pridem casu incurrissem, digna statim visa est, in quam omnem meam operam conferrem, & quanquam quibusdam aliis rebus difficillimis implicatus, ab re ardua serio tentanda abstinuerim: nunquam tamen cogitationem ab ea penitus abduxi, sed quicquid meditarer, quicquid expedirem, ea semper animo obversabatur, mihique aliud agenti & contemplanti occurrebat. Hinc, cum mense Octobri superiori in villulam hanc meam, in qua *non homo, sed aer, atque litus, & solitudo mera*, ab arbitris libera, me abdiderim, neque diutius solutionis *Problematis* tam rari, ac singularis desiderium ferre possem, in illam tota mente incubui; cumque post varios conatus, duas adeptus essem illud dissolvendi vias, quarum altera nullo modo, altera vere æstimata, satis proprie quæsito, at severioribus Judicibus satisfacere minime posset: rem, non rei cupiditatem dimisi, a qua semper invitatus, semper allectus, cum mense Majo superiori schedas aliquas meas, ut materiam ad *Dialogos* compararem, excuterem; ita sum ea denique incitatus, ut deposita ceterarum meditationum cura, omnes nervulos meos adhibuerim, si possem insignem hanc *solutionem*, una cum aliis lucubrationibus meis, dono Vobis suo tempore mittere, Paulo post eventus ex sententia processit; atque generalem, ac omnibus suis numeris absolutam *solutionem Problematis*, quod Celeberrimus *Newton, esse ex pulcherrimis, quæ*

 solvere

solvere desideraret, professus est; & summus *Geometra Leibnitius*, de eo ab ipso admonitus, *perelegans* vocavit, sum assecutus. Id ad animum meum hac in re cumulate explendum deerat, ut intelligere possem, quatenus mea cum *Newtoni* solutione congrueret; quam cum, a quo primum tempore ex litteris ipsius ad *Oldenburgerum* datis, de *Problemate* cognovi, inter eas id genus quæstiones, quas *Philosoph. Natur. Princip. Mathem. lib. 1 section. 5* diligentissime post decem annos est persecutus, incassum quæsierim, comparationis hujus instituendæ spem omnem abjeceram. Verum, cum (quem ad finem, nec memini, neque meminisse attinet) non ita pridem commemoratum opus pervolutarem, video inter evolvendum, acervum quendam litterarum, scite atque venuste dispositum, præterlapsum; consisto, atque quid id rei esset intelligendi cupidus, ad illum redeo, & sic demum optatam diu quæstionis hujus *Clarissimi Angli* enodationem *lib. 3 lem. 5* invenio, ac quam possum maximo studio considero atque contemplor. Tum vero meæ pretium intelligere, præstantiam cognoscere, perfectionem atque absolutionem maximi æstimare: cum ea, quam Vir hic *Geometrarum* facile Princeps tantopere optavit, tam valde concupivit, unam tantum & alteram quæsiti rationem complectatur, & *quotlibet* duntaxat, non *qualibet puncta* persequatur: quod quantum a generali, ac perfecta *solutione* ejus abhorreat, & *Cl. Leibnitius*, cum adhuc ei ignota esset, ex parte majori intellexit, & facile nunc est cuilibet existimare. Quo minus viam, qua ad rei expeditionem perveni, Vobis nunc demonstrem, duæ potissimum causæ me tenent; justa altera ac honesta, quod haud æquum esse censeo, omnem hujus singularis inventi gloriam ad me convertere, partemque illius doctissimis illis Viris præripere, qui, si de eo cognoverint, illud proprio, ut dicitur, Marte profecto perficient; altera necessaria, quod schedæ hujus angustia non patitur rem pro dignitate explicari & exponi: illud dico; *Formulæ* optatæ progressum esse satis expeditum & facilem; cum duobus, aut tribus ad summum *terminis* ejus inventis, quot libuerit, non magno negotio procreari ex iis parvo tempore possint; cum in

in hac Familia, simul ac a *Geometra animus illis datus est*, *Majores* omnes, leviter pro re nata immutati, ad singulorum *Posterorum* corpus coagmentandum, una concurrant.

Habet ergo nunc demum *Geometria*, meditationibus qualibuscunque nostris, aditum ad quæstionem hanc, tot nominibus illustrem, patefactum; & ubi antea *Algebristæ* egregiis suis conatibus ac mentis exercitationibus id tantum præstabant, ut naturam ad magnam thesaurorum suorum vim depromendam allicerent, vel etiam impellerent, ceterum eas persecuturi vias, quas illis ipsa monstrasset; nunc eo dominationis in illam progressi sunt, ut injectis veluti habenis, ea, quæ ipsis placuerit, itinera percurrere; quot & quales ipsis visum fuerit flexus, quot sinus, in tanto, ac tantulo spatio, persequi, arbitratu suo cogant: scilicet illa vis, quæ sibi infertur, pœnas, longioribus ut plurimum calculis, vel in non ita magno *Coordinatarum* assumptarum numero repetit: sed ecquid præclarum eximiumque, idemque facile est? Quanquam, si *æquationes* istæ conferantur cum aliquibus *seriebus*, quæ jam pridem tanta *Geometrarum* omnium approbatione prodierunt, & quibus, dum improbo labore, quæsitæ rei appropinquare magis magisque existimant, tantum ab ea fortasse recedunt, quantum a veritate absunt, ut aliquando monstrabimus, non modo ferendæ, sed commodæ sunt: cum præsertim in rationibus particularibus ad miram brevitatem a quolibet ratiocinatore adduci possint. Sed postea! quid facias? sic fert *Problematis* natura, ea est quæstionis conditio, quæ paucis expediri non possit; semperque magno constitit, maxima moliri. Explicate quæso Vos, si potestis, *formulas Newtonianas*; quas duas tantum quæsiti partes ex innumeris complecti supra dicebamus, ipseque commodas & expeditas appellat; atque tum demum, num vera loquar, intelligetis; tametsi Celeberrimus Vir ille: *Abscissas*, præter vulgarem *Geometrarum* morem, *negativas* (qua causa impulsus ignoro) assumendo, ita rem omnem impedivit, ut difficile, vel potius nullo modo, nisi peculiari ratione actam, eam ad exitum perducere potuerim; licet, ut mihi quidem videor, omnibus modis rem versaverim, ut viam eam, quam ipse

indicat, persequerer. Ceterum, ut idoneam *formulæ* meæ speciem animo comprehendatis, illud omitti non debet, me habere rationem *æquationem* componendi, quæ tametsi & primam ex *Newtonianis*, & innumeras atque infinitas id genus alias *Problematis solutiones* continet, ad illam tamen minima tantum atque tenuis particula quædam est.

Nunc jam, *Viri Doctissimi*, de hac fidem meam liberandi dilatione, ut lubet, existimate; ego facillime patior: illud *Vos* rogo, ut si vigiliis, cogitationibus ac laboribus meis aliquid ornamenti huic præclarissimæ scientiæ attuli, quod nisi alia re, cum hac saltem, tum superiori meditatione de *invenienda* curva, *quæ cum sit* inquadrabilis, *tot tamen, quot libuerit, spatia habeat* quadrabilia, sperare mihi posse videor præstitisse; si ope mea a durissima fervitute non ita pridem liberati; missilium semitas in *pleno* persequi omnes; *Catenariarum*, *Musculorum*, *&* *Velorum* sinus, ut non ea omni corpore, hoc est natura propria cogitatione privetis, explicare potestis; ne me incognita causa condemnetis; sed vel donec ipse eam dixero, judicium vestrum sustineatis; vel si longius voluntate vestra rem protrahi patienti animo ferre non valetis, paulisper saltem, præjudicatis opinionibus abjectis, quæ Vobis superioribus litteris indicavi, per vos ipsos aggrediamini. Omni enim Vobis ratione confirmo, fore, ut id, quod ante plures menses amico meo, longissime quidem ab his studiis remoto, peringenioso tamen, atque in rerum viribus existimandis acerrimo, evenit, Vobis quoque contingat. Cum enim ipse a me vehementer petiisset, ut sibi ea diligenter exponerem, quæ tam constanter meis, & unis, & alteris litteris in dubium vocaveram; moremque illi, earum rerum, quæ communiter his temporibus traduntur a *Geometris*, accurata explicatione gererem; ubi ad ea, quæ dubitationem habent, ventum est; non modo illa suspenso atque incerto animo ita excepit, ut de iis maxime dubitare appareret; sed iterum ac tertio sibi non probari apertissime fassus atque etiam professus est; neque prius iis acquiescere visus est, quam ego, cui in his studiis tantum tribuit, quantum nec postulo, nec agnosco, omnes meos nervos contendi, ut illa, quæ falsissima

esse

esse existimo, ipsi probarem, non eo sane consilio, ut Virum mihi charissimum, atque tot nominibus, & in primis eo, quod tantam mihi habet fidem, de me bene meritum deciperem; sed ut illum de sententiæ meæ rationibus parumper cælarem: quod argumento est, fore, cum hæc in animum præconceptis opinionibus vacuum influxerint, ut omnem vim suam exerceant, ac vel ab invitissimis assensum dictis meis extorqueant. Possum falli ut humanus: sed tamen experimini, Viri Cl.me amate, omnem in re tanta festinationem tollite, ac valete. Ex litore Cæsenati superi maris prope Rubiconem, Octavo Kalendas Julii 1726.

JO. PAULI L. B. DE GUNDLING, CONSIL. intimi Camer. & Societatis Regiæ Scient. Boruss. Præsidis, Dissertatio de origine Marchionatus Brandenburg. fide diplomatum suffulta, ad Virum Illustrem D. de --.

VIdimus plures & hac ætate magnæ eruditionis Viros, qui in inquirendis rerum originibus somnum vigiliasque posuerunt ac omnes ingenii vires intenderunt, ut verum tempus conditi Marchionatus & Electoratus Brandenburgensis, ac vera primordia ex rerum temporumque caligine eruerent & vera initia tanti Principatus indicarent. Fuerunt, qui initia conditi Marchionatus Brandenburgensis ad Romanorum & Augusti Octaviani tempora festinanter satis rejecerunt: imo alii crediderunt, a Carolo M. Marchionatum fuisse erectum eo tempore, quo Venedos Vilzosque armis sibi subjecit. Alii Henricum Aucupem conditorem illius extitisse putant, qui Sigefridum primum Marchionem constituerit, cui Otto Magnus & Otto II Geronem & Theodericum substituissent, eo inducti argumento, quod Gero & Theodericus Marchionis appellatione ornati in historia legantur. Sed si recta mentis acie rem totam perlustramus, facile apparebit, nec Geronem, nec Theodericum unquam dominium hujus regionis habuisse, quod ad Henricum Aucupem belli jure, & post ad Ottonem Magnum ipsi-

ipſiusque filium Ottonem II, ut Saxoniæ Duces, potius ſpectavit, qui bella ſub Ducibus Gerone & Theoderico contra (*a*) Rhedarios geſſerunt, ac Epiſcopatus inſtituerunt & confirmarunt, (*b*) quod nunquam ab ipſis fieri potuiſſet, niſi dominium harum regionum habuiſſent. Nihil præter regiones aliquas & prædia & dominia aliqua ad illos Duces Vicarios & Marchiones cum magna tamen poteſtate pertinuit, qui officio & munere contenti, quod Marchiones dicerentur, nihil amplius ambiverunt. Hic rerum ſtatus usque ad A. 983 (*c*) duravit; hoc enim anno Miſtevojus Obotritorum Rex frena mordebat, & Ottoni II Imp. ob violentiam Theoderici Marchionis has regiones eripuit, qui vicaria poteſtate abutebatur. Licet vero ſtatim & poſt ab Ottone III arma in Obotritos ſint mota; eventus tamen docuit, eos ſub Henrico II & Conrado Salico ipſiusque filio magis fuiſſe triumphatos quam victos. Omnia in deterius poſt Wilhelmi Marchionis Septentrionalis (*d*) ſtragem & interitum apud Prizlavam prope Werbenam ruebant, qua clade factum, ut Venedi libertatem ſibi vindicarent, percuſſo cum Henrico IV fœdere, cui contra Saxones ſuppetias tulerunt. Repreſſit eos apud Cothenam, Anhaltini Principatus oppidum, Otto Aſcharienſis Comes, (*e*) expugnato cis & trans Albim inſigni terrarum tractu, qui nunc ex parte Ducatus Saxoniæ appellatione inſignitur. Poſtea Lotharius, tunc Saxoniæ Dux, (*f*) eos devicit & vectigales reddidit; ſed mox cum ad ingenium rediiſſent, Adelbertus Aſchariæ Comes & Luſatiæ quondam Marchio antiquam Marchiam ſeu Soltwidelenſem ab Imp. Lothario adeptus, juſto bello eos plane devicit, & extructis caſtris eos debellato Prebizlavo Obotritorum ac Hevellorum Rege A. 1137 ſub jugum miſit, novisque incolis, Friſiis, Weſtfalis, Saxonibus, aliisque deinde terram hanc implevit. Poſt Imp. Lotharii ex hac vita diſceſſum, Conradus III. Imper. eligebatur, qui ob avitas inimicitias, Henricum Saxoniæ & Bavariæ Ducem ſuperbum, odio

(*a*) Epiſt. Ottonis M. apud Witichindum. (*b*) Literæ fundationum apud Cl. Lunigium de Epiſcopatu Havelbergenſi & Brandenburgenſi. (*c*) Annaliſta Saxo, ap. Ill. Dn. de Eckard. (*d*) Annaliſta Saxo. (*e*) Annaliſta Saxo. (*f*) Chronicon Hildeſienſe.

odio habere cœpit, quem postea proscripsit & Ducatu Soxoniæ & Bavariæ privavit. Ambibat Adelbertus Saxoniæ Ducatum, eo quod Mater ipsius Eilica, ultimi Saxoniæ Ducis Magni esset filia, ob quam ille successionem in Ducatu Saxoniæ prætendebat. Arripiebat occasionem fronte capillatam Conradus III Imp. ac Ducatum Saxoniæ Adelberto Marchioni tribuebat. Assumsit Adelbertus statim dignitatem, (*g*) nomen & titulum, ac in omnibus Imperii rebus ut Dux Saxoniæ negotia tractavit, & Imperatorum in tabulis & præceptis ut Dux Saxoniæ inter testes est adhibitus. Mox ad arma res deveniebat: nam novus Saxoniæ Dux Adelbertus Ducatum Saxoniæ, ac in eo urbes plurimas expugnavit, sibique vindicavit. Non duravit tam felix belli alea, quæ facile turbatur, quæque Welfo Henrici Leonis patruo favere cœpit, ut ipse Adelbertus regionibus suis a Saxoniæ Principibus expelleretur, ac ad Cæsaris Conradi gratiam cogeretur confugere. Quemadmodum vero odia humana cum morte hominum, qui odio habentur, defervescere solent; ita alia rerum temporumque facies apparebat, postquam Conradus III Imp. post fata Henrici superbi Francofurti ad Mœnum, pace cum Henrico Leone inita, fratri uterino suo Bavariam relinquere, Henrico Leoni vero Saxoniæ Ducatum, jam in Adelberti potestatem delatum, restituere secum constituisset. Igitur Adelbertus spe sua de retinendo Saxoniæ Ducatu dejiciebatur, ita ut hujus Principis rationes exigerent, novam ac aliam gratiam ab Imperatore Conrado efflagitare, ut inter summos Imperii Officiales in occupato fastigio relinqueretur. Non ex re Imperii Conrado III videbatur, Adelbertum, tam insignem, tam fidum sibi ac tam fortem Principem, ab occupato inter Duces Germaniæ loco dejicere, aut pati, ut is, qui inter Imperii summos officiales Sacri Romani Imperii Archi-Marschallus fuerat, ac res maximas & publica negotia tractaverat, inter Principes sequiores locaretur. Igitur ut Adelbertus eo facilius Ducatum Saxoniæ dimitteret, videndum sibi ratus, quo potissimum modo ea posset

(*g*) Diploma Astensibus datum A. 1140 apud Cl. Tolnerum: Quorum nomina sunt hæc: Fridericus Dux Suevorum, Henricus Com. Palatinus, Conradus Dux Karinthiæ, *Adelbertus Dux Saxoniæ*.

poſſet reſarcire, quæ dimiſſione Saxoniæ Ducatus Adelbertus (*b*) amitteret. Igitur Archicamerariatus dignitatem Adelberto conceſſit, ac Marchionatum Soltwidelenſem cum regione inter Albim & Oderam conjunxit, additis omnibus Ducatus juribus, quæ Duces tum temporis reddebant illuſtriores. Non erant in his regionibus Marchio, nec Palatinus, nec Landgravius, aut alii Principes ſeculares, nec Comes, qui aliquid haberet, quod putaret eſſe ſuum. Nobiles, quos in hac regione locabat Adelbertus, erant ipſi clientelari fide addicti, nec ullus ſe in cenſu Imperii eſſe credebat. Epiſcopus uterque ſubditi illi erant, licet Principes Imperii fuerint ob eminentem ſaltim, quam habebant, dignitatem, quæ ipſis tamen non ut terrarum Dominis competebat. Igitur Adelberto a Saxoniæ Principibus patria propulſo, felicior poſtero tempore rerum decurſus favere cœpit, ex quo hoſtes ipſius ipſi ſua reſtituere ac omnem regionem reddere compellebantur. Accidit hoc fere poſt (*i*) quinquennium, ex quo a Principatu erat dejectus, quod ipſi A. 1139 contigit. Igitur candidior nunc illi dies ibat, poſtquam Imperator utramque regionem ſub Marchionatus Brandenburgenſis appellatione illi conceſſerat, ac Archicamerariatus munus illi conjunxerat. Nemo adhuc certum annum potuit indicare, quo Adelbertus primum Marchio Brandenburgenſis ſit appellatus. Fuerunt quidem rerum alias peritiſſimi, qui ex diplomate A. 1147 Francofurti ad Mœnum dato eruere voluerunt, Adelbertum noſtrum prima vice illo anno Marchionem Brandenburgenſem dici. Et ſane id quam veriſſimum eſt, dici in hoc diplomate Adelbertum Marchionem Brandenburgenſem, qui vice Wincenburgenſis Comitis Keminadenſe Monaſterium Corbejenſi Abbati Wiboldo tradidit, quod diploma Tolnerus aliique exhibuerunt. Se altius tanti momenti initia petenda videntur, maxime quod nonnulla reperiantur documenta, in quibus ipſe Imperator Conradus III Adelbertum noſtrum Marchionem Brandenburgenſem appellat, quæ A. 1144 Hirsfeldæ & Nordhuſæ data ſunt. Igitur altioris indaginis quæſtionem putavi, ſi in primordia tam

(*b*) Hæc optime Albertus Kranzius expoſuit, Saxon. l. 6. c. 8. (*i*) Vide diploma in fine diſſertationis hujus exhibitum *Lit. A.*

tam magni Principatus inquireretur. Incidi in diploma Friderici Archiepiscopi Magdeburgensis, in quo legitur, Adelbertum Marchionem ex emergentibus & magnis causis a Principibus Saxoniæ patria ferme per quinquennium fuisse propulsum, qua de causa recurrendum mihi erat ad annum, quo ipse ex antiqua Soltwidelensi Marchia ejiciebatur. Indicavit vera Annalium fides, id A. 1139 contigisse, ex quo facile apparebat, reditum Adelberti Marchionis in A. 1144 incidere in eundem annum, quo Conradus III ipsum Marchionem Brandenburgensem appellavit. Nituntur hæc fide diplomatum (*k*) Conradi inter Germaniæ Reges Tertii, inter Romanos Imperatores vero Secundi. Primum, quod ad manus est, Hirsfeldæ celebri olim in Hassia monasterio, Reinhardo Reinehusensis cœnobii Abbati datum est, quo omnia, quæ ejus monasterio data sunt, auctoritate Imperiali confirmat, quod Illustris (*l*) noster Leibnitius exhibuit. Inter testes illius præcepti memorantur, Henricus Moguntinus Archiepiscopus, Bucco Wormatiensis Episcopus, Wigerus Brandenburgensis Episcopus, Wiboldus Stabulensis Abbas, Henricus Hersfeldensis Abbas, Conradus Helmwardeshusensis Abbas, *Adelbertus Marchio de Brandenburg*, Comes Herimannus de Winzenburg & Frater ejus Henricus, & Ludovicus Landgravius de Thuringia, qui præsentes adfuerunt. Hæc quidem indicasse sufficeret, sed & (*m*) aliud adhuc Conradi III Imperatoris superest documentum, quo ille Canonicis reditus & proventus auget Ecclesiæ Goslariensis, quam Proavus Henricus III Imperator suis sumtibus fundavit ac construxit. Inter testes adhibentur, Bucco Wormatiensis Episcopus, Wiboldus Stabulensis Abbas, *Adelbertus Brandenburg.* Marchio, Hermannus Comes de Winzenburg, Conradus Sporiad, Tibertus de Spielberg, Rabodus Dei miles, Henricus Marschalcus, Arnoldus de Burchdorff, quorum nomina jussu Imperatoris a Notario apponebantur. Hæc satis probare videntur, Marchionatum Brandenburgensem tum temporis, pace facta cum Henrico Leone, fuisse

 ere-

(*k*) Vide Diploma *Lit. B.* in fine dissertationis hujus exhibitum. (*l*) In Tomo I Rerum Brunsuicensium. (*m*) Vide Diploma sub *Lit. C.* in fine dissertationis hujus exhibitum.

erectum ac conditum. Ajunt quidem, Adelbertum jam A. 1140 in alio diplomate Magdeburgensi, cœnobio B. Mariæ dato, Marchionem Brandenburgensem dici. Sed annus non est appositus & tunc temporis Dux Saxoniæ appellabatur. Et licet Adelbertus noster Brandenburgensis Marchio hoc in anno in Diplomate Springirsbacensi monasterio dato inter testes *Adelbertus Marchio de Saxonia* appelletur; sciendum tamen, & hanc appellationem ad tempus aliquod non fuisse inusitatam, quemadmodum & nonnulla diplomata occurrunt, in quibus Adelbertus noster Marchio saltim nominatur, non facta mentione Marchionatus Brandenburgensis, quod eo tempore sæpe factum in recensione Ducum, Palatinorum, Landgraviorum & Marchionum, non apposita appellatione Ducis Bavariæ, Palatini ad Rhenum aut Badensis, Vohburgensis, Misnensis & Lusatiæ Marchionum, quod facile rerum periti tot testimoniis inducti sunt concessuri. Imo reperitur (*n*) aliud diploma, in quo Hartvicus, ex stirpe Stadensium Comitum & Septentrionalium Marchionum, A. 1145 terram Jerichowam cum aliis castris Magdeburgensi Ecclesiæ contulit, cui firmando Heinricus Dux Saxoniæ, Heinricus Palatinus Comes de Rheno, Adelbertus Marchio aliique adhibebantur, evidenti rei indicio, Henricum Leonem A. 1145 cum Adelberto pace facta jam fuisse concordem. Eodem anno Adelbertus (*o*) Villæ suæ Stendaliæ Jus fori concessit, in quo diplomate, licet versio Germanica antiquissima quidem mihi modo visa, Adelbertus se Dei Gratia Marchionem Brandenburgensem appellat, cum tamen in literis (*p*) ipsius Conradi Imperatoris III, Monasterio Gratia Dei appellato A. 1146 datis, Marchio Adelbertus modo nominetur. Eodem modo Beatrix Quedlinburgensis Abbatissa A. 1146 Adelbertum (*q*) in literis fundationis Monasterii Michelsteinensis Marchionem appellat, cum illum contra A. 1147 Francofurtense Diploma celeberrimum & notissimum ab Imperatore Conrado III Adelbertum Marchionem de Brandenburg nobis exhibeat. Gandershei-

(*n*) Apud Mushardum. (*o*) Codex Diplom. meus Mstus. (*p*) Apud Rev. Dn. Leuckfeldium Antiq. Monaster. Gratia Dei. (*q*) Apud eundem in antiquitatibus Michelsteinensibus.

heimense Diploma A. 1148 datum ipsum Marchionem designat, quo Ludgardis Gandersheimensis Abbatissa permutationem prædiorum Hermanni Comitis confirmat. Mox A. 1150 (r) Adelbertus se Divina favente Clementia Marchionem Brandenburgensem appellat, certissimo indicio, Marchionatus Brandenburgensis titulum illi jam ante sexennium competivisse, licet ipse Adelbertus in multis diplomatibus, quæ mihi servo, se tantum interdum Marchionem scripserit, ac in aliis rursus Brandenburgensem Marchionem se nominarit. Igitur Adelbertus Brandenburgensis Marchio Marchiam Septentrionalem cum universa Wilzorum regione feliciter conjunxit, ac cum Ducatus jure, quod ad Henricum Aucupem & Imperatores Ottones spectaverat olim, a Conrado Imperatore obtinuit; cui accessit summa Archicameralis dignitas quæ a Sueviæ Ducatu in Marchionatum Brandenburgensem translata est, quam ipse Conradus, qui Sueviæ Dux fuerat, ipsi concessit, quod sine ipsius assensu fieri haud potuisset. Apparet deinde Adelbertus in nummis, quos cudi jussit, cum clave, evidenti indicio, ipsum inter Imperii Officiales Archicamerarium jam fuisse, ac in tam celso fastigio inter illos eminuisse. Obiit Princeps eminentissimus A. 1170, testantibus multis antiquioribus rerum autoribus, licet fuerint, qui dicant, domesticam traditionem serenissimorum suorum posterorum obstare, quæ confirmet, ipsum jam A. 1168 obiisse. Sed haud firmo talo stat hæc traditio, cum (s) Diploma mihi ad manus sit, ex quo apparet, ipsum solenni Curiæ Bambergæ A. 1169 habitæ interfuisse, ubi inter testes donationis factæ a Friderico I Imperatore nominatur, adjecta filiorum Ottonis & Hermanni mentione, qui Parentem illuc secuti, eandem traditionem testimonio suo firmarunt. Hæc benevole, Vir Illustris, Tibi exponere volui, nullo alio argumento adductus, quam ut rem difficillimis scopulis subjectam planiorem redderem, ac vera rerum initia tam potentis Electoratus demonstrarem. Vale & salve. Berolini dat. 20 Jul. MDCCXVI.

(r) Diploma Codicis Diplomatici mei Msti. (s) Diploma A. 1169 Cod. mei Msti diplomatici.

Lit. A. Diploma I.

In nomine sancte & individue Trinitatis Fridericus *Dei Gratia sancte Magdeburgensis ecclesiæ Archiepiscopus. Noverit universitas fidelium, quod in villa Mose dicta ecclesia beatæ Marie ex antiqua traditione V. mansos possederat reliquam vero ejusdem ville partem* Marchio Albertus *ab archiepiscopo Magdeburgensi itemque a Marchione Comes Otto in beneficium habuerunt. Interea novis quibusdam & magnis emergentibus causis*, cum Marchio Albertus a Principibus Saxoniæ propulsus fuisset ferme per quinquennium a Patria, *comes Otto ob spem refrigerii sempiternam idem beneficium Conrado nunc temporis bujus Magdeburgensis ecclesiæ archiepiscopo eo tenore resignavit, ut ecclesiæ beate Mariæ condonaret.*

Lit. B. Diploma II.

Et ut hæc rata omni tempore permaneant, præsentis præcepti paginam sigilli nostri impressione communiri jussimus, testesque, qui affuerunt, subternotari fecimus, quorum nomina hæc sunt: Henricus Mogunt. Archiepiscopus, Bucco Wormatiensis Episcopus, Wigerus Brandenburgensis Episcopus, *Wiboldus Stabulensis Abbas, Heinricus Hersfeldensis Abbas, Conradus Helmwardesbusensis Abbas,* Adelbertus Marchio de Brandeburg, *Comes Herimannus de Winzenburg, & frater ejus Henricus, Ludowicus Landgravius de Tyring.*

Lit. C. Diploma III.

Testesque qui affuerunt subternotari fecimus, quorum nomina sunt hæc; Bucco Wormatiensis Episcopus, Wiboldus Stabulensis Abbas. Adelbertus Brandenburg. Marchio.

Lit. D. Diploma IV.

Ad hujus enim rei firmitudinem perpetuo manendam præsentem paginam impressione imperialis signi decoravimus. Hujus rei testes sunt Christianus *Moguntinus Archiepiscopus.* Philippus *Coloniensis Archiepiscopus.* Wicmannus *Magdeburgensis Archiepiscopus.* Heroldus *Wirtzeburgensis Episcopus.* Heinricus *Dux Bavariæ & Saxoniæ,* Conradus *Palatinus Comes de Reno. Marchio* Adelbertus *de Saxonia.*

NICOLAI

NICOLAI TRIVETI ANNALIUM CONTInuatio; ut & ADAMI MURIMUTHENSIS Chronicon, JOANNIS BOSTONI Speculum Cœnobitarum, & EDMUNDI BOLTONI Hypercritica. Omnia nunc primum edidit ANT. HALLIUS, S. T. P.

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, 1722, 8.
Alph. 1 plag. 10.

CUm de ipsis *Triveti* Annalibus dictum fuerit in Actis A. 1722 M. Mart. p. 105, hanc alteram quoque libri partem, nuper demum ad nos allatam, commemorari par est. Et continuator quidem ejus *Anonymus* res ab A. 1306 ad 1318 sub oculis suis gestas descripsit, de quo plura dicere non attinet. Opportune vero accessit alius quidam *Triveti* continuator, *Adamus Murimuthensis*, cujus Historiam sui temporis ab A. 1303 ad 1336, ab alio Autore, ut Cl. Editor credit, ad A. 1380 continuatam, Thomas Walsinghamus strenue compilando, magnam partem gloriæ Murimuthensi debitæ hactenus obscuravit. Sequitur *Jo. Bostoni* Speculum Cœnobitarum: etsi vero nec nomen Autoris, nec titulus in Codice, e quo hæc deprompta sunt, compareat, e Balæo tamen Noster evincit, & Bostonum autorem esse, & Speculum si non ipsum, certe ejus epitomen hic exhiberi. Simul vero observat, ejus Catalogum Scriptorum Ecclesiæ, adhuc ineditum, tribus exemplis exstare in Anglia, optatque merito, ut possessores adduci se patiantur, ut ipsius tandem cura prodeat liber, dignus quippe, qui Auberti Miræi Bibliothecæ Ecclesiasticæ, nuper a Viro Cl. Jo. Alb. Fabricio cum magnis accessionibus recensæ, addatur. Denique ceteris subjungendam Noster putavit *Edmundi Boltoni*, Viri ob varia scripta historica clari, Hypercritica, seu Dissertationem Anglico idiomate exaratam de conscribenda Historia Anglicana, cujus fragmentum Cl. Th. Hearnius in Vindiciis Galfridi Monumethensis publicavit. Hic cum præcipue Anglos respiciat, primum observat, quid de Galfrido Monumethensi, qui Sigeberti Gemblacensis, a quo p.208.
allegatur, tempore vixit, primusque Britones a Bruto quodam 204.

 dedu-

deduxit, cenſendum ſit. Neque vero omnem ei fidem denegan-
p. 207. dam putat, cum ex veteri MSpto Wallenſi ſua transſumſerit,
quo excerpta ex hymnis Bardorum, quibus, vel Lucano & Am-
miano Marcellino teſtibus, fortia Britonum geſta decantari ſue-
214. verant, continebantur. Inde docet, pleroſque Hiſtoricos recen-
tiores, qui vetuſtiſſimis temporibus geſta, prout animati ſunt,
vel probant ſuo calculo, vel deteſtantur, ob id ipſum, quia non
rogati ſententiam ferunt, valde ſuſpectos eſſe; hocque majo-
215. rem fidem mereri S. Scripturam, quod in illa res ſine fuco re-
feruntur, & rariſſime vel bene geſta probentur, vel male geſta
improbentur. Nudam ergo veritatem proponendam ſuadet;
quid enim fortius deſideret anima, (ut loquitur S. Auguſtinus)
228 ſq. *quam veritatem?* Porro ſcribendæ Hiſtoriæ Anglicanæ diffi-
cultatem ex præjudiciis deducit, quæ ex fide, & privilegiis cle-
ri, ex rationibus item ſtatus, quæ nunc pro libertate populi,
nunc pro majeſtate Regis pugnant, & denique ex gloria nationis
231. orta docet, neminem Scriptorum non aliquid eſſe mentitum
cenſens, niſi forte ex antiquis Malmesburienſem, Huntingdo-
num, Hovedenium & Bedam excipias. Ad ſtylum denique An-
232 ſq. glicum accedens Autor, quo veſtienda ſit hiſtoria, Thomam
Morum, Phil. Sidney, Rob. Pearſonium, Gualt. Raleigh, Franc.
Baconem, ipſamque Eliſabetham & Jacobum I, ſub quo vixit
Noſter, alioſque proſæ Scriptores; in poeſi vero Eliſabetham
236 ſq. iterum, cujus varia poemata a Puttenhamio, qui ejus ſtipendiis
vixit, in Arte Poetica Anglorum publicata ſunt, tum præter
alios Th. Sackvil, Raleigh, Jo. Donn, Hug. Holland & impri-
mis Benj. Jonſon commendat. Diſquirit hic inter alia Noſter,
quomodo in propriis nominibus formandis ſe gerere debeat
239. Scriptor Latinus, & Buchanano vitio vertit, quod ea nimium
deformando, e. g. ex nomine *Wiſehart* Græcum *Sophocardius*
componendo, obſcuram nimis reddiderit hiſtoriam, nec Thua-
num probat, qui ſine Indice topographico intelligi vix poſſit; qui-
bus Camdenum præfert, qui exemplo ſcriptorum medii ævi
nomina, prout ſonant, retinuerit; ſuadetque, aut retinenda,
nulla Latinitatis habita ratione, aut ad analogiam ejus redigenda
eſſe, veris nominibus in margine appoſitis. Poſtremo Angliæ

Hiſto-

Historiam scripturum jubet esse 1 bonum Christianum, qui magnarum rerum eventus, sive prosperos sive adversos, ad divinam providentiam referat, ad corrigendos Atheos, instruendosque Lectores quosvis alios; 2 bonum Civem, qui quæ ad statum & legitimam Angliæ libertatem spectant, diligenter ponderet; 3 bonum subditum, qui monstrando rebellionum damna, Principis autoritatem & populi tranquillitatem promoveat, 4 bonum Patrem familias, qui, dum publico inservire cupit, non negligat rem familiarem, & famam quidem, divitias autem minime se reportaturum e tali opera speret.

LIBRI NOVI, EX ANGLIA ALLATI.

Itinerarium curiosum, *or an Accaunt of the Antiquitys and remarkable Curiositys in Nature and Art, observd in Travels thro' Great-Brittan, illustrated with Copper-Prints; by* William Stukely, *C. M. L. and S. R. S.* London 1724, fol.

Itinerarium Septentrionale, *or a Journey thro' most of the Counties of Scotland and those in the North of England; by* Alexander Gordon. London 1726. *fol. c. fig.*

Remarks on several Parts of Europe, relating chiefly, to the History, Antiquities and Geography of those Countries, through which the Author has travel'd, as France, the Low-Countries, Lorrain, Alsatia, Germany, Savoy, Tyrol, Switzerland, Italy and Spain, by John Breval, *of Trinity-Colledge at Cambridge.* London 1726, *fol. c. fig.*

The most notable Antiquity of Great Britain, vulgarly called Stone-Heng, *on Salisbury-Plain, restored; by* Inigo Jones, Walter Charleton *and* John Webb. London 1725, *fol. c. fig.*

Memoirs of Affairs of State in the Reigns of Q. Elizabeth and K. James I, collected (chiefly) from the Original Papers of the Right honourable Sir Ralph Winwood, *Kt. sometime one of the Principal Secretaires of State; comprehending likewise the Negotiations of Sir* Henry Neville, *Sir* Thomas Edmondes, *Mr.* Trumbull, *Mr.* Cottington, *and others, at the Courts of France and Spain, and in Holland, Venice &c. Wherein the principal Transactions of those Times are faithfully related, and the Policies and Intrigues of those Courts at large discoverd. In Three Volumes, by* Edmund Sawyer, *of Lincoln's-Inn. Esq.* London 1725, fol.

A Voyage

A Voyage to the Islands, Madera, Barbadoes, Nieves, S. Christophers, and Jamaica; with the Natural History of the Herbs and Trees, fourfooted Beast, Fishes, Birds, Insects, Reptiles &c. of the last of those Islands. To which is prefixd an Introduction, wherein is an Account of the Inhabitans, Air, Waters, Diseases, Trade &c. of that Place, with some Relations concerning the Neighbouring Continent and Islands of America. By Sir Hans Sloane, *Baronet. Volume II.* London, *printed for the Author*, 1725, *fol. c. fig.*

Annals of the Reformation and Establishment of Religion and other various Occurrences in the Church of England, during the first Twelve Years of Q. Elizabeth's happy Reign; compiled faithfully out of Papers of State, autbentick Records, publick Registers, private Letters and other original Mauuscrips, by John Strype, *M. A. Vol. I and II. The second Edition with large Additions.* Lond. 1725, *fol.*

Mona antiqua restaurata, *an Archaeological Discourse on the Antiquities natural and historical of the Isle of Anglesey, the antient seat of the British Druids; by* Henry Rowlands, *Vicar of Llanjdan, in the Isle of Anglesey.* Dublin 1723, *4 maj. c. fig.*

Firma Burgi, *or an historical Essay, concerning the Cities, Towns and Boroughs of England, taken from Records; by* Thomas Madox, *Esquire, his Majesties Historiographer.* Lond. 1726, *fol. c. fig.*

De vita & rebus gestis Serenissimae Principis, Mariae, Scotorum Reginae, Franciae Dotariae, quae scriptis tradidere Autores sedecim, in duo Volumina distributi & ad optimae fidei Codices recensiti a *Samuele Jebb.* Londini 1725, *fol. c. fig.*

The History of the Life and Reign of Mary Q. of Scots and Dowager of France, extracted from original Records and Writers of Credit. London 1726, *8.*

The Life of Erasmus, more particularly that part of it, which he spent in England; wherein an Account is given of his learned Friends, and the State of Religion and Learning at that Time in both Universities; with an Appendix containing several original Papers; by Samuel Knight, *D. D. Prebendary of Ely.* Cambridge 1726, *8 maj. c. fig.*

ACTORUM ERUDITORUM,
Quæ Lipsiæ publicantur,
SUPPLEMENTA.
Tom. IX Sect. V.

CLEMENTIS UNDECIMI, PONTIFICIS Maximi, Bullarium.

Romæ, ex typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ, 1723, fol. Alphab. 7.

CUjus in Actis nostris, cum de S. P. *Clementis* XI Homiliis ageremus, Mense Augusto 1723, spem fecimus, ejusdem Summi Pontificis Bullarium illo ipso anno publici juris factum est. Adeo, quicquid contra molitum esse Tribunal Rotæ Romanæ, accepimus, nihil avertit Eminentissimum Principem *Annibalem* Cardinalem *Albanum*, S. R. E. Camerarium, Clementis XI ex germano fratre nepotem, a præclarissima contentione gloriæ tanti Pontificis, post editas Orationes Consistoriales & Homilias, maximo splendore decoratas, etiam consulendi editione nitida hujus Bullarii, quod quidem forma, ut paullo minori, & ornatu, quippe figuræ æri incisæ desunt, non tamen typorum elegantia laudatis Orationibus & Homiliis cedit. Inscriptionem, qua dedicatur opus S. Josepho, lubet integram apponere: SANCTISSIMÆ DEI GENITRICIS SPONSO, SANCTO JOSEPH, PRÆCIPUO ALBANÆ GENTIS PATRONO, *cujus sub auspicio & clientela ejusdem Familiæ Lumen longe clarissimum*, CLEMENS XI, PONT. MAX. *natus est, vixit & obiit*, ANNIBAL TIT. S. CLEMENTIS PRESBYT. CARD. ALBANUS, S. R. E. *Camerari-*

rarius, Volumen hoc Sanctionum, pro Urbis & Orbis regimine a Patruo suo editarum, in perenne gentilitiæ venerationis monumentum, humiliter offert. Præmissa est brevis vitæ recensio, ut mos, in collectionibus Constitutionum Pontificalium alias servatus, in hac quoque adhiberetur. Opus vero ipsum tres in partes dividitur. Pars I continet Bullas, Constitutiones, Chirographa & Brevia memorabilia. Pars II comprehendit Edicta, Decreta, Monitoria & Mandata memorabilia ad spirituale ac temporale Urbis ditionisque Pontificiæ regimen pertinentia, quæ ab Eminentissimis & Reverendissimis D. D. Cardinalibus, Vicario, Camerario, signaturæ Justitiæ Præfecto, Prodatario, nec non a RR. PP. DD. Gubernatore Urbis, Auditore Generali & Thesaurario Generali C. A. Auditore Papæ & Congregationibus particularibus, a Sanctissimo specialiter deputatis, prodierunt. Pars III complectitur Edicta, Declarationes & Decreta memorabilia, quæ a sacris Congregationibus, nempe S. Officii, Episcoporum & Regularium, Concilii Tridentini, propagandæ fidei, immunitatis Ecclesiasticæ, sacrorum rituum, indulgentiarum, sacrarumque reliquiarum, Indicis librorum prohibitorum, disciplinæ regularis, visitationis Apostolicæ, rerum ceremonialium, consultationis super negotiis status Ecclesiastici & reformationis tribunalium ejusdem Urbis prodierunt. Singula vero ista in qualibet parte operis juxta temporum seriem ab initio Pontificatus usque ad obitum Pontificis, nempe ab A. 1707 usque ad A. 1721 diligenter disposita sunt, ita, ut in parte I etiam in frontispicio cujusque paginæ annus, quo promulgata sunt, quæ inferius extant, compareat. Adjectæ etiam ubique visuntur notæ marginales, quibus contenta Constitutionum significantur. In fine operis additus est Index, qui secundum ordinem Alphabeticum concinnatus res in universo Bullario occurrentes exhibet. Nos rem haud ingratam facturos confidimus, si, quæ Parte prima & præcipua continentur, Bullas, Constitutiones, Chirographa & Brevia enumeremus. A. 1701 prodierunt, 1 Breve Apostolicum, quo publicatur Jubileum universale, ad implorandum divinum auxilium initio Pontificatus pro salutari S. Eccl. Cathol. regimine, 2 Constitutio de erigenda congregatione sublevaminis pro Alma Urbe, 3 Literæ

pro-

processus, publicatæ die Cœnæ Domini, quarum similes singulis sequentibus Pontificatus annis editæ sunt, 4 Breve Apost. pro facultate transferendi pensiones Ecclesiasticas usque ad summam scutatorum C monetæ Romanæ pro RR. PP. DD. in signatura justitiæ votantibus, 5 Concessio privilegiorum pro nonnullis suis familiaribus, 6 Concessio indulgentiæ plenariæ Christi fidelibus Italiæ & insularum adjacentium, pro pace inter Principes Christianos, 7 Extensio facultatis transferendi pensiones, de qua Breve n. 4 disposuit, & declaratio, quod etiam dimissis votantium hujusmodi officiis ea uti possint, 8 Concessio plurium indulgentiarum perpetuarum pro congregatione Missionis. Sub A. 1702 extant, 9 confirmatio Decreti sacrorum rituum congregationis, p. 20.
quo officium cum missa de B. Augustino Dalmata pro civitatibus Lucerina, Zagabriensi & Traguriensi, nec non earum diœcesibus & pro ordine Prædicatorum de communi tamen Confessorum Pontificum indulgetur, 10 declaratio de translatione Festi S. Francisci Xavierii cum indulgentia &c. 11 Confirmatio Decreti D. Cardin. Protectoris ordinis Carmelit. quo declaratur, facultatem erigendi Confraternitates S. Mariæ montis Carmeli esse duntaxat superioribus generalibus ordinis Carmelitarum &c. Ad A. 1703 pertinent, 12 Concessio indulgentiarum &c. 13 Jubileum pro p. 24.
Christi fidelibus Italiæ & insularum &c. 14 Confirmatio quorundam capitulorum cum deputatione Vicarii Generalis & definitorum, aliisque ordinationibus pro ordine sanctissimæ Trinitatis Redemptionis captivorum. A. 1704 sistit, 15 concessionem indul- p. 31.
gentiarum, &c. 16 damnationem & prohibitionem libelli typis editi sub titulo: *Veritable tradition de l'Eglise, sur la predestination & la grace &c. par Mr. de Launoy Docteur en Theologie, de la Maison & Societé de Navarre, à Liege 1702.* 17. Damnatio quorundam foliorum, quibus titulus: *Acte d'Appel interiette par le Procureur General de Lorraine & Barrois de l'execution du Bref; du 22 Sept. dernier.* 18 Confirmatio & ampliatio Constitutionis Pauli III de privilegiis Neophytorum quoad bona temporalia, 19 concessio indulgentiæ plenariæ perpetuæ visitantibus Ecclesias ordinis servorum B. Mariæ virg. De A. 1705 sunt, 20 de- p. 39.
putatio R. P. D. Vicesgerentis pro tempore in Judicem privati-

vum quarumcunque causarum domus Catechumenorum urbis locorumque piorum illi annexorum &c. 21 Confirmatio Decreti S. Congregat. Episcoporum & Regularium, quo sancitur, constituendum esse Procuratorem generalem pro Discalceatis & Recollectis, qui Romæ in Conventu Aracœlitano resideat, 22 confirmatio & innovatio Constitutionum Innocentii Papæ X & Alexandri VII adversus Jansenianam hæresin, 23 confirmatio Decreti S. Congregat. Episcop. & Regular. quo Manuale Ceremoniarum provinciæ S. Evangelii de Mexico Ord. Minor. S. Francisci de observantia approbatur, 24 unio provinciæ Italiæ fratrum discalceatorum Ord. SS. Trinit. redemptionis captivorum cum
p. 50. congregatione Hispaniæ ejusdem ordinis. De A. 1706 extant, 25 assignatio loci perpetui inter Auditores Rotæ Perusinæ uni ex civibus civitatis Urbini &c. 26 Indultum pro militibus Hospitalis S. Joannis Hierosolym. ut in bellicis ipsorum navibus missam celebrari facere possint, 27 erectio computistariarum locorum
57. Montium, 28 Jubileum universale &c. A. 1707 prodierunt, 29 declaratio nullitatis quamplurium decretorum, ordinationum &c. aliorumque gestorum in ditione Ducis Sabaudiæ, libertati & jurisdictioni Ecclesiasticæ atque autoritati Apostolicæ præjudicialium, 30 indulgentia plenaria perpetua pro visitantibus Ecclesias fratrum & monialium S. Francisci &c. 31 Declaratio nullitatis cujusdam Concordiæ in sedis Apost. & S. R. E. præjudicium initæ super hybernis stationibus, quas milites Germani in Ducatu Parmæ & Placentiæ locarunt, 32 communicatio & extensio omnium privilegiorum & facultatum, quæ ordinibus mendicantium & Congregationi Clericorum Regular. ministrantium infirmis competunt, ad Congregat. fratrum Bethlehemitarum, 33 declaratio nullitatis gestorum a Præside, ministris & officialibus Regiæ Audientiæ civitatis Aquilan. libertati & immunitati Ecclesiast. præjudicialium, 34 damnatio opusculorum & libellorum tam editorum, quam edendorum adversus Decretum Apostol. super remotione R. P. D. Petri Coddæi Archiep. Sebasteni a Vicariatu Apostol. missionum Hollandicarum, &c. De A. 1708
83. sunt, 35 damnatio & prohibitio librorum: *D. Laurentii Pires Carvalho Quæstiones selectæ de Bulla Cruciatæ Lusitaniæ:* it. *Epitome*

tome das Indulgencias, e privilegios da Bulla da ſancta Cruzada, 36 declaratio nullitatis Electionum duorum Adminiſtratorum Eccleſiarum Gneſnenſis & Uladislavienſis &c. 37 damnatio libri impreſſi ſub titulo : *Le nouveau Teſtament en Francois avec des reflexions morales, a Paris 1699*, it. ſub titulo : *Abbregè de la morale de l'Evangile, des Actes des Apoſtres, des Epiſtres, &c. a Paris 1693 & 1694*, 38 prohibitio extrahendi quomodolibet libros, chartas & mobilia quæcunque ex Bibliotheca Monaſterii SS. Fabiani & Sebaſtiani extra & prope muros Urbis, 39 prohibitio extrahendi, commutandi, commodandi &c. ſacros libros, ornamenta, vaſa &c. ex Sacriſtia, Eccleſia & dicto Monaſterio SS. Fabiani & Sebaſtiani, 40 Conſtitutio, ut feſtum conceptionis B. Mariæ Virg. immaculatæ de præcepto ubique in poſterum obſervetur. De A. 1709 exhibentur, 41 Conceſſio Indulgentiarum &c. 42 declaratio nullitatis electionis R. P. D. Franciſci de Solis, Epiſco- p. 92.
pi Ilerd. in gubernatorem Eccleſiæ Abulenſis. De A. 1710 ſunt, 43 confirmatio Decreti congregationis ſacrorum rituum, de cultu B. Luciæ de Narnia, 44 Conſtitutio præſcribens modum & for- 97.
mam gubernandi congregationem Ciſtercienſem in regnis Caſtellæ, Legionis & Galleciæ. De A. 1711 comparent, 45 declaratio 104.
nullitatis precum primariarum S. R. Imperio vacante a Vicariis Imperii expeditarum, 46 declaratio nullitatis quamplurium Decretorum, ordinationum, &c. in Hiſpaniis libertati & jurisdictioni Eccleſiaſt. atque autoritati Apoſtol. præjudicialium, 47 Conſtitutio ſuper ſtudiis & gradibus ordinis Carmelitarum. A. 1712 habet, 48 præceptum ſuper obſervatione generalis interdi- 113.
cti, cui R. P. D. Fabritius Epiſc. Lyrienſ. a ſeculari poteſtate violenter ejectus, civitatem & diœceſim ſuppoſuerat, 49 Motus proprius conceſſionis Venerabilis Eccleſiæ & Collegii S. Mariæ Montium congregationi piorum operariorum de Urbe, 50 Conſtitutio, qua ſuperioribus & Monachis Ord. Carthuſ. ſub pœna excommunicat. interdicitur, ne cuiquam, etiam Cardinali, in Monaſteriis ejus ord. carnibus veſci permittant, 51 Canonizatio S. Pii V Pont. Max. ex ordine fratrum prædicatorum, 52 Canonizatio S. Andreæ Avellini, Congregat. Clericor. Reg. Theatinorum, 53 declaratio nullitatis, damnatio & reprobatio reſtitutio-

nis Ecclesiasticæ &c. temere ac damnabiliter præsumtæ per quen-
dam delegatum prætensi tribunalis Siciliæ &c. 54 Confirmatio
Decreti S. Congregat. Episcop. & Regular. quo sancitur servari
solitum in electione Provincialium provinciarum S. Antonini &
S. Crucis Ord. Prædicator. in Indiis Occidentalibus &c. 55 Con-
stitutio, qua conventus S. Luciæ in Monte civit. Neapolit. & Ho-
spitium S. Petri de Alcantara provinciæ Neapol. reuniuntur, 56,
abrogatio Edicti in civitate Januensi promulgati &c. A. 1713 emis-
p. 148. sa sunt, 57 Indulgentia plenaria &c. 58 Concessio facultatis Ma-
gistro generali Ord. Prædicator. substituendi, quoad vixerit tan-
tum, Vicarios provinciales M ssio ariorum ejusd. ordinis pro ere-
ctione Confraternitatum S. Rosarii in Tunkini ac Sinarum re-
gnis, 59 Concessio facultatis eidem Magistro generali Ord. Præd.
erigendi in Sinarum regnis unam pro viris, alteram pro mulieri-
bus, Confraternitatem S. Rosarii, 60 Declaratio pro Confrater-
nitatibus B. Mariæ Virg. de monte Carmelo, concernens indul-
gentias, 61 inhibitio extractionis librorum & quinternorum
Bibliothecæ conventus S. Mariæ majoris Tyburis ord. FF. mi-
nor. observant. S. Francisci extra Conventum, 62 declaratio nul-
litatis, damnatio &c. cujusdam Edicti a Laicali potestate editi su-
per censuris Ecclesiasticis a R. P. D. Petro II Episc. Casal. adver-
sus Comitem Jac. Nemours promulgatis, 63 Confirmatio Decre-
torum Congreg. SS. Rituum super cultu immemorabili S. Libera-
ti de Lauro Ord. minor. Reg. observ. S. Francisci, provinc. Mar-
chiæ, 64 damnatio quamplurium propositionum excerptarum
ex libro: *Le Nouveau Testament en Francois avec de reflexions
morales &c.* item: *Abregé de la morale de l'Evangile &c.* cum
prohibitione ejusdem libri & aliorum in defensionem ejus tam
editorum, quam edendorum, (quæ ipsa est celebris illa Constitu-
tio: *Unigenitus*), 65 confirmatio Decreti Congreg. SS. Rituum
editi super cultu immemor. B. Gregorio X Papæ exhibito, 66
Concessio Indulgentiarum pro præservatione seu liberatione a
grassante epidemica animalium lue divinam opem implorantibus,
167. 67 Constitutio pro feliciori regimine Congregationis observant.
Lombardiæ nuncup. ord. Eremitarum S. Augustini. De A. 1714
extant, 68 declaratio nullitatis plurimorum gestorum ab asserto
judice

judice prætensi tribunalis Monarchiæ Siculæ & quibusdam ejus delegatis, 69 diversæ ordinationes ad vindicandam dignitatem ac jurisdictionem R. P. D. Archiep. Tarraconensis, 70 Constitutio in favorem artis agrariæ & eam exercentium, 71 declaratio nullitatis &c. Edicti promulgati a quodam delegato asserti tribunalis Monarchiæ Siculæ &c. 72 Concessio Indulgentiarum pro recitantibus Coronam S. Brigittæ, 73 declaratio super omnimoda observantia Ecclesiast. interdicti, cui civitates & diœceses Cataniensis & Agrigentina subjectæ, 74 declaratio nullitatis præcepti a quodam delegato asserti Tribunalis Monarch. Siculæ per Diœcesim Cataniensem transmissi. De A. 1715 sunt, 75 declaratio nullitatis Edicti a quadam congregatione *Giunta* nuncupata, per secularem potestatem regni Siciliæ deputata, promulgati ad effectum impediendi in eodem regno executionem Mandatorum & Decretorum Apostolicorum, 76 extinctio & abolitio prætensæ Apostolicæ in regno Siciliæ Legationis & Monarchiæ nuncupatæ, ejusque tribunalis, judicis, ministrorum & officialium, 77 literæ Apostolicæ in forma Brevis ad Archiepp. & Episcopos, nec non utrumque Clerum & omnes Christi fideles regni Siciliæ, quomodo causæ dicti regni ad forum Ecclesiast. pertinentes in posterum judicari debeant, donec alia ratione a Sanct. sua & sede Apost. nationi Siculæ consulatur, 78 præceptum super inviolabili observatione eorum quæ alias a Sanct. sua in causa ceremoniarum Sinensium decreta fuerunt, 79 Jubileum universale, contra Turcas, 80 declaratio nullitatis &c. cujusdam actus appellationis a Procuratore fiscali regni Siciliæ editi adversus binas literas Apostolicas super extinctione prætensæ Monarchiæ Siculæ & super modo in posterum judicandi, emanatas, 81 Concessio Indulgentiarum, contra Turcas. De A. 1716 sunt, 82 beatificatio servi Dei Joannis Francisci Regis sacerdotis professi Societ. Jesu, 83 Impositio subsidii unius millionis Cruciatorum ad favorem R. Portugalliæ pro sumptibus belli contra Turcas, 84 unio perpetua trium Parochialium Ecclesiarum de jure Patronatus R. Portugall. Regiæ Cappellæ M. S. in civitate Ulyxbonensi, 85 Confirmatio novorum statutorum Congregat. Musicorum sub invocatione S. Cœciliæ in Urbe institutæ, 86 erectio Patriarchalis Ecclesiæ

p. 193.

217.

clesiæ Ulyxbonensis Occidentalis de jure Patronatus Sereniss. Portug. & Algarb. Regis, 87 suspensio privilegiorum a sede Apostolica concessorum Facultati S. Theologiæ Paris. ad Sanct. suæ & ejusdem sedis beneplacitum. Sequuntur de A. 1717, 88 confirma-
p. 241. tio actorum a delegato Apostol. pro executione literarum Apostolicarum erectionem novæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulyxbon. Occid. concernentium, 89 ampliatio indultorum ad favorem Capituli Patriarchalis Ecclesiæ Ulyssip. Occid. 90 concessio indulgentiæ plenariæ pro Christi fidelibus Ecclesiasticum interdictum in civitatibus Catanien. Agrigent. & Liparen. inviolate observantibus, 91 confirmatio Decreti a delegato Apostol. editi quoad initium & distributionem orationis quadraginta horarum in civitate Ulyxbonensi, 92 confirmatio capitulorum, seu ordinationum regiminis civitatis Recineti, 93 declaratio nullitatis cujusdam Edicti nomine secularis potestatis in Ducatu Sabaudiæ & Pedemontii Principatu editi in præjudicium supremi dominii ad sedem Apost. in quibusdam locis mensæ Episcop. Asten. pri-
256. vative spectantis. Succedunt de A. 1718, 94 confirmatio Constitutionum Academiæ Theologicæ de Urbe, cum deputatione nonnullorum S. R. E. Cardinalium ejus Academiæ Protectorum & quorundam privilegiorum concessione, 95 declaratio nullitatis omnium gestorum & attentatorum per D. Princip. Gustavum Leopoldum de Dupont, intrusum in administrationem militiæ aureatæ Constantinianeæ S. Georgii, 96 erectio Ecclesiæ Parmensis B. Mariæ della Steccata in Ecclesiam & sedem conventualem S. Equestris religionis Constantin. S. Georgii, 97 suspensio diversarum gratiarum ab Apostol. sede Philippo V Hispan. R. Catholico concessarum, nempe cruciatæ sanctæ, subsidii, primæ decimæ & fructuum Ecclesiasticorum unius mensis, &c. 98 Monita pastoralia universis Christi fidelibus data adversus eos, qui Constitutioni Pontificiæ, quæ incipit: *Unigenitus*, anno Incarn. Dom. 1713 sexto Idus Sept. editæ, debitam obedientiam præstare hactenus recusarunt, aut in posterum recusaverint. An-
276. nus 1719 habet, 99 declarationem nullitatis cujusdam Edicti sub nomine Senatus in civitate Taurinens. residentis in præjudicium Ecclesiast. libertatis & Pontificiæ autoritatis promulgati. A. 1720 sistit,

ſiſtit, 100 revocationem ſuſpenſionis Cruciatæ ſanctæ in regnis Hiſpaniarum pro iſto anno, 101 Conceſſionem indulgentiæ plenariæ perpetuæ viſitantibus Eccleſiam Convent. Militiæ aur. Conſtantin. B. Mariæ della Steccata, &c. 102 prohibitionem extrahendi libros & ſcripturas ex publica Bibliotheca a Sanct. ſua in Conventu FF. Ord. Minor. S. Franciſci conventual. civitatis Urbinatenſis inſtituta, cum licentia in ea retinendi & aſſervandi quoscunque libros prohibitos, 103 relaxationem & revocationem ſuſpenſionis Cruciatæ ſanctæ & aliarum gratiarum pro Hiſpaniarum R. Catholico. Sequuntur jam numero 104 Conſtitutio Innocentii Papæ XIII, qua aſſignatio loci inter Auditores Rotæ Maceratenſis a Sa. mem. Clemente XI facta uni ex civibus civitatis Urbini, confirmatur, & 105 Conſtitutio ejusdem Innocentii XIII, qua literæ Apoſtolicæ Clementis XI confirmatoriæ diverſorum privilegiorum ac indultorum a Rom. Pontificibus Univerſitati Studii generalis & Collegio Doctorum Urbini conceſſorum &c. ampliſſime confirmantur. Has excipiunt ſex Brevia & una Bulla extra temporis ordinem poſita, cum ad manus Collectoris ſero nimis &, ſecunda Parte operis jam pridem typis exſcribi cœpta, demum pervenerint: ſunt vero, 106 Indultum Fratribus miſſionariis Ord. minor. S. Franciſci de obſervant. reformat. anno 1704 conceſſum, ut poſt miniſterium in miſſione Æthiopiæ per 12 annos præſtitum, ſi ad ſuas proprias dicti Ordinis provincias redire velint, reverſi omnibus privilegiis, quibus FF. ejusdem Ord. qui miniſtri provinciales fuerunt, fruuntur, gaudere poſſint, 107 Conceſſio vineæ in loco Puriolo S. Congregationi de propaganda fide & fundatio Alumnatus pro juvene Nationis Epiri, ſeu Albaniæ, ab eadem Congregatione nominando. De A. 1708 porro 108 Exemptio Alumnorum & Miniſtrorum S. Congregationis de propag. fide in ejus Collegio & Palatio commorantium a quibuscunque juribus parochialibus Eccleſiæ S. Andreæ de Fractis, excepta adminiſtratione Sacram. Matrimonii, de eodem anno. Succedit A. 1710, 109 Approbatio & confirmatio regularum Collegii, ſeu ſeminarii Miſſionariorum in conventu Aſſiſienſ. Ord. FF. minor. S. Franciſci Conventualium, donec aliter provideatur, deſtinati, 110 Appro-

p. 279.

285.

301.

batio & confirmatio Regularum Collegii, ſeu Seminarii Miſſionariorum in Conventu S. Bartholomæi in Inſula de Urbe Ord. FF. minor. de obſervantia nuncupatorum, deſtinati. De A. 1712, III declaratio nullitatis &c. quarundam pactionum a Capitulo & Canonicis Cathedralis Eccleſiæ Hildeſienſis cum Acatholico Principe initarum &c. Ultimo loco comparet de A. 1716 declaratio nullitatis &c. Poſtulationis a Capitulo & Canonicis Cathedralis Eccleſiæ Oſnabrugenſis factæ de perſona Princ. Erneſti Auguſti, e Brunſvicenſi ac Luneburgenſi domo, notorii Acatholici, in Epiſcopum ejusdem Eccleſiæ, cum aliis ordinationibus.

DEL HISTORIA CIVILE DEL REGNO DI Napoli, Libri XL, ſcritti dà PIETRO GIANNONE, &c.

i. e.

HISTORIÆ CIVILIS REGNI NEAPOLITANI Libri XL, ſcripti a PETRO GIANNONIO, JCto & Advocato Neapol.

Tomus I.

Neapoli, apud Nicolaum Naſum, 1723, 4 maj.
Alph. 12.

EGregium hoc opus, Auguſtiſſimo Imperatori *Carolo VI* conſecratum, non ſimplicem rerum geſtarum ſeriem fabulis nugisque refertam continet, ſed integram Regni Neapolitani, tot mutationibus obnoxii, Hiſtoriam vere Pragmaticam, exactam Status publici in rebus Eccleſiaſticis & ſecularibus ſcientiam cujusvis ævi continentem, teſtibus optimis, Proteſtantium quoque partibus addictis, ſub finem paginarum ſubnexis, firmatam, & cum exacta Juris privati notitia conjunctam, ob oculos ſiſtit, ut inde ſolida rerum Neapolitanarum, ſtatusque publici cognitio facili negotio hauriatur. Veritatis amantiſſimum fuiſſe Cl. *Giannonium*, vel illud abunde probat, quod uſurpationes Pontificum, ad immenſam in omnes poteſtatem graſſantium, ubique detegat, adeo ut & Autorem nimio ſtudio veritatis litantem invidia ſedis Roma-

Romanæ coegerit, patria relicta, ſub Invictiſſimi Imperatoris tu-
tamine, quo nunc fruitur Viennæ, refugium quærere, & liber
ipſe acri cenſura damnatus rariſſime proſtet. Rem inde gratiſſi-
mam Lectoribus nos facturos exiſtimamus, ſi ſingularia quædam
e Tomo I depromſerimus. Civitas Neapolitana inſigni quondam
(*Senatus PopuliQue Neapolitani*) titulo uſa, poſtmodum eundem Lib. I. p. 21.
ſic immutari voluit: O. P. Q. N. i. e. *Ordo PopulusQue Neapolita-*
nus, quod ex inſcriptionibus patet. Donatio Conſtantini M. facta L. II. p. 95.
Silveſtro Pontifici de univerſa Italia ſolide confutatur, uti adeo
nec ſola Neapolis excepta dici queat, nec inveſtitura Pontificia
inde repetenda ſit, ut plures exinde enatos errores taceamus, quos
in *Mathæo de Afflictis*, JCto, hiſtoriarum ignariſſimo, deprehen-
dere liceat, de quo Marinus Freccia dicere fuerat ſolitus; *Affinis*
meus hiſtoricus non eſt. Dum Conſtantinus M. in gratiam veræ 104.
Religionis multas anteriorum leges mutat, vel abolet, Gregoria-
nus & Hermogenianus, ne omnis Gentilium Jurisprudentia pe-
nitus periret, veriti, Codices ſuos compilarunt. Cum Archi-Epi- 122.
ſcoporum titulo ſæpius pro lubitu ſuperbirent Epiſcopi minorum
civitatum, hinc in regno Neapolitano evenit, ut plures dentur
Archi-Epiſcopi, ſuffraganeis plane deſtituti. Fridericus II Im- 147.
perator Neapolitanis edixit, ne Clericis *ſtabilia* ſeu bona immo-
bilia licitum eſſet acquirere, ſed hanc Conſtitutionem impiam
injuſtamque criminantes Eccleſiaſtici, valore ſuo privarunt, ut
hodie in regno quondam feliciſſimo pauca Laicis ſuperſint, quæ
Clerus exigua opera abſorbere demum cuncta queat. Sub Gotho- L. III. 180.
rum regimine Legibus Romanorum antiquis uti permiſſum Nea-
politanis, officia ſecularia & eccleſiaſtica eadem retenta, imo li-
bertas ipſis relicta, qua Gallos Franci irruentes privarunt; nulla
tamen Legum Juſtinianearum fuit autoritas ſub dominio Gotho- 198.
rum, qui Codicem Theodoſianum in mores ſuos traduxerant.
Monachi Baſiliani Seculo VI primum ex Oriente in terras haſce 226.
ſunt delati, quos numero mox vicerunt S. Benedicti regula in-
ſtructi. Poſteaquam Longobardi, inſtigante Narſete, Italiam in- L. IV. 254.
traſſent, ipſi Beneventum ductu Zotonis fraude bellica A. 561 oc-
cuparunt, quod confirmavit Rex illorum Autaris, Samnio eidem
ſubjecto; ſed ab exiguis initiis eo exerevit Ducum Beneventa-

norum potentia, ut seculis duobus præterlapsis Italiam omnem
Transtiberinam cum regionibus aliquot vicinis sub ditione te-
p. 265. nerent. Civitati Neapolitanæ Duces præficiebant Imperatores
Græcorum, e quibus Compsinum ferunt, trucidato Phoca, ferrea
corona Barii, mox aurea Neapoli primum Neapolitanorum Re-
gem fuisse inauguratum, quibus tamen fidem habere vetat veritas.
268. Legibus Longobardorum, Procerum consensu stabilitis, vixerunt
Neapolitani, qui Codicem membranaceum earundem huc usque
281. asservant Cavæ in scriniis cœnobii S. Trinitatis. Posteaquam Lon-
gobardi Græcos, ipso Constantio Imperatore exercitum ducente,
Beneventum acerrima obsidione cingentes, fortissime repulissent,
misso Idolorum cultu & Arianorum superstitione primum fidem
283. Catholicam amplexabantur, S. Barbato Autore. Bulgari, circa A.
667 in has oras delati, cum Longobardis amice conspirantes,
plura loca jure Gastaldiæ tenuerunt; ex quo tempore etiam idio-
ma Italicum a Latino longe diversum magis magisque invaluit.
298. Comitatus XII uni subfuisse ordinarie Duci, Autor existimat, quæ
tamen opinio, inveterata quondam, hodie a pluribus confutatur.
Romana Ecclesia tum temporis donationibus terrarum in Regnis
306. ac Principatibus exteris mirum in modum ditata, subinde prædia
ista oneribus publicis ac jurisdictioni magistratus subtrahere
tentavit; sed Principibus acriter obstantibus, S. Gregorius Ponti-
fex id sub anathemate severe interdixit. Ast cum reditus ex præ-
307. diis *patrimonii* nomine venirent, plures in errorem sunt prola-
psi, ac si territoria integra, in quibus sita fuerant prædia, patri-
320. monio Romanæ Ecclesiæ accrevissent. Per turbas Iconoclasta-
rum Romæ non omne plane Græcorum Imperium uno ictu cor-
ruisse artibus Gregorii II Pontificis, sed superfuisse adhuc pristi-
næ potestatis vestigia, officialibus Græcis ibi admissis, optime de-
333. monstrat Autor. Statua, quæ Baruli hodienum visitur, Rachisio
Longobardorum Regi a pluribus falso tributa, Heraclio Impera-
335. tori justis argumentis vindicatur. Electos quondam Pontifices,
sed consecratione nondum peracta defunctos, numero Paparum
haud fuisse adscriptos, exemplo Stephani I patet; verum recen-
tioribus seculis, postquam opinio invaluit, electione fieri Pontifi-
cem, non inauguratione, Stephanus aliique olim haud consecrati,
inter

inter Pontifices connumerari cœperunt. Conſulum nomen Im- p. 348.
peratores quondam haud dedignabantur, eodem utebantur Cæſa-
res Francorum gente oriundi, uti & Imperatores Itali Berenga-
rius & Guido, ſed dum Græci Majeſtati ſuæ hoc minus convenire
exiſtimarent, illudque officialibus aulæ tribuerent, reliqui etiam
idem ſunt imitati, unde *Conſulem Maris* vocatum reperimus, qui
nobis *Thalaſſiarcha* aut rei maritimæ præfectus dicitur, atque
inde Magiſtratus inferiores, imo Magiſtri opificum hoc nomen
adoptarunt. Carolum M. ipſiusque ſucceſſores ad Henricum IV,
usque Pipini donationem Romano Pontifici factam tantum fir- 353.
maſſe, minime vero Beneventanum & Neapolitanum territori-
um iſti adjeciſſe, (ut Siciliam, Sardiniam, Saxoniamque taceamus,)
ſolide Noſter evincit, cum nomine *juſtitiæ Eccleſiæ*, in illis terris
ſedi Romanæ conceſſæ, prædia ſolum exigua ſignificentur. Leges 355.
Longobardorum ſapientiſſimæ, convocatis Nobilibus Magiſtra-
tibusque, condebantur, Clero tamen & plebe excluſis: hinc op- 363.
preſſis quoque Longobardis, non tantum in Beneventano Ducatu
iſtæ ſunt retentæ, ſed & in ceteris Neapolitani Regni partibus
receptæ: Clerus autem jure Romano vivebat. Tandem Lex 366.
Longobardorum, Romano jure reſtituto, tempore obliterata, un-
de Seculo XIV *Lucas de Penna* eandem barbaram, aſininam &
incultam nominare haud erubuit, adeo ut Aragonenſibus regno
potitis vix memoria juris Longobardici ſupereſſet. Seculo VIII L.VI.372.
plures prodiere *Canonum collectiones, Iſidori Peccatoris*; *Capitula
Hadriani Papæ*, quæ in uſum nusquam videntur deducta; deni-
que *Diurnus Romanorum Pontificum*, Romæ compilatus, quo con-
tinebantur formulæ antiquæ, in rebus quotidianis decernendis
adhiberi ſolitæ. Monachorum ſtatu creſcente regnum quoque 376.
Neapolitanum haud exigua ſenſit detrimenta, unde maximos re-
ditus, quos Commendas majores appellant, Cardinales aliique
Clerici Ordinum ſuperiorum, Pontificum beneficio, ad ſuſtentan-
dam dignitatem quotannis hauriunt. Longobardis in Italia a Ca- 381.
rolo M. devictis, ſupererant ex iſtis Duces Beneventani, univerſo
pœne regno Neapolitano potiti, ſi Cajetam, Amalphin, ipſamque
Neapolim excipias, quæ Francorum jugo ſubdere colla recuſa-
runt, Græcorum ſimul juſſa vilipendentes. Hi Duces in ditioni-

bus late patentibus Comites creare cœperunt, atque his inferio-
p.383. res Gastaldos, civitatibus aut villis præpositos; donec subinde
386. *dignitate Comites, munere Gastaldi* invalescerent. Ducatum Nea-
politanum & Cajetam tenebant Græci, quam modo sub *themate*,
387. i. e. divisi Imperii Orientalis parte Longobardica, modo sub Si-
cula comprehendere consuevere. Duces istis terris præfecti, a
populo nonnunquam electi, ab Imperatore Græco fuere confir-
mati, inter quos Stephanus haud tacendus, qui Dux & Episcopus
391. Neapoleos filium præmatura morte extinctum ploravit, cujus
monumentum temporum injuria absumtum falso putavit *Gian-
netasius*, cum Salerni id hodienum servari, Pellegrinus & Mazza
411. testentur. Grimoaldus II, ut securos a Francorum depopulatio-
nibus Beneventanos redderet, annuum tributum circa A. 815 Ca-
rolo M. est pollicitus. Sico Beneventanus bello atrocissimo Nea-
414. politanos, Ludovici Pii auxilia frustra sperantes, eo adegit, ut cor-
pore S. Januarii Beneventum translato, *Collatam* seu tributum ipsi
432. solverent. Græcorum Archi-Episcopi jure Metropolitanorum
in reliquos Episcopos haud fruebantur, quo gaudebant Archi-
Episcopi Latinæ Ecclesiæ, sed prærogativa dignitatis præ ceteris
Episcopis saltem fuerunt insignes, quales Archi-Episcopos Nea-
433. politanos isto tempore fuisse deprehendimus. Ritus etiam Græ-
corum, una cum lingua Græca, in cultu divino peragendo recepti,
cujus rei vestigia inter Clericos, uti in *Cimeliarchis* quarundam
civitatum, aut *Protopapa* Regiensi, hodienum occurrunt. Post il-
la tempora Ducatus Beneventanus misere concussus, & intestinis
L.VII.436. turbis in tres partes, Beneventanam, Salernitanam & Capuanam
seq. est discerptus, quarum Domini tanta indignatione inter se gras-
sati, ut Saracenis, in auxilium excitis, viam panderent illas Orbis
delitias igne ferroque vastandi, donec Ludovicus II Imperator,
cujus opem devote imploraverant, superatis fortissime Sarace-
nis, plurimas iisdem urbes extorqueret, & singulos Duces ad pa-
cem invicem colendam autoritate sua perduceret, supremo sibi
449. Dominio in ipsos servato. Falluntur oppido, qui Pontificem Gre-
gorium VII integras civitates excommunicationis fulmine pri-
mum concussisse perhibent, cum jam Seculo IX Joannem VIII &
Sec. XI Clementem II hanc sibi potestatem arrogasse constet.

Impe-

Imperante Carolomanno, Saracenis omnia undique devaſtantibus, Beneventum a Leone VI Imperatore, opportunam occaſio- p. 451.
nem amplexante, in Græcorum ditionem eſt redactum: variis tamen mutationibus mox obnoxium. Poſtea Amalfitani, arte 471.
navigandi commerciisque ditati, creatis ſibi Ducibus, Leges maritimas ſanxerunt, quibus tunc omnia maris diſcrimina & mercatorum lites diſcernebantur. Joannem X Pontificem primum 476.
fuiſſe, qui exercitui præfuerit inter Præſules Romanos, falſo tradit Sigonius, cum eadem gloria potius tribuenda ſit Joanni VIII. Arnulphum primum ex Regibus Germanis Imperatorio diade- L IIX. 485.
mate fuiſſe redimitum, Noſter quidem exiſtimat, cum potius Carolo Craſſo id adſcribendum videatur. Giannetaſius denuo va- 489.
pulat, ubi ſub Ottone M. Capuani Principatus conditore, Duces Neapolitanos recenſet, cum cognominibus, quæ nondum uſu tunc introducta fuerant. Animadvertit præterea, Ottonis 490.
M. ævo uſum Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie in univerſa Italia fuiſſe receptum, cujus etiam Imperator ejusque exercitus a Lodulfo, recentiſſime in Archi-Epiſcopum Beneventanum evecto, facti fuerint participes, qui tandem mos in terris Neapolitanis poſt plura ſecula in deſuetudinem abiit. Sub Ottone II demum, cum 945.
fratres hucusque terras in iſto regno a majoribus poſſeſſas multoties diviſiſſent, & ex illorum poſteris innumeræ fere gentes fuiſſent exortæ, paullatim introductum, ut ad familias ſecernendas cognomina ab urbibus, caſtellis, prædiisve poſſeſſis, illuſtribus majoribus, officiis, indole, colore, veſtitu, aliaque occaſione deſumta, ſibi adſciſcerent: frequentior illa conſuetudo eſſe cœpit Sec. XI & XII apud Normannos, adeo ut Sec. XIII & XIV infimæ ſortis hominibus eadem in uſu eſſe cœperit. Plebs Neapo- 499.
litana ſibi perſuadet, Veſuvio flammas violentas fumumque eructante, divitem quendam mortuum iſto tempore ad inferos deſcenſurum, quandoquidem Landulfo Malateſta A. 981 mortuo, ſanctus quidam Eremita tam tremendum ſpectaculum oculis ſuis vidiſſe credatur. Græci ad ſubditos Apulos in fide continen- 502.
dos, novum ibi Magiſtratum conſtituerunt *Catapanum*, non ex Græca origine ab omnimoda poteſtate conceſſa ita vocatum, ſed quod vox illa cum altera ſequioris ævi, *Capitaneus*, coincidat.

Apud

p.505. Apud Apulos Calabrosque Normanni, Græcis demum expulsis, feuda & simul dignitates Comitum Baronumque introduxe-
506. runt. Græcorum mos in S. Synaxi cum pane fermentato celebranda in illis oris, ringentibus licet sæpe Pontificibus, adhuc
509. retinetur. Errorem communem de Crescentio contra datam fidem ab Ottone III occiso, Nostrum haud evitasse miramur. Im-
511. peratorem vero hunc non chirothecis venenatis, quod veri haud simile, sed toxico in potu propinato interiisse, physice demonstrare conatur Autor, quamvis exemplum Joannæ Navarrenæ
520. Sec. XVI eodem modo sublatæ satis notum sit. Sed levia isthæc pondus rerum hic prolatarum longe superat. Ceterum non prætereundum, Archi-Episcopo Beneventano liberum esse, plumbeum sigillum Bullis suis appendere, quo Romani Pontifices tantum uti solebant. Hactenus de primo Tomo; de tribus reliquis operis adeo insignis Tomis proxima occasione dicemus.

HISTOIRE GENEALOGIQVE DES TATARS d'Abulgasi-Bayadur-Chan.

hoc est,

*HISTORIA GENEALOGICA GENTIS TAtaricæ, ex manuscripto ABULGASIDÆ BAYADURI, Chorasmiæ Chani, cum notis ad Asiæ Septentrionalis statum præsentem illustrandum spectantibus & mappis Geographicis, Interprete D****

Lugduni Batavorum, apud Abrah. Kallewier, 1726, 12 maj.
Alph. 1 pl. 12 Tabb. æn. 2.

EA est temporum nostrorum felicitas singularis, ut omnes fere disciplinæ, præjudiciis abdicatis, purgatæ & perfectiores redditæ alia se jam & minus indecenti forma spectandas sistant. Sed & imprimis ipsæ regnorum vicissitudines, hominumque non solum studium, quo maxime etiam nostris temporibus ad res novas investigandas incenduntur, verum quoque necessitates & pericula ad perficiendam orbis nostri, tam in naturalibus quam

quam historicis ac geographicis notitiam insignia adjumenta attulerint. Itaque etiam Oriens paulatim incipit dilucescere, & quæ fabularum & ignorantiæ densis tenebris hactenus sepultæ erant, historiæ ejusdem jam severiorem & apertiorem faciem nobis ostendunt. Magnum momentum ad hoc habiturus est hic liber, omnium manibus tenendus, qui Geographiæ & Historiæ amore ducuntur. Debemus id maximam partem alicui e Nobilibus Suecis, post cladem ad Pultavam in Asiæ interiora a victore rejectis. Hujus in manus incidit Historia Tataricæ gentis, nulli alii rerum gestarum & imperiorum, quæ per longum satis tempus obtinuit, amplitudine secundæ, quæ ex Tatarica vel Mugalensi lingua in Russicam primo translata, nunc Gallice comparet, una cum observationibus & notis, quæ utplurimum ex relationibus recentissimis & ex ipsa familiari cum hominibus illorum locorum conversatione haustæ, adeoque fide dignissimæ, mira curiositate cunctis se commendant. Ipse quidem Autor scripti Tatarici est *Abulgasi Bayadur*, ex regia familia, utpote paterno ac materno genere a Zingis vel Zingis Chano descendens, atque ipse Rex vel Chan aut princeps urbis Urgens & viciniæ in Chorasmia, varias quidem vices expertus, diuque inter Persas in custodia versatus, quo factum, ut ingenium pro modulo nationis admodum perpoliret, simul historiæ patriæ cognitione excellens. Is duobus ante obitum annis librum hunc exarare cœpit, quem morte præventus filio perficiendum edendumque reliquit. Etenim quæ de pristinis temporibus tradit, desumta sunt ex alio libro, quem *Chodsa Raschidt*, jussu Gasan Chani, ex eadem Zingis Chani familia Persiæ Regis, optima documenta ac monumenta ad opus tam arduum subministrantis, concinnaverat. Qui quidem Chodsa Raschidt Autori nostro idem esse videtur cum *Fadlallah*, sæpius a Petito la Croix in historia Zingis Chani citato, cujus versio ne publico invideatur, Noster optandum censet. Cetera vero dubium non est, quæ proxima temporibus Zingis Chani referuntur gesta, & sequentia, fide omnino digna esse; reliqua ex traditionibus gentilium desumta non æque certa esse, vel ex hac recensione apparebit. Deducitur Genealogia Zingis Chani & reliquorum Tatariæ Principum ab ipso Ada-

mo per singulas generationes, admisso saltem unico hiatu 400 annorum, quibus Mugalorum in Irgana Kon inclusorum res incertiores fuisse creduntur. Ex Nui tamen sive Noachi nepote, & Japhis sive Japheti filio natu maximo Turck prosapia ulterius deducitur. A Turco enim per continuam successionem principatus pervenisse dicitur ad Alanza Chanum, cujus duo fuere filii Tatar & Mungl vel Mogul, capita duarum familiarum. In Tatarorum gente successio Regum continua usque ad Siuntz Chanum; in Mugali familia paulum interrupta; sed regnavit tamen in ea temporibus Siuntzi Ill Chanus. Quo ab illo victo, & gente Mugalorum ad internecionem fere cæsa, qui reliqui erant, per aliquod tempus errabundi deferuntur in regionem montibus undique clausam & inaccessam, quam Irgana Kon vocarunt, in qua se ad 400 annos abscondunt. Tum vero prodeunt iterum, consilio fabri ferrarii, & montibus igne liquatis, viam sibi facientes, mox omnes gentes vicinas in potestatem redigunt. Ex hac adeo quoque gente ex regia familia continuata successione ortus est Zingis Chan, qui, vicinis primo accisis, cum gravissima injuria affectus esset a Persiæ & Chorasmiæ Sultano, bellum in eum movit. Quo per successores etiam & filios feliciter continuato, in potestatem hujus gentis redactæ sunt, præter Persiam & Asiæ anterioris maximam partem, Russia etiam, pars Indiæ ulterioris citeriorisque & China, quin & Hungaria graviter afflicta, & Germani nostri clade non parva in Silesia affecti, adeo ut ditiones vastissimi hujus Imperii a China & Oceano Japonico vel Indico ipsaque Insula Java ad Danaprim vel Vistulam potius extensæ fuerint. Mugalorum vero gens cum tantas res gesserit, cur apud nos Tatarorum potius nomine, quod esse alterius stirpis nomen diximus, appellari sueverit, non satis liquet. Zingis Chani filii memorantur quatuor, Zuzi, Zagatay, Ugaday & Taulay, inter quos divisæ provinciæ: uni tamen eorum Ugadayo principatus tributus in ceteros ex voluntate patris, accedente etiam electione procerum: unde Magni Chani nomen ceu excellentius ceteris ortum. Et successor quidem Magni Chani a proceribus lectus plerumque, qui ex familia natu vel meritis maximus esset. Ex Ugadayi adeo familia brevi

emi-

eminentior hæc dignitas in familiam Taulayi transiit, priori familia oppressa. Nec ipsa historia Taulayanæ familiæ ulterius quam ad Cublayi tempora, quibus maxime floruit hoc imperium, China omni sub jugum coacta, perducitur. Zagatayi posteri in Transoxiana regnarunt, unde & regioni nomen per aliquod tempus, usque ad ætatem Timuri vel Tamerlanis, a quo principatu dejecti sunt, succedente in eorum locum Timuri familia & posteris, qui & ipsi sedes & imperium in Indiam transtulerunt, unde Mugolicæ Indiæ nomen, ita tamen ut apud Persas propter veteres sedes hujus Timuricæ familiæ Mugoles illi Indici Zagatayensium appellationem etiamnum habere memorentur. Unicus quoque Zagatayanæ stirpis ramus adhuc rerum in Caschgar potitur. Taulayi Chani reliqua familia, quæ Magnum etiam, ut dictum, Chanatum obtinuit, in Persia quoque regnavit, pluribus ex ea Regibus Christianis existentibus; tandem dissidiis & rebellionibus ad incitas redacta & a Zuzianis oppressa. Sola superest Zuzii gens, in plures familias divisa, quarum potior in Kipsac Capchac dominatum stabilivit, Russiamque per aliquod tempus tenuit. A Zuzii quoque filio, Togay Timur, Chani Crimenses descendunt, ut & ab alio filio ejusdem Usbek ortus, qui a suis adeo amatus, ut nomine ejus, quod hodienum durat in locis, quibus consederunt, se appellaverint. Prolixius tandem recensetur ramus, ex Zuzio descendens, Scheybani Chani, qui quidem Russiæ & Germaniæ urbes quasdam tenuisse a Bayaduro narratur: quod vero ab eodem familiæ Europæorum principum regumque plurium originem suam repetant, inter commenta illius, ex relatione incerta hausta, referendum esse, nobis quidem liquido constat. Potissimum vero Chorasmiam tenuit hæc Scheybani Chani familia, ex qua & *Abulgasi Bayadur*, Autor noster, descendit. Historia Chorasmiæ hujus, non nisi infinita bella & tumultum alterum ex altero natum, perfidiam consanguineorum, levitatem populorum, latrocinia in vicinos urbiumque direptiones narrans, prolixius recenseri vix meretur. Ceterum Historia hæc finitur morte Abulgasidæ Bayaduri A. æræ Christ. 1665; in notis vero adjectis fuse natura harum regionum explicatur, nullo quidem ordine,

 nisi

nisi quem mentio ipsorum locorum in textu suggerebat; quamvis gratius haud dubie fuisset lectori, res in fusioribus illis notis pertractatas alio & magis naturali aut cohærente ordine legere. Dabimus quædam ex iis ad gustum lectoribus nostris faciendum. Calmakorum nomen non tam nationis proprium, quam per contumeliam iis, qui Muhammedicæ Sectæ inter Mugalos addicti, inditum a paganis Mugalis, qui potius Mugali dici ament. Tria sunt eorum genera, Calmaki Dsongari, Coschoti & Torgauti. Primis imperat Chan Taisch; Coschoti a Dalai Lama vel Presbytero Chano reguntur, tertii Ajukæ parent vel paruerunt. In omnes hos tamen etiamnum aliqua est autoritas & prærogativa Chan Taischæ, a quo per secessionem saltem Ajukæ frater se subduxit. Ipse legitimus potius magnorum Chanorum successor habetur, ceterum a Russis & Chinensibus modernis admodum in angustias redactus. Tatariæ nomen universæ Asiæ Septentrionali a nostris abusive tribuitur; nam regio Tungusorum & ulteriores usque ad Oceanum supraque Amurem fluvium longe aliis gentibus habitantur; eædem quoque nunquam Tataris vel Mugalis paruerunt. Mugalorum porro natio & præsens status fuse a Nostro describitur. Dividuntur in Orientales, qui Chinam subegerunt, pridem jam cultiores, & in domibus fixis degentes, ac Occidentales, qui nunc Chinensibus parent, & tentoriis utuntur. Chanum habent, qui Tuschidtu vocatur. De religione eorum singularia narrantur: idololatras se esse negant; presbyteros suos vel summos sacerdotes, Dalai Lamam & Kutuchta Lamam (nam jam duo sunt; olim solus erat Dalai Lama) tanquam ministros Dei venerantur; unde collationem Noster inter cultum eorum ac Pontificium haud absonam instituit. Turcorum nomen, Tataris & Mugalis commune, ipsi etiam tanquam honorificum ultro affectant. Quousque produxerint ea parte suos fines Russi, cum gestis ad Abasinskam, a Russis in solo miræ fertilitatis structam, sed a Chinensibus vastatam, accuratius exponitur. Limites per confluentes Argun & Gorbiza cum Amuro, & a latere sinistro Amuri ad Oceanum progrediuntur. Cosaccorum tria memorantur genera, Zaporowienses, Donitici & Jaiki, quorum res accurate exponuntur.

nuntur. Nomen ipsum non fugitivos notat, sed ex nomine Kipchaci incolarum corruptum. Porro de Abassis & Curdistana partim ex experientia partim e probatis autoribus docemur. Kirgisos ex loco ubi habitaverant, propter transitus frequentiores ad Russos, a Taischa Chano ad alias regiones abductos, narratur. De extremis quoque Asiæ peninsulaque ultima supra Japoniam, quæ Kamschatka dicitur, nullibi alias obvia & plane curiosa referuntur. Nec spernenda est conjectura de origine & fundamento opinionis quorundam, quod regio Gog & Magog in Tartaria ipsa etiam nunc occurrat: credibile est enim Autori, Budendsir Mogak, regem præpotentem ex majoribus Zingis Chani, propter nominis affinitatem locum fabulæ dedisse. Maris Caspii natura describitur admodum impetuosa: num vero Euripi in eodem, speciatim in sinu ejusdem Cara Buga existant, per quos exitus sit aquarum in subterraneos ductus, Autor in medio relinquit. De mutationibus, quæ fluvio Oxo, ab incolis Amu vocato, acciderunt, memorabile est, quod ramus alter dexterior, qui Urgens urbem alluebat, alveo relicto, in fluvium Khesell exonerari cœperit, cum eo postea in mare Caspium delatus. Sed ipse fluvius Khesell ab accolis Chorasmiis Tataris jam in Lacum Arall deductus est, ita ut præter ostia alveus prior jam siccatus existat, quod factum metu Russorum, quos aditu in regionem suam excludere incolæ Chorasmiæ voluerunt. Hinc fata Bekowitzii, a Russis ad quærenda ostia missi, a Tataris vero in insidias illecti & e medio sublati, recensentur. Sic & Sinum Persicum olim non tantæ extensionis fuisse notatur, prout tempore Marci Pauli Veneti, qui refert, Balsoram medio itinere inter Bagdadum & mare sitam fuisse, quæ hodie saltem 15 leucis a mari distat. Quod de Derbenta ab Alexandro M. structa vulgo perhibetur, Noster eo minus verum existimat, quo certius constet, Alexandrum ne quidem Atropatenem pertigisse, nedum Derbentam. Ceterum quæ de fluvio Daria, in Orientali latere maris Caspii quærendo, nomineque hoc non aurifero uni fluvio, sed pluribus communi, afferuntur, in medio relinquimus: interim non negandum, in altero seu Occidentali maris Caspii latere, quo & nupera Russorum expeditio, quæ ad fluvium

Daria in poteſtatem redigendum ſuſcepta dicebatur, facta fuit, exſtare lacum Daria vel Darii, in ipſa Relandi mappa de Perſiæ regno edita & plerisque probata expreſſum.

THE LIFE OF DR. JOHN COLET &c.

i. e.

VITA JOANNIS COLETI, THEOL. DOCTORIS & Decani D. Pauli, Fundatoris Scholæ Londinenſis Paulli nomine inſignitæ; cum appendice, relationem de Magiſtris & diſcipulis celebrioribus, quos Schola illa fovit, & varia autographa, ad viri hujus hiſtoriam facientia, complexa; Autore SAM. KNIGHT, Th. D. & Præbendario Elienſi.

Londini, apud J. Downing, 1724, 8.
Alph. 1 pl. 11 Tabb. æn. 8.

PRæſtantium in litteris Virorum vitam ſcriptis ſingularibus poſterorum memoriæ commendandi conſuetudo quanto frequentior noſtris quidem temporibus obſervari ſolet, ita ut exceſſu interdum pene peccetur; tanto magis neglecta, inſigni civitatis litteratæ incommodo, eorum qui duobus abhinc ſeculis nos antegreſſi ſunt, majoribus noſtris fuit, ut nihil fere præter jejunas admodum valdeque ſteriles de eruditis relationes litteris conſignatas deprehendas, & de pauciſſimis quidem, quos ſcilicet Jupiter æquus amavit, plurimis alta nocte ſepultis. Quo magis laudandus Autor noſter, cujus vitam Eraſmi nuper recenſuimus in Actis A. 1727 M. Jan. p. 34. Is, poſtquam juvenis olim in Schola Londinenſi, quæ D. Pauli titulo a Fundatore Jo. Coleto nuncupata eſt, liberaliter educatus fuiſſet, a pietate ſua in beneficii hujus autorem, ante duo ſecula illuſtrem, non alienum putavit, ipſius, qui, inter Reformationis in Anglia præcurſores non minimus fuit, ſingularique pietatis, doctrinæ morumque integritatis laude excelluit, hiſtoriam fuſius, quantum licuit, deſcriptam publicæ luci exponere. In ea conſcribenda præterquam quod Eraſmi, qui, cum in Anglia degeret, Coleto patrono uſus

Præf.

eſt

est admodum munifico, Epistolis, ea maxime, quam ad Justum Jonam dedit de hujus viri rebus satis prolixam, & monumentis aliis fide dignis usus est, multum quoque Episcopo Petropolitano *R. White*, a quo αὐτόγραφα Coleti varia communicata habuit, se debere gratus profitetur.

Natus est Joannes Coletus Londini A. 1466, patre Henrico, summa civitatis Præfectura (*Majoratum* dicunt) insigni; & matre Christina, femina nobili. Ex undecim filiis totidemque filiabus solus superstes, hæreditatem paternam universam obtinuit, inter liberos Henrici natu maximus. Ab ipsa natura animo pio atque docili instructus, ubi ex ephebis excesserat, A. 1483 Oxonium missus est, ibidemque summa se contentione ad humanioris disciplinæ studia contulit, Mathematumque cognitionem: Philosophiæ etiam placitis, uti quidem tum tradebantur a scholasticis, gnaviter imbibendis operam dedit, Ciceronis potissi- p. 12.
mum, Platonis atque Plotini lectione impense delectatus, tanto quidem successu, ut Magistri artium titulo non multo post publice cohonestaretur. Attigerat jam eam ætatem, qua de certo aliquo vitæ genere eligendo cogitandum erat. Et plurima quidem aderant natalium opumve commoda, quibus corporis libe- 19.
ralis elegantia accedebat, quæ facilem ipsi ad aulicæ vitæ splendores viam parabant; parentis etiam officia, queis patriam sibi devinxerat, expeditum filio ad amplissimos in re publica honores aditum spondebant. At potiora his omnibus litterarum, sacrarum præcipue, studia habebat; quibus ut magis commode strenueque vacare posset, ultro sacrum ordinem amplectendum statuit, annoque 1485, ætatis 19, ecclesiæ parochialis D. Mariæ de Denyngton, Diœceseos Norvicensis in Comitatu Suffolciensi, præfectus constitutus, plurimis post hæc aliis admodum opimis beneficiis sacris mactatus est. A. 1493 Lutetiam adiit, communem 23.
tunc studiorum matrem, ut comparatam hactenus sanctioris doctrinæ notitiam amplissimis accessionibus augeret. Totus heic Patrum lectioni incumbens, Juris etiam sive Civilis sive Canonici Autores sedulo evolvit, immo nec Scotum Thomamque reliquit intactos, ne nimium scilicet a seculi sui gustu atque genio abhorrere videretur. Amicos quoque ibi inter eruditos præter

alios

alios, Rob. Gaguinum, celebrem Galliæ hiſtoricum, Guil. Budæum & Franciſcum Deloinium ſibi conciliavit, quemadmodum in Italia, quam poſtea adiit & quam complures tunc Angli addiſcendi ſermonis Græci gratia frequentabant, Th. Linacri, Guil. Grocini & Guil. Lilii familiaritate plurimum profecit. Poſt quatuor fere annorum decurſum in Angliam redux, plurimis propenſionum naturalium tentationibus divexatus, quæ ſecularis vitæ mundique delitias monaſticæ vitæ auſteritate amabiliores tantum non perſuaderent, feliciter tandem illas precibus, jejuniis, vigiliis continuisque ſacrarum litterarum ſtudiis compeſcuit ac debellavit. Linquendum etiam plane, quo facilius ab omni laicorum feminarumque commercio & blandis aulæ illecebris abſtineret, Londinum, Oxoniumque repetendum duxit. Quo delatus omnes Pauli Apoſtoli epiſtolas publice & gratis in frequentiſſimo doctorum hominum conſeſſu explicavit, tanta quidem ſolidæ eruditionis atque pietatis laude, ut vel ipſos do-
p. 29. ctores veteranos ab illo juvene, nec dum Doctoris honores conſecuto, diſcere non puderet. Circa idem fere tempus Eraſmi, qui forte tum Oxonii degebat, amicitiam ambivit Coletus, obtinuitque, & cum inſigni animi voluptate deprehendit, eximie prorſus augere Eraſmi præſentiam famam illam, quam Pariſiis commoratus, communi eruditorum voce de ipſo ferri audiverat. Quos itaque virtutis amor doctrinæque ſtudium primum conjunxit, mutua officia, conſilia, caſtigationes etiam interdum amicabiles & fraternæ adamantinis quaſi vinculis arctius indies conſtrinxerunt, & quum exceſſiſſet Anglia Eraſmus, frequens litterarum commercium ſuſtentavit. Varia nobilis hujus conſortii intimique amoris ſpecimina profert Autor, quæ cum in Eraſmi operibus legi poſſint, huc non transſcribemus. Amica imprimis illa de optimi Salvatoris noſtri triſtitia, cum crucis jam inſtaret ſupplicium, diſceptatio, perfectiſſimum modeſtæ inter eruditos diſputationis exemplum, non ſine voluptate legi poteſt. Perrexit interim Coletus gnaviter varios divinarum litte-
51. rarum libros interpretari, nova plane methodo, & quæ a Scholaſticorum more, Scoti magis Aquinatiſque ſententias in cathedra crepantium, quam Scripturas ſcrutantium, penitus abhorreret,

ret. Quo majores autem ſic in ſolidioris Theologiæ (cujus do-
ctorem A. 1504 creari ſe, licet maxime invitus, paſſus eſt,) cogni- p. 52.
tione fecerat progreſſus, tanto magis exoſæ ipſi reddebantur ſte-
riles ſententiariorum nugæ, Scotique ſine mente ſoni, aut Tho-
mæ ingenioſæ argutiunculæ. Non poſſumus quin huc transfe-
ramus lepidam, quam Autor noſter ὡς ἐν παρόδῳ tradit, hiſtori- 57.
olam ſupinæ linguæ Græcæ iſto ſeculo ignorantiæ teſtem. Ver-
ſabatur tunc philoſophantium manibus Græcus quidam in Ari-
ſtotelem Commentarius; in quo vel errore, vel, ſi mavis, imperi-
tia Commentatoris, pro ψυχή ἐςιν ἄϋλος, anima eſt immateria-
lis, poſitum legebatur ψυχή ἐςιν αὐλός, anima eſt tibia. Tor-
quebat hæc lectio initio interpretem, virum acutiſſimum, donec
feliciſſime textum hunc expediri poſſe ipſi ſuccurreret, ſi, nihil
plane vitii in verbis ſuſpicatus, quindecim argumentis, animam
eſſe tibiam, probare ſuſciperet. Sed ad Coletum redeamus.
Conſciverat ille ſibi plusquam Vatinianum Cleri odium; quo 61.
non indignus ſcilicet videbatur barbaræ theologiæ philoſo-
phiæque oſor, domuum, quas religioſas vocant, contemtor,
maſculæ contra, quæ unius Dei eloquiis niteretur, doctrinæ
ſectator & liberalioris diſciplinæ æſtimator. At nec de-
erat, qui juſtum viri virtuti, zelo atque pietati pretium ſta-
tueret, Angliæ Rex Henricus VII, qui haud exſpectantem
vel deſiderantem A. 1505 Londinum vocabat, & optima De- 63.
cani Eccleſiæ Paulinæ ſparta ornatum, a concionibus ſibi, plau-
dentibus bonis, eſſe jubebat. Strenue heic partibus demanda-
tis fungebatur Coletus, non modo ſingulis diebus feſtis, in-
ſueto hactenus exemplo, ſacros ſermones inſtituens, ſed &
omni præterea niſu eo contendens, ut collapſam plane Collegii
ſui diſciplinam reſtitueret. Adſcivit ſibi hunc in finem varios 67.
eruditionis fama præſtantes viros, Guil. Grocinum, Jo. Majorem
Scotum, Joan. Sowle, Carmelitam, pluresque alios, qui ſacræ
Scripturæ perſpicue interpretandæ & plebi inſtruendæ operam
darent. Mittimus jam alia, quæ in Eccleſiæ Collegiique ſui emo-
lumentum conſtituit, quæ, licet omnino præclara fuerint, non
tamen prohibere potuere, quo minus malevolorum quorundam
calumniis peteretur. Princeps inter hos Epiſcopus Londinenſis,

 Fitz-

Fitz-James, hæreseos Coletum publice accusabat apud Guil.
p. 32. Warhamum, Archi-Episcopum Cantuariensem. Liberius aliquanto apud amicos suam de ignorantia vitiisque Clericorum, de monasteriorum abusu, de prohibiti sacerdotibus matrimonii incommodis, de ordinibus religiosis, de imaginum cultu, pluribusque aliis id genus argumentis sententiam dixerat Coletus; in sacris etiam sermonibus protulerat nonnulla subinde cucullatis
89. fratribus minus accepta, frigidum præsertim de charta sermones sacros recitandi morem notaverat. Sed irritos fecit Warhami, cui probe pridem perspectæ erant Coleti dotes, integritas malignos delatorum conatus & consilia. Et quamvis ultra processisset adversariorum furor, accusatusque esset apud ipsum Regem ceu rogo dignissimus, feliciter tamen eluctatus est tan-
97. dem. Ita sibi redditus, de collocandis in publicam rem, quibus satis instructus erat, divitiis (quum præsertim nemo inter consanguineos superesset, ad quem hæreditatis jure bona ipsius devol-
100. verentur) serio cogitavit. Et placuit ipsi præsertim in patria fundandi Scholam aliquam publicam consilium, certe non absque evidenti instantis proxime literarum politiorum doctrinæque purioris instaurationis præsagio. Anno igitur 1508, Henrico VII emortuali, & proprio juvandi bonas literas studio & alio-
101. rum exemplis excitatus (siquidem refert Autor, quindecim scholas illo circiter tempore fundatas fuisse) magnificis plane sumtibus Scholam ædificari jussit, & puero JEsu dicatam, duobus præceptoribus, Guil. Lilio & Joanne Ryghtwysio instruxit. His, & qui post illos futuri essent ludi magistri, largum constituit stipendium, ut gratis rudiorem pubem literas docerent. Multus est Autor noster in excitandis scriptorum hac de re testimoniis; figura simul ænea eleganter incisa hodiernam scholæ istius, uti post flebile incendium restituta est, faciem exhibet; nonnullos etiam circa fundationis annum definiendum discrepantes allegat. Plura ad ludi hujus scholastici originem, leges & constitutionem penitus noscendam pertinentia huc non transscribimus, cum, vel tacente Autore, ex Erasmi, quam diximus, Epistola colligi illa possint. Illud unum memoramus, tantam
124. scholæ a se recens institutæ curam habuisse Coletum, ut in ipsi-

us usum ipsemet Grammaticæ rudimenta conscribere pigratus non sit. Ceterum præter Lilium, Thomamque Linacrum, qui plures libros, instigante Coleto, instruendæ juventuti & in literis & moribus proficuos composuerunt, Erasmi præsertim in Paulinam scholam singularia exstant merita. Varii enim ille p. 139.
generis carmina fecit de puero JEsu, cui ludum dicarat Coletus, quæ parietibus appingi is postea jussit; institutionem Christiani hominis, ad puerorum captum a Coleto Anglice scriptam, summamque religionis complexam, elegiacis versibus expressit stilo plano ac simplici; Orationem de puero JEsu pueris imitandam composuit; varias precationum puerilium formulas concinnavit; laudatissimos denique de copia verborum Commentarios 155.
inscripsit. Interim Coletus Henrici VIII quoque, ad imperii fasces admoti, singularem plane gratiam meruit; qua ut illum privarent, nihil plane intermiserunt invidi monachi gravissimorum criminum ad Regem delatione, quæ tantum abest ut ei fue- 205.
rit exitio, ut tanto faventior post hæc esset Coleto Princeps prudentissimus. Tandem vir optimus morbo Britannis admo- 225.
dum familiari, sudorem Anglicum vocant, emaciatus, A. 1519 d. 16 Sept. placida morte decessit, ingenti omnibus, qui pretium ipsius virtutibus statuere noverant, sui desiderio relicto. Humatus est in templi Paulini choro, nec quicquam aliud, ut ipse jusserat, epitaphii loco tumulo inscriptum præterquam nomen: *Jo. Coletus.* Coronidis loco variorum honorifica admo- 249.
dum elogia Autor congessit; qui cum ipsi exstiterint viri laudatissimi, quantum veræ laudis in Coleto fuerit, affatim loquuntur.

Appendix varia complectitur monumenta, illustrandæ historiæ Coleti inservientia, v. g. I ipsius Sermonem convocatorium Latinum ad Clerum Anglicanum A. 1511 habitum & eodem anno Londini ap. Rich. Pynson impressum; II eundem ex antiqua versione Anglicana; III quinque Coleti epistolas partim ineditas, & unam Erasmi ad Coletum; IV Collectionem miscellaneorum ad vitam Coleti spectantium, Historiam præsertim Scholæ Paulinæ, ubi legitur n. 3 Testamentum ipsius A. 1511 super dotatione Scholæ Paulinæ, n. 4 succulenta Erasmi de puero

JEſu Oratio, de qua ſupra dictum eſt, n. 5 ſtatuta Scholæ Paulinæ, n. 6 ſuccincta narratio de ludi hujus magiſtris, Guil. Lilio, Grammatico eximio, A. 1522 peſte defuncto, Jo. Rightwyſe, Rich. Jones, Thoma Freemann, Jo. Cook, Guil. Mabin, Jo. Hariſon, Rich. Mulcaſter, Alex. Gill, patre & filio, Jo. Langley, Sam. Cromleholme, Thom. Gale, Jo. Poſtetwayhe, Phil. Aſcough, & Benjam. Morland, n. 7 de his, qui tirociniis in hac ſchola poſitis, magnum poſtea inter eruditos nomen conſecuti ſunt, n. 8 inſcriptiones queis inſignita eſt ædes ſcholaſtica, n. 11 Coleti Inſtitutio hominis Chriſtiani, Anglice ſcripta & ab Eraſmo Latinis verſibus expreſſa, n. 18 relatio de vita Juſti Jonæ, ad quem Eraſmus de Coleto ſcripſit, n. 19 Teſtamentum Henr. Coleti patris, n. 20 Teſtamentum Joannis Coleti, num. denique 21 Catalogus librorum, qui in Bibliotheca Scholæ Paulinæ hodie aſſervantur.

L'ARTE MEDICO-CHIRURGICA, ESAMINATA da ſuoi principi.

i. e.

ARS MEDICO-CHIRURGICA RATIONE ſuorum principiorum examinata a SEBASTIANO MELLI, Profeſſore Chirurgiæ.

Venetiis, apud Johannem Baptiſtam Recurti, 1721, 8. Alphab. 1.

CUm duas eſſe cauſas cognoverit Clariſſ. Melli, ob quas Medicina in magno olim pretio habita hodie ubique fere contemnatur, quod ſcilicet vulgus quemvis pro Medico habeat, qui titulum hunc nullo meretur jure, præconceptisque opinionibus de Medicina ſit præoccupatum, & quod imperiti ſe immiſceant arti, quam non callent; conſtituit ſecum, ſingulis quatuor menſibus volumen in publicum emittere, in quo errores vulgi corrigere, atque docere conabitur, quomodo artifex officio ſuo facere ſatis debeat. Comparent hic ſex Volumina, in quorum *I* de Arte Medica in genere agit, quam Artem ſcientificam, circa cognitionem omnium rerum, corpori humano curando neceſſa-

cessariarum, versantem vocat, a Deo originem duxisse, & ab eo ipso, a S. Angelis, ab hominibus sanctis, Regibus & Principibus, & a personis nobilibus, autoritate & virtutibus claris, excultam esse dicit; in Partem porro eam theoreticam & Practicam divisam, triplici fonti, diætetico, pharmacevtico & chirurgico inniti adstruit. In *II* in Chirurgiæ originem inquirit, eamque Medicinæ partem, nullo modo ab ea separandam, pronuntiat, siquidem illa nec diætetico nec pharmacevtico fonte carere queat; ac Artem antiquissimam & præstantissimam, non mechanicam sed liberalem, & quidem vel theoreticam vel practicam esse probat. In *III* subjectum considerat Artis Medicæ, corpus scilicet humanum, & generationem ejus explicat, quæ non per animalcula spermatica, sed ovula fieri statuit, modosque recenset, quibus hæc imprægnari hactenus fuit creditum. In *IV* & *V* de Vita & Morte hominis loquitur. Quemadmodum autem homini duas tribuit animas, materialem, caducam & mortalem alteram, alteram immaterialem & rationalem, ita de illa deprædicat, quod pro organorum dispositione vel diversitate modo vegetationi, modo sensationi præsit, & mediatrix quasi existat inter animam rationalem & corpus, de hac vero, quod per infusionem corpori accedat. Vitam igitur in continuo fluxu & refluxu humorum & aeris per debita loca & organa, & in præsentia animæ rationalis consistere ait. Sicut autem anima materialis variis vicissitudinibus alterationum, morbis & interitui obnoxia est, ita de rationali perhibet, quod de ejus natura sit, hospitium suum relinquere, & ad tribunal universale migrare. Mortem nuncupat impotentiam machinæ animalis motum humorum & aeris continuandi, quam sequatur separatio animæ rationalis a corpore, anima materiali intereunte. In *ultima* repetit ea, quæ hactenus edisseruerat, monetque insimul, post mortem & discessum animæ corpus quidem cadaver esse, sed haud inutile. Subjectum enim tum existere Anatomiæ, ac ex ejus consideratione omnipotentiam divinam admirari, fragilitatem humanam cognoscere, & quomodo viventibus, variis vexatis miseriis, succurrere debeamus, addiscere nos posse, eaque argumenta proxime insequentium Voluminum

 fore.

fore. Quæ omnia autoritate S. Literarum, Patrum, Philosophorum, Medicorum & Poetarum roborat & illustrat. Singulis etiam Voluminibus aliquot literas, casus, historias & observationes addidit, sic pag. 115 varias habet observationes de anevrismatibus, p. 175 anevrisma polyposum in aorta, p. 189 gravem contusionem pollicis manus sinistræ, p. 251 observationem Anatomicam de ægro enormes abdominis cruciatus passo, in cujus cadavere intestinum ileon tumoribus & abscessibus obsitum fuit repertum, p. 257 mortem repentinam hominis dysuria cum abdominis doloribus laborantis, cujus vesica urinaria crispata, uretheres rupti, & lotium in abdominis cavitate collectum erat, p. 262 semen siliquæ Ceratoniæ in concham internam auris intrusum & post sextum demum annum extractum, p. 278 ulcus fungoso-putridum in brachio sinistro cum carie ossis, p. 305 historiam chirurgicam de percussione capitis cum cranii læsione exhibet, & uberius differit, quibus in casibus trepanatio locum inveniat, & pag. 345 historiam naturalem Hystricis pandit, usumque ejus lapidis, *piedra del porco* dicti, exponit.

JOANNIS BAPTISTÆ PAITONI, PHILOS. & Medici Veneti, Bononiensis Instituti scientiarum Academiæ Socii, Vindiciæ contra Epistolas PETRI BLANCHI, M.D.

Faventiæ, ex prelo Josephi Antonii Archii, 1724, 4.
Plag. 15.

QUinque præterlapsi sunt anni, cum Clariss. Paitonus Discursum de Generatione Hominis Italico idiomate conscripsit, in quo duas illas in Medicorum scholis hactenus agitatas opiniones, num scilicet ex vermiculis spermaticis, an ex ovulis, in ovariis latentibus oriantur homines, sub examen vocavit, priorem sententiam rejiciendo, posteriorem vero argumentis haud proletariis defendendo. Non displicuit conatus hic Paitoni juvenilis viris ætate ac sapientia gravibus, nec tamen defuerunt, qui atro colore eundem notarunt. Quos inter surrexit Petrus Blanchus, qui ægre ferens, ab Antonii Vallisnerii, in Patavino

vino Archi-Lyceo Primarii Medicinæ Theoreticæ Professoris, placitis aliquando dissensisse Paitonum, binas contra eum divulgavit epistolas, ubique rabie & felle conspersas, & ad Nicolaum Sardagnam, Artistarum in Patavina Universitate Pro-Syndicum, directas. Contra quas Paitonus Vindicias præsentes contexuit, & singulis Blanchi literis, quas apponi curavit, singula reposuit responsa, ita tamen ut omissis scommatibus ea tantum attigerit placido calamo, quæ rem Medicam & Philosophicam concernunt. Quemadmodum autem placita Clariss. Paitoni in Actis A. 1724 Mense Septemb. p. 404, Discursum ejus supra laudatum de Generatione Hominis commendantes, fuse recensuimus, ita a controversiis studio abstinentes, nil amplius addendum duximus, quam quod L. B. uberiorem argumentorum dilucidationem expetentes, ad ipsas Vindicias ablegemus.

JOHANNIS RIZETTI LUDORUM SCIENtia, sive Artis conjectandi elementa ad alias applicata.

QUamvis omnia in mundo certis rationibus & constanti vicissitudinis lege contingere quadam naturali anticipatione perciperent homines, non erat tamen hæc veritas manifesto in lumine constituta, nec rigore geometrico demonstrata. Jacobus Bernoullius, acerrimi ingenii Vir, eam demonstrandam sibi proposuit, ac in fine libri de Arte conjectandi demonstrationem subnectit, *cujus* (ut inquit) *tum novitas, tum summa utilitas cum pari difficultate conjuncta pondus & pretium reliquis illius doctrinæ capitibus superaddit.* At suum inventum non potuit, ut par erat, excolere, nec ad usum traducere: nam adversa diu valetudine afflictus, & tandem ipsa morte præreptus operam imperfectam reliquit. Spes erat, insignes alios ex ejus familia Mathematicos ad ea, quæ ceperat Vir summus, conficienda aggressuros; sed expectationem hucusque fefellit eventus, nec quicquam profuere, quæ in præfatione memorati libri leguntur, excitamenta.

Plura ex Bernoulliano Canone utilissima documenta ad omnes

omnes artes disciplinasque pertinentia fluere, non ignorabam; at hujusmodi speculationes sequi ingeniis excellentioribus relinquebam. In promptu erat simplex eaque perfecta Theoria de ludis fortuitis, quæ licet ex alienis principiis videretur deprompta, eam tamen in publicum emittere cogitabam, nisi Clariss. Daniel Bernoullius, Autoris laudati ex fratre nepos, in hanc materiam cogitationes suas contulisset, suorum laborum fructus ipse quoque aliquando editurus. Cum ille de ludis ageret, non dubitabam, quin totus in eo esset, ut molem extrueret, cujus Patruus fundamenta jecerat; verum eximium juvenem in suis excercitationibus Mathematicis per obliquos incertosque calles vagari observavi. Hinc operam mihi navandam constitui, ut nisi superbum ædificium, securum saltem perfugium construerem, quo me possem ab Adversarii dicteriis tueri, & alios ab injuriis fortunæ vindicare. In hoc igitur præcipue conabor, ut propositiones elementares ad ludum aleæ pertinentes tradam, laudem illi relinquens se implicandi serierum ambagibus, quos tanquam arcanas edit, ac si ab ejus Patruo, & Mathematicis Anglis harum provincia ita occupata non sit, ut parum addendum sibi supersit.

Ne devius a proposito abeam, vestigia Jacobi Bernoullii sequar: *Ut suum dogma intelligendum exhiberet, supponit in urna quadam se inscio reconditos esse plures calculos alios albos, & alios nigros, rationem exempli gratia sesquialteram inter se habentes, ac singulos æque facile extrahendos; deinde eorum proportionem experimentis exploraturus, educit calculum unum post alium (singulis vicibus reponendo illum, quem eduxit, priusquam sequentem eligat, & omnes simul permiscendo) ac observare sibi proponit quoties albus & quoties ater exeat. His positis quærit, utrum hoc toties fieri possit, ut decuplo, centuplo, millecuplo &c. probabilius fiat (hoc est ut moraliter tandem rectum evadat) numeros vicium, quibus albus, & quibus niger elicitur, eandem rationem sesquialteram, qua ipsi calculorum, ceu casuum numeri gaudent, inter se habituros, quam aliam quamlibet rationem ab ista diversam,*

Ne au-

Ne autem hæc secus intelligantur quam oportet, rationem inter numeros casuum, quam experimentis determinare aggreditur, non præcise & in indivisibili acceptam vult (sic enim prorsus eveniret, eoque minus probabile fieret, veram rationem inventam esse, quo plures caperentur observationes,) verum rationem in aliqua latitudine sumptam, id est binis limitibus conclusam, sed qui tam arcti constitui possunt, quam quis voluerit.

Hoc utique magnum inventum est, proportionem enim, quam inter se casus possibiles servant, a posteriori exploratam habemus, ac si nobis a priori cognita foret. Quomodo autem fieri possit, ut, quo plures capiuntur observationes, eo minus probabile sit veram rationem inventam esse, & iterum eo magis probabile sit rationem inveniri binis limitibus conclusam, qui tam arcti constitui possunt, quam quis voluerit, aliis explicandum relinquo. Interim quomodo rem ego concipio, sequentibus expositum præbeo.

Definitio 1. Casus qui contingentes sunt, pari vel impari possunt facilitate contingere; quoniam autem de ludis agendum est, qui casibus instituuntur æquali proclivitate donatis, nomine casuum intelligendi sunt illi, quorum eventus sunt æque proclives.

Definitio 2. Adæquationem voco more Diophanteo eam æqualitatis speciem, in qua duæ quantitates ita se invicem superant, ut differentia ad alterutram ipsarum comparata evadat inassignabilis.

Axioma 1. Effectus constans & immutabilis pendet a causa constante, & immutabili.

Theorema 1. Calculorum omnium ut ante in urna collocatorum duos designo litteris A, B, ac plures modo allato eductiones peragens, dico, rationem, quam habituri sunt inter se calculi educti A, B ad æqualitatem magis ac magis accedere, & tandem intra limites adæquationis consistere.

Hoc omnes in quotidiana praxi constanter observant, & (ut verbis Bernoullianis utar) *neminem latet, quod ut judicium de quopiam eventu feratur, non sufficit unum vel alterum experimentum, sed opus est magna experimentorum copia: Quando & stu-*

 pidissi-

pidissimus quisque (nescio quo naturæ instinctu) per se & nulla prævia institutione compertum habet, quo plures ejusmodi captæ fuerint observationes, eo minus a scopo aberrandi periculum fore. Quanquam hoc autem naturaliter omnibus notum sit, attamen demonstrationem addo, quæ si, deficiente Lemmatum apparatu, tam acris non fuerit quam Bernoullian, se tamen satis simplicitate probabit.

Quotidie perago datum numerum extractionum calculorum A, B, exempli gratia millenarium, & observo, quoties exeat unus, & quoties alter: His positis dico primo, quod quibusdam diebus (ut casus fert) extrahatur calculus A sæpius quam B, & in aliis calculus B sæpius quam A. Nam si quotidie semper unus calculus sæpius quam alter educeretur, casus locum non inveniret, & huic effectui constanti causa æque constans tribuenda foret, major nempe facilitas educendi calculum A, quod repugnat hypothesi.

Cum sæpius igitur extrahendus sit quibusdam diebus unus calculus, & aliis alter, in duas summas quotidie colligo, quoties eductus sit toto tempore extractionum calculus A, & quoties B: quibus positis dico secundo, quod prima summa superabit aliquando secundam, & aliquando a secunda superabitur. Nam si quotidie summa eductionum calculi A superaret summam eductionum calculi B, huic effectui immutabili causa pariter immutabilis responderet, quæ nulla alia esse posset, nisi quia calculus A extrahendus esset facilius quam B, quod hypothesi ut prius repugnat.

Cum itaque summa eductionum calculi A futura sit quibusdam diebus major, & quibusdam minor altera summa eductionum calculi B, aliquando eveniet, ut prima summa superet hodie secundam, & cras a secunda superetur. Eveniet itaque ut differentia inter universas eductiones calculi A, & illas calculi B, consistat ad summum in dato numero millenario (dempta unitate) illarum scilicet eductionum, quæ unica die peraguntur.

Cum hoc semel contigerit, repetito discursu demonstratur futurum fore, ut quotidiano exercitio iterum atque iterum idem contingat. Si igitur continuatis eductionibus differentia, quæ futu-

futura eſt inter illas calculorum A & B rurſus ac rurſus conſiſtere debet ad ſummum in dato numero millenario unitate ſubducta; quibusdam aderunt intervallis dies, quibus, numero eductionum magis ſemper atque magis creſcente, differentia inter extractos calculos A & B (cum omnibus extractionibus comparata) minor erit ſemper atque minor; & in hoc caſu ratio inter eductos calculos A & B magis ſemper atque magis ad æqualitatem accedet. At numerus extractionum augeri poteſt in infinitum; ſi hoc igitur fiat, differentia inter extractos calculos A & B (facta cum omnibus extractionibus comparatione) erit infinite parva; & in hoc caſu eductiones calculorum A & B inter ſe adæquabuntur. Quod erat demonſtandum.

Scholium 1. Qui vim hujus demonſtrationis perceperit, eam recte concludere intelliget, dum agitur de proportione geometrica, inter ſe comparando eductiones, quæ calculorum diverſi generis fiunt; non autem recte, dum agitur de proportione arithmetica, inter ſe comparando exceſſus, quibus eductiones calculorum generis unius ſuperantur ab eductionibus calculorum generis alterius. Porro eductionum numero magis ſemper atque magis creſcente, hujusmodi exceſſus, ſi comparantur inter ſe, poſſunt eſſe aliquando minores, & aliquando majores: At tamen inter quosdam limites ſunt; etenim quotidiano exercitio continuato, adſunt aliqui quibusdam intervallis dies, quibus nequeunt exceſſus illi ſuperare numerum millenarium unitate ſubducta, ideoque comparati cum omnibus calculorum eductionibus magis ſemper atque magis decreſcunt, & tandem penitus evaneſcunt. Itaque fieri poteſt, ut diſcrimen, quo proportio inter eductos calculos differt ab æqualitate, majus ſit exacto toto anno, quam primo menſe; at tamen ſit, ut illa proportio magis ad æqualitatem poſt totum annum, quam poſt primum menſem accedat.

Corol 1. Quod demonſtratum fuit de geminis calculis A, B, idem aptari poteſt omnibus aliis albis & nigris ut ante in urnam immiſſis. Hinc igitur agnoſcere licet, quod eductionibus ſæpius repetitis, ratio quam habituri ſunt inter ſe calculi educti magis ſemper atque magis accedet, & tandem adæquabit rationem illam, qua calculi educendi gaudent.

Corol. 2. Igitur facile intelligitur, quod longa eductionum opera decuplo, centuplo, millecuplo &c. probabilius fit, & tandem moraliter certum evadit, numeros vicium, quibus albus, & quibus niger elicitur, rationem inter se habituros quantumvis proximam illi, qua calculi educendi donantur, ut Jacobus Bernoullius demonstrare sibi proposuit.

Corol. 3. Cum in quotidianis eductionibus calculorum A, B aliquando eveniat, ut summa illarum calculi A hodie superet summam aliarum calculi B, & cras prima summa a secunda superetur, eveniet quoque, ut ipsæ summæ in aliqua eductione æquentur inter se: & cum hoc semel contigerit, si quotidianum exercitium continuatur, eveniet quoque, ut iterum atque iterum idem contingat. At quod demonstratur de geminis calculis A, B, idem aptatur ad reliquos alios albos, & nigros in urna ut ante collocatos; itaque ratio qua calculi educti donantur, non modo accedet, sed quoque rationem æquabit, quam calculi servant educendi; & cum hoc semel acciderit, iterum idem continget, toties, quoties &c.

Ad ludorum Theoriam hasce notitias consulto præmisi, quia mirum in modum inserviunt huic materiæ illustrandæ; ut autem omnia recte procedant, quædam aliæ definitiones superaddendæ sunt.

Definitio 3. Inter casus ad aleam pertinentes quidam sunt, quorum aliquo eveniente alter aleatorum ab altero depositum adipiscitur: alii quorum eventu aleatores nihil amittunt ex proprio, & nil acquirunt ex alieno. Sic in ludo Pharaonis, si charta dignitatis electæ, quæ significativa appellatur, in aliqua foliorum biga locum tenet primum vel secundum, in commodum unius vel alterius aleatoris cedit: si vero ipsa charta est omnium ultima, nil inde sequitur pro aleatorum lucro vel damno. Primi casus, quibus ludus suum sortitur effectum, decisivi vocantur. Si vero aliquis postremorum accidit, possunt aleatores detineri, ut ludum usque ad decisionem prosequantur, & dimitti possunt, ut a ludo instaurando absolvantur. Si aleatores detinentur, hujusmodi casus nihil agunt, ut ludus aliquo modo alteretur; si dimittuntur, hi casus in incerto relinquunt, an suum ludus effectum sor-

fortiturus sit. Quoniam igitur illi, assentiente quoque Bernoullio (Jacobo), dissimulandi sunt; & isti, jubente quoque Bernoullio (Daniele), calculo subjiciendi, illos itaque inanes, istos indifferentes appello.

Definitio 4. Vocetur M numerus ludorum, in quibus casus, qui contingunt, inter se sunt sicut illi, qui contingere possunt. Numerus autem M indeterminatus est, ut infra explicabo.

Definitio 5. Justum appello ludum, in quo postquam evenerint casus in ea proportione, in qua possibiles sunt, uterque aleatorum discedit absque lucro vel damno. Profecto series ludorum M cito vel sero complenda est, & cum hæc semel completa fuerit, iterum est eadem complenda, toties, quoties &c. si quis igitur aleatorum in singulis seriebus ludorum M quicquam amittit ex proprio, dicendum est ludum injustum esse, stante pro altero prærogativa.

Theorema 2. Geminis inter se decertantibus, sit depositum unius A, alterius B, casus decisivi pro primo x, pro secundo y, casus indifferentes q: dico justum fore ludum, si est x, y :: A, B, hoc est si sint ut casus decisivi qui aleatoribus favent, ita istorum deposita.

Serie ludorum M completa, una pars erit illorum, qui ratione casuum indifferentium vacui manebunt, altera pars erit eorum, qui casuum decisivorum opera suum sortientur effectum. Hæc postrema pars exprimetur fractione $\frac{M(x+y)}{x+y+q}$, & ea quoque in alias duas dividetur, quarum una ad unum aleatorem pertinebit, altera ad alterum. Cum hæ geminæ partes inter se sint ut $x:y$, invenietur prima $\frac{Mx}{x+y+q}$ secunda $\frac{My}{x+y+q}$ exactis igitur ludis M lucrum primi aleatoris erit $\frac{MBx}{x+y+q}$ & lucrum secundi $\frac{MAy}{x+y+q}$. At justus est ludus si exactis ludis M nihil aleatores, unus ab altero, acquirunt, ergo esse debet

 MBx-

$$\frac{MBx-MAy}{x+y+q}=0$$; ex qua elicitur x, y :: A, B, quod erat demonſtrandum.

Corol. 1. Interdum caſus deciſivi, qui ſingulis aleatoribus favent, poſſunt eſſe inter ſe diverſi, alii primarii & alii ſecundarii. Hujusmodi ſint caſus x, qui ad primum aleatorem pertinent, hoc eſt horum aliqui primarii, quorum numerus v, & alii ſecundarii, quorum numerus u: hic aleator acquirat, ſi contingit unus ex illis, totum depoſitum alterius B, &, ſi accidit unus ex iſtis, partem ipſius depoſiti expreſſam per a B. At æquitas poſtulat, ut in omnibus ludis M nemo detrimentum capiat, ſi fit igitur debita ſubſtitutio, præmiſſa formula in ſequentem mutatur

$$\frac{MBv+MaBu-MAy}{v+u+y+q}=0$$, & æquatione ad analogiam revocata deducitur v + a u, y :: A, B.

Hujus generis eſt ludus Pharaonis: pro primo aleatore, qui dicitur œconomus, numerantur caſus primarii v, cum ſcilicet charta ſignificativa eſt unica & prima in aliqua foliorum biga, & aliqui ſecundarii u, cum ſcilicet iſta charta duplex eſt in una eademque biga: ſi apparet unica & prima, lucratur œconomus totum depoſium B alterius aleatoris, qui dicitur colluſor: ſi duplex illa eſt, is accipit tantum dimidiam partem ipſius depoſiti B. Colluſori favent quidam caſus tantum primarii y, cum nempe charta ſignificativa locum in biga tenet unicum & ſecundum, quo caſu eveniente is totum acquirit depoſitum œconomi A. Cavendum eſt autem, ne ipſa charta appareat omnium poſtrema, hic enim caſus q pro indifferente haberetur.

Ut igitur ludus hic ad æquitatem reducatur, eſſe debet

$$\frac{MBv+(MBu):2MAy}{v+u+y+q}=0$$; hoc eſt $v+\frac{1}{2}u$, y :: A, B, quæ nos docet analogia, caſus ſecundarios æſtimandos eſſe, ac ſi forent primarii debita proportione imminuti. Cum ludus inſtituatur integro foliorum ſyſtemate, invenitur v=y=130000, u=10725, & q=0. Juſtus igitur ludus erit, ſi fuerit $130000+\frac{10725}{2}$, 130000

(vel

(vel quam proxime 27, 26) :: A, B. Quare patet casus secundarios 10725 habendos esse ac si dimidii eorum primarii forent, & reliqui indifferentes.

Corol. 2. Ita fit, cum data parte depositi, quam aleator lucraturus est in eventu casus secundarii, depositum quærendum sit, quod pro ludi æquitate debetur in eventu primarii. At justus alio modo ludus fieri potest, cum dato nempe deposito, quod aleator adepturus est in eventu casus primarii, quæratur ipsius depositi pars, quæ par est in eventu secundarii.

Rem illustrabit exemplum: In ludo Bassettæ aleatores acquirunt ab invicem depositum A in eventu casus primarii. Hujusmodi casuum numerus pro œconomo est v, cum scilicet charta significativa apparet anterior in qualibet alia foliorum biga præter primam. Casus enim, quibus ea potest esse anterior in prima biga, secundarii sunt, & hi quoque œconomo favorabiles, quorum numerus u. Numerus autem primariorum pro collusore est y, cum nempe ipsa charta est posterior & unica in qualibet alia biga præter ultimam; casus enim q, quo potest esse omnium postrema, pro indifferente usurpatur.

Si quæratur, quæ pars ipsius depositi A in æquo ludo ab œconomo acquirenda sit in eventu unius ex casibus secundariis; posita hac parte b A, formula superius proposita in sequentem transit $\frac{MAv + MbAu - MAy}{v+u+y+q} = 0$, ex qua elicitur $b = \frac{y-v}{u}$. Cum igitur ludus incipiatur integro foliorum systemate invenitur $y = 130000$, $v = 119900$, $u = 20825$, & $q = 0$. Hic igitur ludus ad æquitatem reducitur, si sit pars ejusdem depositi in casibus secundariis ab œconomo acquirendi $(b) = \frac{130000 - 119900}{20825}$ vel quam proxime $\frac{12}{25}$, quæ pars ipsius depositi est minor quam dimidia.

Corol. 3. Æquitas ludi aliquando dependet non modo a quantitate depositi, quod aliatores unus ab altero acquirere possunt, sed a numero experimentorum, quæ pro ludo complendo fieri debent. Sit numerus casuum a, quorum una pars sit b, altera a−b: ita

ita ludus instituatur, ut Petrus depositum Pauli lucretur, si dato numero experimentorum n semper aliquis ex casibus b successive contingit; & Paulus tantundem acquirat, si aliquis accidit ex reliquis casibus a—b.

Ex calculo combinationum elicitur, quod eventus, qui in omnibus experimentis n contingere possunt favorabiles Petro, sunt $\frac{b^n}{a^n}$, & illi qui possunt accidere favorabiles Paulo, sunt $\frac{a^n-b^n}{a^n}$.

Ut igitur ludus justus sit, esse debet $\frac{b^n-a^n+b^n}{a^n}=0$; ex quo elicitur numerus experimentorum $n=\frac{L2}{La-Lb}$. Hujus problematis solutionem primus dedit Hugenius, complectentem quosdam casus particulares; postea Jacobus Bernoullius generaliter ad omnes ampliavit. At quia calculo utitur longo & operoso, non erit abs re hanc solutionem compendiosissimam, tanquam methodi specimen addidisse.

Corol. 4. Cum ex præmissa formula $\frac{MBx-MAy}{x+y+q}=0$ eliciatur analogia x, y :: A, B, quæ ludi æquitati convenit, casus indifferentes q deprehendimus in hac circumstantia evanescere. Quamvis igitur isti decisivis addantur, omnia tamen, quæ supra posita sunt, eundem effectum obtinent, ac si solis decisivis ludi constituerentur. Quod ita sit, patet etiam ex eo, quia casus indifferentes suum quidem locum habent in serie omnium ludorum M. Verum cum lucra aleatorum in hac serie pro ludi æquitate inter se æquari debeant, sequitur casus indifferentes nil aliud agere, quam in eventu se immiscere cum decisivis absque aleatorum lucro vel damno.

Scholium 1. Non ita se res habet cum exactis omnibus ludis M lucra unius aleatoris superantur a lucris alterius. Profecto Theoria ludorum justorum explicata, facile est ad alios ludos transire, in quibus unus aleatorum quicquam habet prærogativæ præ altero. Revocatis formulis lucrorum, quæ in omnibus ludis M ad singulos aleatores pertinent, nempe $\frac{MBx}{x+y+q}$, & $\frac{MAy}{x+y+q}$, si differentia

MBx-

$\frac{MBx-MAy}{x+y+q}$ datæ magnitudinis eſt, facile intelligitur, prærogativam pro uno vel pro altero ſtare, prout habetur ea differentia poſitiva vel negativa. Dum agitur itaque de hujusmodi ludis, caſus indifferentes non evaneſcunt ſicut in ludis æquis, in quibus ea differentia nulla eſt.

Si quantitas $\frac{MBx-MAy}{x+y+q}$ prærogativam exponit, quàm alter præ altero habet in omnibus ludis M, eadem quantitas diviſa per M, hoc eſt quantitas $\frac{Bx-Ay}{x+y+q}$ prærogativam exprimit, qua in ſingulis ludis aliquis aleatorum prævalet. Ut intelligatur quid præſtet hæc formula $\frac{Bx-Ay}{x+y+q}$, ea reſolvenda eſt in ſua elenmenta $\frac{Bx-Ay}{x+y}$, $\frac{x+y}{x+y+q}$: Horum primum ſignificat, quod aleator prærogativa donatus, quotieſcunque vincit, quantitatem $\frac{Bx-Ay}{x+y}$ acquirit plus æquo, & quotieſcunque jacturam facit, eandem quantitatem injuſte retinet. Iterum ſecundum elementum ſignificat, quod probabilitas, ut ille vincat, vel jacturam faciat, ut ludus ſcilicet decidatur, conſiſtit in quantitate $\frac{x+y}{x+y+q}$. His elementis componentibus formulam $\frac{Bx-Ay}{x+y+q}$, facile intelligitur, quod prærogativæ $\frac{Bx-Ay}{x+y}$, qua gaudet aleator in ſingulis caſibus deciſivis, aliquid ob caſus indifferentes derogatur, ita ut in ſingulis ludis illa remaneat $\frac{Bx-Ay}{x+y+q}$.

Corol. 1. Dum agitur de prærogativa unius vel alterius aleatoris, caſus diverſi generis, hoc eſt primarii & ſecundarii, poſſunt

alii pro decisivis,& alii ad instar indifferentium haberi. Ut res illustretur exemplo, sumatur ludus Pharaonis eo modo, quo in usu est. Hoc cum omnibus foliis instituto, numerantur (ut alias diximus) casus primarii 130000, quorum eventu collusor acquirit quantitatem A, totidem alii casus primarii, quibus evenientibus tantundem acquirit œconomus. Si casus hujusmodi soli forent, prærogativa nemo aleatorum donaretur; at quia numerantur alii casus secundarii 10725, quorum eventu œconomus acquirit quantitatem $\frac{1}{2}$ A, hujus itaque prærogativa fit in singulis ludis

$$\frac{130000\,A + (10725\,A):2 - 130000\,A}{270725} \text{ vel } \frac{10725\,A}{2+270725}.$$

Hæc quantitas in gemina resolvitur elementa, hoc est $\frac{A}{2+10725}$ & $\frac{10725}{270725}$, quorum primum ostendit, quod œconomus, quotiescunque contingit unus ex casibus secundariis, lucratur plus æquo quantitatem $\frac{1}{2}$ A, & secundum indicat, quod probabilitas, ut hoc lucrifaciat, ut casus scilicet secundarius contingat, consistit in quantitate $\frac{10725}{270725}$. Itaque haberi possunt casus secundarii tanquam decisivi, quibus œconomus prærogativa donatur, & casus primarii tanquam indifferentes, quibus prærogativa in incerto relinquitur: Nimirum ab his elementis composita quantitate $\frac{10725\,A}{2+270725}$, quæ est proxime æqualis $\frac{1}{50}$ A, hanc esse in singulis ludis œconomi prærogativam agnoscimus.

Corol. 2. Cum casus decisivi diversi generis sunt, alii primarii, & alii secundarii, ad alterutros referri potest prærogativa, qua gaudet aleator. Sumatur pro exemplo ludus Bassettæ. Hoc cum omnibus foliis inchoato, si usu venit unus ex casibus primariis, quorum numerus (ut alias indicavimus) est 130000, collusor adipiscitur quantitatem A: si contingit alter ex casibus primariis, quorum numerus est 119900, tantundem aufert œconomus. Si casus hujusmodi soli forent, prærogativa donaretur collusor. At quia

quia numerantur alii casus secundarii 20825, quibus evenientibus lucratur œconomus quantitatem $\frac{2}{3}$ A, hic itaque gaudet in singulis ludis prærogativa $\frac{119900\ A + (2.\ 20825\ A):3 - 130000\ A}{270725}$, vel quam proxime $\frac{3783\ A}{270725}$. Hæc resolvi potest in duo elementa $\frac{3783\ A}{20825}$, & $\frac{20825}{270725}$, quorum primum nos docet, quod œconomus, quotiescunque contingit unus ex casibus secundariis, lucratur plus æquo quantitatem $\frac{3783\ A}{20825}$, vel quam proxime $\frac{1}{5}$ A; & secundum ostendit, quod probabilitas hujus prærogativæ, vel hujus casus secundarii consistit in quantitate $\frac{20825}{270725}$.

Verum præfata prærogativa $\frac{3783\ A}{270725}$ resolvi potest in duo alia elementa, hoc est $\frac{3783\ A}{119900}$ & $\frac{119900}{270725}$, quorum indicat primum, quod œconomus, quotiescunque unus accidit ex casibus primariis, plus æquo adipiscitur quantitatem $\frac{3783\ A}{119900}$, vel quam proxime $\frac{3}{100}$ A, & secundum designat, quod probabilitas hujus prærogativæ, vel hujus casus primarii consistit in quantitate $\frac{119900}{270725}$. At quomodocunque sit, ex geminis elementis composita in utroque casu quantitate $\frac{3783\ A}{270725}$ (quæ est proxime æqualis $\frac{1}{70}$ A) hanc esse constat in singulis ludis prærogativam œconomi.

Corol. 3. Cum lucretur œconomus in singulis ludis partem $\frac{Bx - Ay}{x + y + q}$ illius nummi, qui pro deposito est, numero ludorum M completo lucrabitur partem $\frac{MBx - MAy}{x + y + q}$; illorum nummo-

 rum,

rum, qui in omnibus ludis M (sive casus propitii sint, sive adversi, sive indifferentes) numerantur.

Hic numerus ludorum M est quidem notæ indeterminatæ, attamen eventus indubitati; itaque nescit œconomus an istum numerum ludorum M cito vel sero completurus sit; certus est tamen eum nisi cito saltem sero complendi; & cum semel illum compleverit; certus est iterum eundem complendi, toties quoquoties &c. Ignorat itaque, an partem $\frac{MBx - MAy}{x+y+q}$ illorum numorum qui numerantur in omnibus ludis M, cito vel sero lucraturus sit; attamen non dubitat eam partem, nisi cito, saltem sero lucrari, & cum semel illam acquisiverit, non dubitat iterum eandem (toties quoties) acquirere.

Corol. 4. Potest œconomus plus lucrari, quam suæ prærogativæ conveniat, si ab exercitio discedit, antequam compleat primum numerum ludorum M; poterit autem in hoc casu jacturam quoque subire. Numero ludorum M semel completo, si discedit antequam alterum compleat, lucrum poterit sperare majus, & jacturam timere minorem; nam a lucro, quod in primo numero ludorum M provenerit, aut alterum lucrum augebitur, aut jactura temperabitur. Tandem post unum vel alterum numerum ludorum M œconomus poterit eo pervenire, ut quamvis discedat antequam alius numerus compleatur, majus semper atque majus lucrum sperandum sit procul a timore jacturæ.

Corol. 5. Ita lucrum respondet œconomo, si quod in uno ludo depositum est, idem quoque deponatur in altero. At si deposita sunt in aliis ludis majora, & in aliis minora, exitus lucri quærendus non est in omnibus ludis conjunctim, sed in illis sigillatim, qui ad deposita ejusdem magnitudinis pertinent. Potest enim œconomus sua frui prærogativa in quibusdam ludis pertinentibus ad deposita unius magnitudinis, & nondum in aliis, unde oriatur in universis jactura. At si ludi ad unamquamque depositi magnitudinem pertinentes ad eum usque numerum, qui convenit, augeantur; lucrum poterit in universis quoque adimpleri.

Corol. 6. Si quis igitur in quibusdam ludis, veluti in illis Pharaonis vel Bassettæ, œconomum videt de collusore triumphare, non credat hoc esse donum fortunæ, quæ magis unum quam alterum

rum diligat, sed fateatur munus esse ludorum, qui magis uni quam alteri favent.

Corol. 7. Hinc igitur dicere licet, quod unicuique homini non insipienti opus est ludos calculo exactiore perpendere, ut judicium ferre possit, antequam diutius illis indulgeat. Nam si justi sunt, nemo quicquam sperare potest; si injusti, certus est unus lucri, & alter damni. Videat igitur in primo casu, an ita tempus terendum sit, & in aliis consideret, an lucrum conveniat honestati, vel damnum utilitati.

Corol. 8. Quidam alii sunt ludi similes illi, qui vulgo dicitur L'Ombre: In his Ars fortunæ admiscetur; non sufficit enim favorabiles chartas sortiri, sed eas quoque industrie ludere oportet. Hujusmodi ludi ut plurimum justi sunt; nam si aliqua prærogativa est, ex uno in alterum transit, ut de ea æqualiter omnes participent. A principiis nostris nec isti quidem abhorrent; nam facile intelligitur, aleatores, qui diu pari industria colludunt, nulla alia afficiendos esse jacturà præterquam temporis, quod diu ludendo consumunt, & illos qui æque industrii non sunt, afficiendos esse lucro vel damno, prout magis vel minus fuerint in ludendi arte periti.

Cetera proxima Sectione sequentur.

ELOGIUM JOANNIS CHRISTOPHORI WICHMANSHAUSEN.

NOvam nuper Academia Wittebergensis jacturam passa est morte Viri Celeb. *Jo. Christoph. Wichmanshausen*, Dynastæ cilentelæ Duttendorffii, linguar. Oriental. Prof. Publ. ordinis Philosophici Senioris & Academiæ Bibliothecarii. Natus est A. CIↃ IↃC LXIII, quinto nonas Octobres, Ilsenburgi, in Comitatu Wernigerodensi, patre, Joan. Christophoro, domino Vogtsfeldæ, primum monasterio, Walckenriedæ, titulo inspectoris, præposito, deinde Comitis Ilsenburgensis, moxque Ducis Brunsvicensis, rationibus & negotiis, quæ ad officinam ærariam pertinent, præfecto, sive, barbara rudis vulgi voce, *factore*, matre item, Elisabetha, ortu Heydia, qui sane optimi parentes antiquitate generis & laude majorum floruerunt. Domesticis primum formatus præceptis, dehinc, robustior factus, publicas frequentare scholas cœpit, ac Schœningæ, quam in Guel-

ferbytano principatu falinarum fontes illuftrant, ad affinem, Jo. Andream Dœplerum,miffus,hujusque abitu,facrorum ibidem antiftitis,Chriftophori Bofenii, contubernio patrocinioque, fibi utiliffimo,commendatus,fingulari inftitutioni vacavit clariffimi tum ludi iftius moderatoris,Joachimi Maderi. Hinc A.cIↃ IↃC LXXX gymnafium Gothanum petiit, ac magiftris præcipuis, Georgio Hesfio, M. Henrico Rumpelio, ac Adamo Tribbechovio, primario divini cœtus adminiftro,Hebraice doctiffimo, operam dedit, ac, duobus annis poft Lipfiæ in Academicorum tabulas relatus,annuo convictu ab initio M Jo.Dornfeldii, facerdotis id temporis ad D. Nicolai,poftea,mirabili divinæ providentiæ munere,cui fecundisfimus refpondit eventus, L.Ottonis Menckenii ædibus perinde ac menfa,plus duobus annis,bene feliciterque ufus, & intra iftud fpatium Philofophiæ Magiftri auctus dignitate, ante tamen, quam id fieret,fummis fe haud indignum honoribus infignibusque, publica difputatione de *divortiis fecundum jus naturæ*, ductu Menckenii fui, probavit,ipfeque deinde præfes, de *Zopyro, Babylonios fallente*,ac porro,de *extinctione ordinis Templariorum*, gradum fibi ac viam ad ordinem Philofophorum muniendi caufa, fpecimina dedit. Præter ceteros,ftudiofe Jo.BenedictoCarpzovio, Theologo,unius anni curriculo, addixerat fefe, eumque fideliffimum magiftrum tam in divinarum intelligentia rerum, quam dicendi facultate, fuerat expertus. Inde egreffus ad tempus arctioribus Academiæ fpatiis.A.cIↃ IↃC LXXXVIII,confpirantibus fecum in idem propofitum M. Cafp. Lindenbergio, & M. Gothof. Springero, ad ampla evectis poftea facerdotia,luftravit Bataviam perinde ac magnam Britanniam,eo præfertim anni articulo,quoGuilielmo,Principi Araufionenfi, regno Rex Jacobus cedere atque ad Gallos fuga falutem petere cogebatur. Reverfus inde, pofteaquam ex Anglia Hamburgum trajecturum turbulentæ quatuordecim dierum tempeftates, jactis in mare ancoris, non fine præfentiffimo vitæ periculo,impediverant,rejectusque in Bataviam, terra continenti, una cum fociis,Lipfiam in hofpitis fui Carpzovii finum rediit complexumque. At nec diu hic fe tenuit,fed,quod dudum deftinarat,Wittebergenfium quoque Mufarum colere delubra, morte tamen fubita Celeb.D.Balthaf.Bebelii,theologi Argentoratenfis,divi D.Abrahami Calovii fucceforis meritiffimi,retardatus fuerat,nunc demum

eo

eo magis executus eſt deſtinata, quo magis fama de illuſtris Samuelis Stryckii, JCti, adventu percrebreſceret, cujus, ſimul ac eo pervenerat, incredibili humanitate captus, brevi in tanti hoſpitis, ſibi victum præbentis, ſingularem intravit benevolentiam, graviſſimaque ejus commendatione ſpem cepit non omnino nullam adipiſcendi muneris extra ordinem publice docentis. Verumtamen in itinere, ſupra confecto, conquieſcere nondum poterat animus erectior, nec extremo vitæ diſcrimine, ab infeſtiſſimo tempeſtatibus mari ſibi intentato, deterreri, quin denuo meditaretur peregrinationem, cogitaretque in Italiam, & digrediendi eo ſocietatem iniret cum unico Stryckii, aliorumque purpuratorum filiis, quibus dux itinerisque moderator contigerat Conrad. Samuel Schurtzfleiſchius, cujus opera ab illis eo cupidius expetebatur, quo longius & latius Belgium, Britannias, Gallias, terra marique, jamjam peragraverat. Horum comitatu A. cIↄ Iↄc xcI, ſexto Kal. Jan. hinc movit Wichmannshauſenius, delatusque Norimbergam, Ratisponam, Auguſtam Vindelicorum, Ingolſtadium, Monachium, & per Comitatum Tiroleuſem, Alpes non magis, ac poſthac Apenninum, tranſcendens, Venetias, atque hinc Ferrariam, Bononiam, Florentiam tranſiens, Romam venit, ac hac in urbe aliquandiu detentus, Venetias, alio provinciarum tractu, quo Ancona, Spoletum, Fanum Mariæ Lauretanæ, occurrunt, remigrat, obiensque univerſam Longobardiam, Patavium, Genuam, Mediolanum, Ticinum, Parmam, Placentiam, Brixiam, aliaque loca verſus dirigit curſum, & Italia, Carinthia, Foro Julii, Stiria, relictis, Vindobonam Auſtriæ concedit, &, poſtquam auguſtam Cæſaris ſedem perinde ac bibliothecam inſpexerat, Danubio Poſonium, Comoronium, Budam, nondum tutam ſatis a nupera peſtilentia, Jaurinum, remis velisque ſecundis devectus, Vindobonam redit, ac denique, non multo poſt, Moraviam percurrens, Sileſiam & Saxoniam, A. cIↄ Iↄcxcii, vertente menſe Novembri, cum Schurtzfleiſchio ſuo redditur Wittebergæ. Hujus literarum herois adhæſiſſe lateri in toto anni prope itineris curſu, magnum ſemper fortunæ munus habuit divus, præſertim compellationem magni Etruriæ Ducis, Colmi III, Schurzfleiſchium, cum comitibus, commendatione Antonii Magliabechii, ſplendide admittentis, haud magis, quam ad Ciceronem ſigillatim, coram Daniarum Rege, Friderico IV, principe tum juventutis, itemque ad Livium, æternis monumentis ſpirantes, allocutionem in humanam vix cadere poſſe eloquentiam ingeni-

umque,

umque, ac huius diuturnam consuetudinem intimam judicavit studiis suis rebusque tam fortunatam, ut, præeunte hoc experto duce, incredibile quantum proficeret, ac, nunquam ab eo discedens, doctrinarum cujusque loci & dignitatis principes salutaret ubique, bibliothecas perscrutaretur, eruditorum secreta exploraret, nationum mores, ritus, habitus, commercia, in usum suum annotaret. Sic factum, ut Nostro, vixdum reverso, provincia tradendæ linguæ Græcæ demandaretur extra ordinem, quæ cum ordinaria Poeseos postero anno commutabatur, excipiente hanc deinceps, A. cIↄ Iↄcxcix munere Orientales linguas publice docendi, Cl. Theodori Dassovii discessu Kilonium vacuefacto. Disputationibus plurimis, duo facile Volumina complentibus, quibus Vet. Testamenti loca difficillima illustravit, Eruditis omnibus doctrinam apprime probavit. *Gymnasio Arabico*, ut vocavit, a se edito, discipulorum industriæ magna attulit adjumenta, ac eos ipsa exercitatione, præceptorumque ad usum accommodatione, erudivit confirmavitque. In tractandis Academiæ caussis perdiligens fuit, religiosus & prudens, ac publico ejus nomine modo delegatus ad Comitia provincialia A. cIↄ Iↄ ccix, modo ad stativa Altranstadensia Regis Suecorum, Caroli XII, haud procul Lipsia, cum aliis præclare agendi facultate præditis, A. cIↄ Iↄ ccvi mense Septembri missus. Rectoratus munus in Academia semel, Decanatus vero quinquies obiit. De Bibliotheca, cujus curam suscepit A. 1712, bene meritus est, ad eamque ornandam non minus, quam amplificandam, plurimum contulit, ac lectissimorum supellectilem librorum, a divo D. Theod. Dassovio, Cimbricorum præsule sacrorum, Academiæ testamento legatam, quæ partim Græcis, quondam a Balthasare Stolbergio hereditate ipsi relictis, partim Hebraicis, magnis suis sumtibus conquisitis, constat, non solum Rensburgo celeriter apportandam curavit probe, sed & sine ullo incommodo advectam suisque loculis distributam, pariter ac cetera receptacula, cancellis & claustris munivit, aditumque bibliothecæ expurgavit, atque eidem multiplicandæ extraneorum benignitatem adjunxit, eorumq; liberalitatem provocavit. Ad Theologiam quidem natus, non factus, erat, erat qu ppe religiosus, pius, Dei sincere reverens, ac frequens oraculorum, pro concione explanatorum, auditor, nec sui, sed simplicitatis veritatisq; amans, affabilis & jucundus, nemini molestus, ac cujusvis studiosus, & summis infimisq; carus, muneris sui observans, ac cunctas vitæ innocentis, rectæq; doctrinæ, partes explens. A. cIↄ Iↄ cxIIx ad matrimonium adjiciens animum, Annam Sophiam, Celeb. Ottonis Menckenii, olim hospitis, filiam unicam, propitio fato duxit, e qua, præter alios liberos præmortuos, filium unicum, Jo. Burchardum, & filias tres reliquit, quarum natu major Jo. Guil. Jano, celeb. Viteb. Theol. nupsit, A. 1725 gravi Acad. & familiæ luctu, ut alibi diximus, exstincto. Ceterum, etsi esset noster valetudine satis firma, post mortem tamen uxoris suavissimæ, quæ A. 1714 decessit, asthmate laborare cœpit; cui cum tandem accessisset febris lenta & catarrhalis, demum viribus plane exhaustus, & perpetuo divina cogitans, animam Creatori reddidit A. 1727 d. 16 Cal. Febr.

):(o):(

ACTORUM ERUDITORUM,

Quæ Lipsiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. IX Sect. VI.

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES AB Anno Æræ Christ. D ad MD. LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS, Seren. Ducis Mutinæ Bibliothecæ Præfectus, collegit, ordinavit & Præfationibus auxit.

Tomus VII.

Mediolani, ex typogr. Societatis Palatinæ, 1725, fol. Alphab. 7.

STrenue persequitur institutum Cl. *Muratorius*, ita ut spes sit, opus hoc splendidum viginti demum Volumina complexurum; maxime cum in præstituta annorum periodo non acquiescat, & quædam etiam Chronica addat, quæ ante A. 500 ordiuntur. Exstat in hoc Tomo, qui Serenissimo Principi *Raynaldo Estensi* inscriptus est, *I Chronicon Romualdi II Archi-Ep. Salernitani* ab O. C. ad A. 1178, tum rerum copia ac selectu, tum styli quoque, quod mireris isto seculo, elegantia commendandum, cujus etsi lacinias uberrimas Baronius dederit in Annal. qui ut fabulam de Alexandro III collo Imp. Friderici Barbarossæ insultante confutaret, ad hunc imprimis scriptorem, ceu testem αὐτόπτην provocat; alias Felix Contelorius in libro de Concordia Alexandri III cum Friderico Imp. contra Fortunatum Ulmum, Monachum Casinensem Venetum; aliasque

 rursus

rursus Carusius in Bibliotheca Sicula adjecit; nemo tamen adhuc præter Nostrum exstitit, qui opus integrum, cujus Codices etiam in Vaticana, Salernitana, & Regia Parisiensi exstant, quam accuratissime ex Ambrosiana evulgavit, opera simul usus Cl. *Jos. Ant. Saxii*, Bibliothecæ hujus Præfecti. Et merebatur sane post tot secula publicam lucem Autor gravissimus, illustri genere natus, quippe qui Wilhelmi II Siciliæ Regis, cujus legatus Venetias se conferens paci inter Alexandrum & Fridericum constitutæ summo cum honore interfuit, avunculus, ut testatur Petrus Blesensis in Epist. X; ad Salernitanum Archi-Episcopatum evectus A. 1153 vel 1154 Ecclesiam sapienter rexit; nec sacris tantum literis, verum & Medicinæ & aliis artibus deditus, decessit tandem A. 1181. Sequitur *II* ejusdem ætatis scriptoris, *Hugonis Falcandi*, *Historia Sicula*, qua res sui temporis ab anno circiter 1154 ad 1169 descripsit; quam etsi compilaverit Fazellus & integram jam ediderint alii, hoc tamen Thesauro non indignam statuit Cl. Muratorius, quod Autor sagacissimus judicio non vulgari, simulque magna scripsit libertate, ita ut ne Siculis quidem suis aliquid indulserit, usus præterea stylo eleganti, gravi & concinno. Dedit inde Noster *III e Godefridi Viterbiensis Pantheo*, *seu Chronico*, *Partem XVI*, quæ ad res imprimis Italiæ spectat, omissis reliquis, quæ apud Pistorium aliosque legi possunt, simulque observat, Baronium ad A. 1186, ubi nominat *Gotifridum Viterbiensem (ut vulgo fertur) sive Vitembergensem*, frustra de patria dubitare, cum Codices omnes, impressi & MSSpti, constanter eum Viterbio vindicent, nec obstet, eum a puero in Germania versatum, Bambergæ literarum rudimenta didicisse, & trium Impp. German. Secretarium fuisse, siquidem eo tempore, quo tantum Italis commercii cum Germanis intercessit, Itali mature in Germaniam missi fuerint, ut linguæ adsuefierent, quos deinde Principes Germaniæ lubenter in aulam adsciverint. Existimat etiam, ambitiosum *Panthei* titulum neutiquam ab Autore ipso operi præpositum, cum vetustæ membranæ *Memoriæ seculorum* inscriptionem ferant, qua occasione Vossium notat, qui de Hist. Lat. L. II C. 24, a quibusdam hunc librum sub tit. *Memoriæ Sanctorum* citari, falso persuasus fuit. Majoris momenti est *IV Si-*

cardi

cardi Episcopi Cremonensis, A. 1215 mortui, *Chronicon*, a N. C. ad A. 1213, quod e Codice Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis & altero Bibl. Estensis nunc primum prodit. In hoc Chronico, ad quod alii Historici jam pridem provocarunt, eruendo singularis fuit Nostri felicitas; nam cum diu frustra illi insidiatus esset, accidit, ut oportune inciderit in Codicem Bibliothecæ Estensis, cujus ipse curam habet, nullo Autore præposito conscriptum, quem cum antea ob fabulas (a Regiensi quodam Autore inspersas, qui & Regiensia quædam addens, hoc Chronicon pro suo venditasse videtur) contempsisset, diligentius relegens, non vana in eo vestigia Sicardianæ operæ reperit, eoque Ill. *Gentilotto* Codicem transmisit, cum Vindobonensi conferendum, qui cum eum utique cum hoc convenire animadverteret, (nisi quod Vindobonensis aliqua, in Estensi desiderata, hic vero multo plura, quæ in illo frustra quæsiveris, ex alio Sicardi opere huc trans'ata, ut Noster certis argumentis evincit, contineat, maxime de rebus ejus tempore in Oriente a cruce signatis, quibus ipse accessit, gestis) adduci se demum passus est, ut Vindobonensem Codicem, annuente Augustissimo Imperatore, *CAROLO VI*, cum Nostro communicaret. Unde is in rebus quidem a C. N. ad Caroli M. tempora Estensem Codicem, resectis tamen putidis fabulis, ab alio, ut diximus, Autore infartis, in reliquis vero Vindobonensem potissimum secutus, alteram ex altero emendavit & supplevit; quanquam, cum uterque Codex vitiatis lectionibus abundet, menda omnia tolli non potuerunt. Ceterum ut alia habet Sicardus, quæ historiam juvant, ita expeditionem Friderici I Imp. aliorumque in Oriente tam dilucide exponit, ut nemo melius, & de inclyta Marchionum Montisferrati progenie vix alibi obvia observat, sermone quoque supra seculi genium eleganti cuncta describens. Subjunctum huic est *V* Anonymi *Chronicon breve Cremonense* ineditum, ab A. 1096 ad 1232, cum *Jo. Jac. Turrecini Catalogo Magistratuum Cremonensium*, licet interrupto; quod utrumque opusculum etsi nihil fere præter nomina Potestatum, ut vocant, seu Magistratuum contineat, attamen cum civitates Italiæ non alios olim quam exteros, eosque nobilitate illustres viros, Magistratui admoverint, habebunt tamen hic fa-

 miliæ

miliæ nobiles, unde prosapiam suam illustrent. Succedit *VI* opus pariter ineditum, *Bernardi Thesaurarii de acquisitione Terræ sanctæ ab A. 1095 ad 1230*, e Bibl. Estensi, quod ex Gallica, qua conscriptum fuit, lingua circa A. 1320 Latine traduxit *Frater Franciscus Pipinus Bononiensis Ord. Prædic.* cui etiam versionem Latinam Marci Pauli Veneti consuetudinum regionum Orient. debemus, ut & Chronicon, quod deinceps edere constituit Cl. Muratorius. *VII. Chronicon Fossæ novæ*, quod Ughellus primum in Appendice Tomi I Italiæ S. sub *Johannis de Ceccano* nomine vulgavit: quanquam ut fuit Ughellus, alioquin de historia Episcoporum Italiæ bene meritus, artis Criticæ parum peritus, & innumeros errores tum suos, tum typographorum irrepere passus est, ita parum accurate hoc Chronicon ipsi Johanni Comiti seu Domino Ceccani tribuit, quod multa ejus Acta & chartæ in eo comparerent, quorum initium: *Ego Johannes de Ceccano.* Quare de hujus pariter ac sequentis *VIII Chronici* brevis *Atinensis Ecclesiæ*, ab eodem Ughello publicati, autore omnia adhuc incomperta sunt. Quod sequitur *IX Chronicon Cavense* ab A. 569 ad 1318, ex margine Codicis in monasterio S. Trinitatis Cavæ, quo Bedæ Chronicon continetur, Noster descripsit, additis *X Excerptis* e Martyrologio & Necrologio Casinensi. Dignum quoque, quod ex Ughelli Tomo III huc transferret, Nostro visum, *XI Richardi de S. Germano*, oppidi hujus Notarii, *Chronicon* rerum per Orbem, imprimis utramque Siciliam, gestarum ab A. 1189 ad 1243, quem autorem utut Ughellus censeat nimio in Fridericum II Imp. amore seductum, aliquando a veritate deflexisse, Noster tamen neminem reperiri facile existimat, quem tutius sequaris in ejusdem Imperatoris Historia. Ultimum locum occupant *XII Matthæi Spinelli de Juvenatio Ephemerides Neapolitanæ*, seu diarium rerum suo tempore ab A. 1247 ad 1268 in Regno Neap. gestarum, Italice nunc primum editum ex Cod. MSpto Neritonensi, cum versione Latina & Notis *Dan. Papebrochii*, cujus in Propilæo ad Acta Sanctor. Maji primum Latine prodiere hæ Ephemerides, postea a Carusio quoque Tomo II Bibl. Siculæ recusæ. Quod vero post versionem Latinam nunc etiam textus Italicus, Apula dialecto exaratus, prodit, ideo factum, quod pri-

primus omnium, quantum constat, *Spinellus* hic res gestas lingua sibi vernacula tradere tentavit, quem paulo post Ricordanus Malaspina & Dinus Compagnus, a Nostro pariter edendi, imitati sunt; observatque Cl. Editor, Latinæ linguæ usum tum in Actis publicis tum aliis artium scientiarumque & historiarum monumentis perpetuum fuisse usque ad seculum XIII, quo primi Poetæ, ad exemplum forte Provincialium, ipso Friderico II regnante, aliquid in Poesi Italica conati, quorum exemplum mox deinde alii quoque scriptores sunt secuti.

M. LEONHARDI BOHNERI, NORIB. Institutiones Theologiæ Catecheticæ, ad genuinum rudioribus verbum Dei tradendi methodum comparatæ. Appendicis loco adjecta est ejusdem Sciagraphia methodi tractandi studium Theologicum, seorsim antea excusa.

Altorffi Nor. apud E. F. Zobelium, 1727, 4.

Pl. 14.

CUm in hac officii ministerialis parte admodum necessaria Cl. Autor defectum aliquem systematicæ introductionis deprehendit; in eo fuit, ut, in eorum præcipue usum, qui in Academiis in catechisandi studio erudiri cupiunt, has Institutiones, Latino contextas sermone, proponat. Elegit autem methodum eam, ut per tabulas, sed non illas steriles, verum variis eruditorum observationibus refertas, totius doctrinæ Systema exhiberet. Ampla vero præmisit prolegomena, & in his varia congessit erudita de etymo vocis Catechesis, item de ejus synonymis, hisque tam Ebræis & Græcis, quam Latinis & Germanicis: suppeditat & hic definitionem Theologiæ Catecheticæ, quod sit habitus verbum Dei docendi rudiores. Hujus norma, ut appellat, est S. Scriptura, & normatum, libellus Catecheticus brevis, speciatim Lutheri, non vero ab aliis propria autoritate consarcinati. Finis ipsi proximus est, ut fundamenta Christianismi ponantur; remotus vero conservatio & propagatio Ecclesiæ. Affectiones numerat, utilitatem, necessitatem, difficultatem, & hanc tum ob me- p. 3.

 thodum

thodum, tum ob catechumenorum varietatem. Addit & his dignitatem, & subjicit subsidia in hoc studiorum genere, eaque tam fundamentalia, Catechismos variarum religionum, quam methodica, scilicet vel præcepta partim commoventia, nempe pia desideria Theologorum, partim didactica, vel etiam exempla. Ipsæ autem Institutiones in *duas* dividuntur *partes*. *Prima* est historica, & Catecheseos quidem ac Catecheticæ institutionis historiam nectens, tum quoad institutionem divinam, tum quoad executionem in *Ecclesia Patriarchali* e. gr. *Gen. XIV, 14, XVIII, 19,*
p. 13. item in *Mosaica*, tam in scholis publicis, quam privatim domi. Tandem & in *Ecclesia N. T.* catechetica institutio invaluit, partim a Joh. Baptista, & Christo (quem cum *Zentgravio* Archi-Catechetam appellat) partim & deinceps ab Apostolis & eorum successoribus instituta; non exclusa institutione domestica, quale exemplum *2 Tim. I, 5, III, 15*. In Ecclesia, quam specialius
16. sq. appellat *Patristicam*, inter alios recenset *Pantænum*, *Clementem Alex. Origenem*, *Heraclum*, *Dionysium*, *Athanasium*, *Didymum*, *Ambrosium* e *Sec. II*; e *III Babylam* & *Gregorium Neo-Cæsariensem*; e *IV Greg. Naz.* & *Nyssenum*, tum *Cyrillum Hieros.* quod ad *Ecclesiam Orientalem* attinet. Quoad *Occidentalem* autem, *Sec. II Justinum Martyrem*; *Sec. III Tertullianum* & *Cyprianum*; *Sec. V Hieronymum* & *Augustinum*; *Sec. VIII Joh. Damascenum* & *Sec. IX Theodorum Studitem* recenset; qui duo ultimi tamen ad Græcam & Orientalem Ecclesiam referendi erant. His fœminas Catechistas, scilicet *Diaconissas* & *Presbyterissas* subnectit, domesti-
17. camque parentum institutionem. Varias quoque cumulat variorum observationes de *Catechumenis*, ut & de doctrina, quam Catechumenis proposuerunt. In Ecclesia, quam vocat, *Scholastica Sec. X* hujus studii cœpit neglectus, & præcipue id iterum *Sec. XI &*
24 sqq. *sqq.* invaluit. In Ecclesia *Evang. Lutherana* laudibus evehit *B. Lutheri* in hac etiam parte felicem diligentiam. Bello autem tricennali oborto, haud raro & hoc studium elanguit, rursus deinde restitutum. In Ecclesia *Pontificia* præ ceteris *Jesuitis* hac eti-
29 sqq. iam in re laudem tribuit. In Ecclesia *Calvino-Reformata* Catechismi studium laudabile vigere, annotat, & hac occasione de Catechismi *Heidelbergensis* applausu, vel reprobatione nonnulla

affert.

affert. De *Socinianis* etiam & eorum *Catechismo Racoviensi*, ut & *Osterodiano* non tacet; quibus addere potuisset novam illam, ut putant, *Crellii* catechesin, quam Cl. *Petrus Jenichen*, Rect. & V. D. M. Thorunii aliquot disputationibus nuper refutavit. Ex *Arminianorum* Catechesibus recenset: *Onderwysinge in der Christelyke Religie*, dictam; pariterque *Quackerorum* Catechismos, tum a *Barclajo*, tum *Kohlhansio* editos; nec non *Anabaptistarum*, & inter hos *Mennonitarum*; & tandem *Ecclesiæ Græcæ*, & speciatim *Russicæ*, Catecheses nominat. Ad *alteram* Institutionum Catecheticarum *partem*, nempe *didacticam* delatus, C. I de *Catechetis* disserit, quos e *Rom. II, 20* describit. Huc refert naturales, videlicet parentes, heros, patres matresque familias, quos obligatos merito censet, ut, si ipsi suos docere nequeant, per Præceptores domesticos id faciant. Ministros pariter Ecclesiæ ad Catechismi institutionem obstrictos esse, recte urget. Nec a Theologiæ studiosis occasionem datam negligi debere, judicat, & imprimis Præceptores scholarum huc respicere debere, salutariter monet. Tandem & Susceptores ex undis baptismalibus, ut & Tutores & Curatores, immo omnes omnino Christianos ad hanc curam obstrictos esse, docet; sed hos extraordinarie. Dona deinde, quibus Catecheta instructus esse debeat, persequitur, ut & illius officium. C. II de *Catechumenis* agit, & inter alia bene monet, quod Catechumenis præcipue & illa vitia, ut maxime pestifera, debeant sisti, quæ eorum temperamento, ætati, statui & vitæ generi maxime sunt familiaria. Doctrinam deinde exhibet, quæ maxime inculcanda veniat, & in cœtu e provectioribus & tyronibus mixto, illorum majorem, quam horum rationem habendam esse putat, simul subsidia & munia Catechumenorum considerans. C. III methodum catechisandi exponit. Hic inter alia monita salubria urget, quod quæstiones simplices formari, & secundum captum Catechumenorum phrasibus & illustrationibus e vita communi petitis omnia plana & liquida reddi debeant. Immiscet quædam ad *Ebr. VI, 1 sqq.* & fundamentum fidei spectantia, secundum disciplinam Zeltnerianam, quæ in medio relinquimus. Tum quomodo Ecclesiæ Minister in conventibus etiam publicis, data occasione, ad alios instruendos, loqui debeat,

p. 35.
44.
65.
67.
90 sqq.

debeat, proponit, & de systematico Catechesin docendi ordine disquirit: item ipsius tractationis rationem, quoad explicationem, probationem, illustrationem & applicationem ad pietatem, persequitur. C. IV denique nonnullas speciales observationes
p.120.sqq. de ipsis *Catechisationibus*, seu examinibus catecheticis, addit, & hic impedimenta & motiva, mediaque etiam ad continuationem catecheticorum horum exercitiorum facientia, considerari merentur. Conspectum tandem materiarum pertractatarum, & Catalogum Autorum adhibitorum subnectit. Et optima quidem ex his congesta hic esse, facile dabimus; licet forte quidam sint futuri, qui nimium verborum ex notis alioquin Autoribus citatorum copiam fastidiant. Sciagraphiam autem studii Theologici, quam titulus etiam promittit, tabella duabus solum paginis, omissa ejus expositione uberiori, sistit. Ceterum compendium hoc Catecheticæ Institutionis usibus illorum accommodatissimum censemus, qui vel Collegia Catechetica instituere, vel etiam proprio Marte de nexu disciplinari totoque officio Catechetico instrui avent.

HISTORIA VITÆ JACOBI ARMINII, Autore CASPARO BRANTIO.

Amstelodami, apud Martinum Schagenium, 1724, 8.
Alph. 1 pl. 8.

HISTORIÆ HUJUS EDITIO ALTERA multo correctior, cum Præfatione & Notis JO. LAUR. MOSHEMII, Th. D. & P.P.O.

Brunsuigæ, apud Frid. Guil. Meyerum, 1725, 8.
Plag. 16.

VItam Jacobi Arminii, qui Remonstrantium sectæ originem nomenque dedit, post Bertium Sagittarius, Benthemius, Jægerus, & tantum non omnes recentioris Historiæ Ecclesiasticæ scriptores, nec non Bælius, Uhsius, aliique biographi, qua quisque potuit consultumque duxit ratione, in monumentis suis historicis exposuerunt. Omnium vero copiosissime ac plenissime eandem

eandem peculiari opera enarravit Autor præsentis historiæ, ecclesiastæ munere in cœtu Remonstrantium apud Amstelodamenses quondam defunctus, nobisque ob eruditionem haud vulgarem sæpius laudatus. Hic non solum ex Bertii oratione funebri, vita Johannis Uytenbogardi, Epistolis Ecclesiasticis, aliisque monumentis literariis typis jam divulgatis, verum etiam ex schedulis non paucis ipsius Arminii, aliorumque eo seculo insignium virorum, nondum impressis, itemque ex actis presbyterii Amstelodamensis, ea collegit omnia, quæ ad vitam Arminii illustrandam afferri poterant. Hoc opus ante triginta annos conscriptum, post obitum Autoris in alienas incidit manus; a filio autem illius, Gerardo Brantio, recuperatum, & luci publicæ expositum est; atque accurante Cel. Moshemio jam altera vice impressum. Primam enim editionem Belgicam, & magno venientem pretio moli voluminis haud respondente, & fœdis operarum erroribus inquinatam, & indice rerum autorumque destitutam, altera statim secuta est Brunsuicensis, Cel. Moshemii præfatione & notis, quibus nonnulla a Brantio posita modo illustrantur, modo emendantur, nec non indice rerum & autorum ornata. Et hanc posteriorem editionem multo correctiorem esse, titulus quidem indicat: eandem vero operarum erroribus non carere, ex priore editione Belgica omnino corrigendis, peritus lector facile judicare potest. Nam, ut in gratiam eorum, quibus Belgicam editionem inspicere non licet, aliquos tantum errores notemus, in præfatione Ger. Brantii legendum est: *Hæc præmittere libuit*, pag. 1 lin. ult. *emendatioris*, pag. 6 lin. 21, *laqueo necatos*, pag. 17 l. 28, MDLXXXVII, pag. 22 lin. 2, *quam quidem sequens eodemque hoc rerum articulo incidens casus*, pag. 33 lin. 13, *mandare*, pag. 40 l. 26, *compellare*, p. 41 l. 11, *oblocutum*, p. 47 l. 14, *intentatam*, p. 49 l. 5, *perlecto*, p. 63 l. 4, *indicia*, p. 84 l. 8, *consuerant*, p. 87 l. 17, *ecclesia*, p. 101 l. 15, *soli*, p. 143 l. 17, *secuturum*, 145 l. 23, *designatum ord.* p. 180 l. 5, *aptantem*, p. 183 l. 12, *iterando*, l. 21, *exacta*, l. 27, *Velsio* p. 187 l. 10, *prurigo*, p. 188 l. 5, *scrutatur*, p. 201 l. 3, *quorum*, pro *quoque* &c. Obiter etiam observamus, pag. 137 lin. 6 addendam esse vocem *occasionem*, vel similem, quæ etiam in editione Belgica desideratur.

Ex ipſa vero vitæ Arminii hiſtoria, cum notiſſima ſit, nec non ex notis Moshemii eruditiſſimis, ſingularia tantum quædam, & quæ ceteri vitæ Arminii ſcriptores vel ignorarunt, vel prætermiſerunt, ut breviter perſtringamus, dum Brantius obſervat, Arminium, alias *Jacobum Hermanni* dictum, eodem, quo Melanchthon fatis ceſſit, anno natum eſſe, nempe 1560, Moshemius notat, Bælium quidem aſſerere, id ipſum jam a Bertio obſervatum eſſe in oratione funebri Arminio dicta, ſed nihil ejus rei in oratione illa Bertii reperiri. Qua occaſione nos non prætermittendum eſſe ducimus, Bertium, & qui eum ſecutus eſt, Jægerum in Hiſt. eccleſ. ſec. XVI Tom. I f. 153 Arminium eodem, quo in Gallia colloquium Poſſiacenum habitum, anno natum eſſe referre: hunc vero errorem a Bælio jam notatum, eoque hæc a Brantio recte omiſſa eſſe. Hermanni Rennecheri, Weſtphali, quo Arminius præceptore uſus eſt in addiſcenda lingua Hebraica, dum mentio injicitur, Moshemius ſcripta quædam illius affert, quibus addi omnino merentur: *Aſſertio ſolida ac pia veritatis carnis Chriſti*, ed. Hanoviæ 1597, 8, in cujus titulo ſeſe linguæ Hebrææ in inclyta Academia Heidelbergenſi Profeſſorem dicit, atque *Orthodoxus & perſpicuus Tractatus de regeneratione*, Lichæ 1600, 8 editus. Cum Arminius in Academia Baſileenſi A. 1582 Theologiæ operam daret, referente Brantio, in feriis vindemialibus pro more ibi recepto publice jam habuit Lectiones Theologicas in capita quædam Epiſtolæ Paulinæ ad Romanos, quas Jacobus Grynæus aliquoties ſua decoravit præſentia, qui etiam in lectionibus ſuis, ſi quid gravius proponeretur, honoris gratia ad Arminium his verbis provocare non veritus eſt: *reſpondeat pro me Hollandus meus.* Sed ad hæc Moshemius ex Phil. Pareo bene monet, Arminium quoque a Grynæo graviter admonitum eſſe, ut ſobrie divina myſteria ſcrutaretur. Nobis etiam innotuit Diſputatio Grynæi, Hermanno von der Malsburg inſcripta, in qua publice defendenda Arminius reſpondentis partes ſuſtinuit. Hæc nec Brantio, nec Moshemio viſa, ſequenti proſtat titulo: *Problematis, rectene Auguſtinus cenſuerit, Patrum & noſtra Sacramenta diverſa quidem fuiſſe, rem autem eandem, nec ne? Dijudicatio Theologica, tradita a D. Johan. Jacobo Grynæo: de qua in publica diſputatione*

die

die 4 Julii respondebit Jacobus Harminius, Hollandus, Basileæ 1583, 4. Arminius vero anno ætatis vigesimo octavo ad sacrum ecclesiæ Amstelodamensis ministerium rite vocatus, anno sequente a Senatu Ecclesiastico Amstelodamensi obnixe rogatus est, ut libellis Theodori Coornhertii, civis Amstelodamensis, refutandis, omnes ingenii vires impenderet. Etenim hic Reformatam Ecclesiam non adeo repurgatam esse, palam professus, ut nullis amplius laboraret erroribus, veritati pietatique Christianæ adversantibus, imprimis dogma de absoluto divinæ electionis & reprobationis decreto, a Scholæ Genevensis doctoribus, Calvino & Beza, traditum, ore scriptoque perstrinxerat, & elapso inde decem annorum spatio disceptatione inter ipsum & sacrorum apud Delphenses antistites, Arnoldum Cornelii & Reinerum Donteklokium, sub Illustr. Ordinum præsidio instituta, dignus judicatus fuerat, in quem insurgerent omnes, qui Reformatæ Ecclesiæ famam existimationemque salvam cuperent. Ecclesiastis vero Delphensibus hisce, ut suam de absoluto decreto sententiam facilius defenderent, a rigidiore Genevensium sententia in edito quodam libello deflectentibus, & decretum hoc peremptorium creationi lapsuique generis humani subordinantibus, Martinus Lydius, qui ad libellum istum ab autoribus transmissum se responsurum, fidem dederat, Arminium incitavit per literas, ut Bezæ, magistri sui, cujus argumenta recens audita memoriæ adhuc infixa haberet, patrocinium adversus Delphenses in se susciperet, atque hac ratione sibi ad refutandum Coornhertium viam sterneret. Sed Arminius argumentis utriusque partis ad sententiæ suæ defensionem accurata mentis trutina perpensis, tam inextricabiles in utraque nodos reperit, ut, quid sibi eligendum fugiendumve foret, dubitans, refutationis jam susceptæ filum abrumpere, & penitiori hujus doctrinæ scrutationi omnem operam impendere, in animum induceret. Atque ut eo luculentius constaret, quemadmodum animo tum affectus fuerit Arminius, epistolam ejus ad Grynæum scriptam, & a Cel. Hasæo in Bibliotheca Brem. Theol. Philol. T. III p. 384 primum editam, Moshemius in notis suis integram apposuit. Cum vero Arminius A. 1591 caput VII Epistolæ ad Romanos non de homine regenito, sed

ſub lege exiſtente pro concione exponeret, acerbiſſima inter illum & presbyterium Amſtelodamenſe orta ſunt diſſidia, quæ, Uitenbogardo & Taffino operam paci redintegrandæ fruſtra impendentibus, autoritate & mandato Conſulum componenda fuerunt. Arminio autem in concionibus ſuis ſubſequente anno caput nonum Epiſtolæ ad Romanos, primarium illud ſententiæ Reformatorum de abſoluta prædeſtinatione fulcrum, explicanti nova excitata eſt controverſia. Cum enim communi Reformatorum ſententiæ neque patrocinandum, neque contradicendum ratus, tantum aſſereret, Apoſtolum ſuam de juſtificatione hominis ex fide doctrinam, in præcedentibus capitibus expoſitam, in hoc capite perſequi, & a plurimis Judæorum objectionibus vindicare, ægre id tulerunt Symmiſtæ, quorum diſceptationes cum Arminio habitas Brantius plurimis verbis recenſet. Inter alia ex Senioribus quidam dixiſſe perhibetur, fatendum quidem, ſedulo caviſſe Arminium, ne quid aperte proferret, cenſuræ nota dignum; attamen ambiguis & æquivocis loquendi formulis fuiſſe uſum. Arminio autem accuſatores ſuos in publico Senatus eccleſiaſtici conventu iterum iterumque provocante, ut, quæ contra ipſum haberent, coram proferrent, Plancius inter alias erroneas opiniones, Arminio imputatas, protulit, ab eo traditum, Angelos non eſſe immortales; qui tamen de hac quæſtione, privatim aliquando ventilata, ſententiam ſuam publice ita expoſuit, ſentire ſe, immortalitatem eſſe attributum ſoli Deo proprium, 1 Tim. VI, 16, Angelos quidem beatos ſpiritus ac immortales eſſe & fore, non natura ſua, ſed externa Dei ſuſtentatione. Ubi Moshemius in nota addita miratur, virum nec vulgaris ingenii, nec exilis prudentiæ, Arminium, tam temere hanc litem, ad vanam de vocabulo pugnam redeuntem, movere potuiſſe, ſubjungitque, inſitum hoc vitium eſſe eorum animis, quos novitatis vexat ſtudium, ut, ſi rebus ipſis nihil afferre queant mutationis, in vocabula impetum convertant, eorumque poteſtate diminuta vel aucta, ſubtilitatis & novorum inventorum gloriam acquirere ſtudeant. Finitis hiſce altercationibus, Arminius A. 1594 ab ampliſſimo urbis Senatu Scholarchæ vices obire juſſus eſt, & leges illas ſcholaſticas adornavit, quæ a ſcholæ hujus rectoribus ſinguli-

lis

lis semestribus etiamnum recitari solent. Postea cum Gellius Snecanus A. 1596 Isagogen in IX cap. ad Romanos publici juris fecisset, Arminius magno perfusus gaudio, quod cogitata illius magna ex parte cum suis coincidere animadverteret, epistolicam suam in idem caput illi transmisit analysin, quam ab Autore nondum expolitam, hæredes examini libelli Perkinsiani de prædestinatione adjecisse, Jodocum Larenum vero publico scripto impugnasse, observat Moshemius. Sed & aliis ea ætate viventibus doctioribus viris scrupulos suos de prædestinationis negotio aperuit Arminius, imprimis Lydio, Taffino, Kuchlino, & his suadentibus, Francisco Junio, quem Brantius summis extollit laudibus. Et quidem colloquio Lugduni Batavorum A. 1597 cum Junio habito, epistolicam ipsi misit disquisitionem, cui Junius scriptum reposuit, ipso Arminio judice, pium, eruditum, & fraternæ plenum caritatis; ad novas vero Arminii considerationes, sub barbaro *Replicæ* nomine adornatas, nunquam respondit. Hoc ipso tempore Arminius Tabulam confecit Theologicam de prædestinatione, Uitenbogardo transmissam; & libelli Perkinsiani examen adornavit, sed Perkinsio mortuo, imperfectum reliquit; nec non Synopsin locorum Theologiæ conscribere incepit, cujus tantum partem aliquam se vidisse testatur Brantius. A. 1599 Drusius quidem ab Arminio magno cum studio commendatus est, ut Bibliis in linguam Belgicam vertendis adhiberetur: nonnullis autem ecclesiæ Ministris suspicantibus, ipsum in locis quibusdam Scripturæ sacræ explicandis ingenio suo plus satis indulgere, non solum ab ipsa translatione, verum etiam a translationis inspectione exclusus est; sed, ne prorsus negligi videretur, a Fœderatis Ordinibus Commentarium, sive notas ad loca difficiliora V. T. scribere jussus est, sub conditione CCCC Florenorum, in aliquot annos pro stipendio numerandorum. A. 1600 Arminio a Synodo Ecclesiarum Hollandiæ Australis negotium impositum est omnes Anabaptistarum errores excutiendi & refutandi, quo tamen prorsus supersedendum censuisse illum, refert Brantius, eo quod sincera mente id sibi commissum esse dubitaret. Nec contrarium ex eo evinci potest, uti quidem colligit Moshemius in notis, quod A. 1607 delecti Syno-

di Hollandiæ Australis ex eo quæsiverint, quidnam in refutatione Anabaptistarum præstitisset. Cum A. 1602 pestis non Amstelodami solum, sed & per omnes urbes Belgicas grassaretur, Arminius singularem fidem pastoralem demonstrasse prædicatur. A. 1603 Francisco Junio, hac ipsa lue abrepto, in provincia Academica Leidensi successit. Quam acriter vero vocationi obstiterint ejus adversarii, imprimis Kuchlinus & Gomarus; quove pacto collatio Gomari cum ipso ante initam Professionem Hagæ Comitum habita sit; & Arminius tandem a Senatu ecclesiastico & Consulibus Amstelodamensibus dimissus, ad titulum Doctoratus acquirendum, privato examini Gomari, Grotio & Merula præsentibus, se subjecerit, & labores Academicos auspicatus sit, Autor noster fusius exponit, refertque, Uitenbogardum ob navatam in promovenda Arminii vocatione operam, non solum a Jano Dousa eleganti carmine celebratum, sed etiam Senatus Academici nomine poculo argenteo donatum esse. Lites autem & disceptationes, quæ Arminio cum Gomaro & aliis intercesserunt, a Nostro quoad singulas fere minutias prolixe enarratæ, cum satis cognitæ sint, a nobis jure meritoque prætermittuntur. Arminius quoque de divinitate filii Dei, an sit αὐτόθεος, disputavit, cujus controversiæ historiam Moshemius in notis subjunxit. Idem ut omnem plane Socinianismi suspicionem amoliretur, primaria quædam & maxime decantata Socini dogmata, imprimis librum ejus de Servatore, publice & ex professo refutavit, idque, judice Brantio, tam operose, tam prolixe, tam solide, ut nemo ante ipsum, forte nec post illum, solidius. Accusatus etiam, quod regnum Pontificium promovere moliretur, aperte professus est, se Pontificem Romanum, Pontificatu more solito fungentem, pro membro corporis Christi non habere, sed pro hoste, pro violentissimo injustissimæ in ecclesiam dominationis usurpatore, &c. seque existimare, ex Scripturis magna verisimilitudine probari posse, *ab eo, qui ad Pontificatum Romanum evehitur, reformationem non esse exspectandam:* interim optasse se aliquando haud negavit, ut argumenta Bellarmini, quibus ex Reformatorum quorundam sententia elicere studuit, Deum Opt. Max. ab iis autorem statui omnium peccatorum, solidius refutata perspexisset,

xisset. Morbo vero correptus JACOBUS ARMINIUS, ab aliis ludentibus VANI ORBIS AMICUS appellatus, ab aliis, addita litera H, ita loquens inductus: HABUI CURAM SIONIS, sexennio in professione exacto, annumque agens nonum supra quadragesimum, d. 19 Octobr. A. 1609 diem supremum obiit, symbolo gavisus sequente: *Bona conscientia Paradisus.* Historiæ huic vitæ Arminii Autor adjecit descriptionem corporis & animi illius; nec non ejus hostes & vindices; & præter testimonium Senatus Academici, viduæ & liberis ipsius exhibitum, plurima, quibus viri nonnulli præclarissimi, studiis partium non addicti, cum vivum illum, tum etiam mortuum ornarunt, elogia; & denique Dominici Baudii epicedium, scazontemque Hugonis Grotii, cujus epistola etiam inserta legitur, qua Gomaro ad declinandam invidiam significat, in verbis: *Monstrata per te regna solus arderes*, pro vocula *solus* vocem *totus* esse reponendam. Hanc itaque historiam & lectu jucundam, & scitu utilem esse, neminem negaturum, confidimus: eandem tamen omnibus numeris absolutam esse, negat Moshemius in præfatione alteri editioni præmissa, facile fieri potuisse ratus, ut Autor, Arminianorum sectæ addictus, nimium Arminio tribuerit, quædam reticuerit a laudibus ejus aliena, nonnulla hostium ejus facta invidiosius, ac par est, retulerit, & nævos quosdam ejus ingeniose excusare, quam ingenue fateri maluerit. Omnium quidem errorum Arminium non arguendum esse arbitratur, quos postea discipuli ejus, a præceptoris sui institutis recedentes, susceperunt; callide tamen & versute eum causam suam agere maluisse, quam mentem suam aperte declarare. Ultimo loco nos certiores esse jubet Moshemius, vitam Episcopii, a Philippo Limborgio exaratam, & versionem Latinam vitæ Jo. Uitenbogardi, ab eodem, qui alteram vitæ Arminii editionem protulit, mercatore librario luci publicæ mox expositum iri.

Der ehmaliche Polnische Arianische Socinismus.

sive

ARIANO-

ARIANO-SOCINISMI, QUI OLIM IN POlonia viguit, Historia, a SAM. FRID LAUTERBACHIO, Pastore ac Inspectore Frauenstadiense, nec non Conventus ecclesiastici M. Poloniæ Seniore conscripta.

Francof. & Lipsiæ, apud Georg. Marcum Knochen, 1725, 8. Alph. 1 pl. 9.

EX scriptis Plurimum Reverendi Autoris historicis, quibus de re literaria bene meritus est, & extra patriæ suæ fines inclaruit, vitam Valerii Herbergeri in Actis A. 1708 p. 328 recensuimus; cujus continuationem & alteram quasi partem esse voluit historiam Ecclesiasticam Frauenstadiensem A. 1711 editam, quam historia pestis, Frauenstadii A. 1709 coortæ, præcessit. Idem orbi erudito dudum promisit analecta Wschovensia & Polonica, in quibus inter alia de sacris, quæ in Polonia viguerunt, vel adhuc vigent & tolerantur, utpote Romano-Catholicorum, Græcorum, Reformatorum, Arianorum, Judæorum & Tartarorum, plurima scitu lectuque peramœna collegit. Hoc opus vero dum ultra modum excrevit, nec commoda satis ratione integrum prodire potuit, in præsenti aliquam tantum ejus partem, ad instar prodromi, cum eruditis communicare consultum esse duxit Pl. Rev. Autor, historiam scilicet Arianorum & Socinianorum, qui & Anti-trinitarii & Unitarii nuncupantur. Huic historiæ nullam se ideo præmisisse dedicationem testatur, quod parum præsidii in rebus adversis dedicationes afferre, ipsemet sit expertus. In præfatione rejicit dispellitque scriptum Papicolæ cujusdam, qui post tristia Thorunensia fata personam Ariani induere, & parænesi sua Lutheranos pariter atque Reformatos inducere conatus est, ut cum Arianis & animos & arma conjungerent. Sed malam ejus mentem, qua omnibus in Polonia sic dictis dissentientibus in Arianorum numerum & ordinem relatis, internecionem conflare studuit, Noster detegit, & levia ipsius argumenta explodit. Ipsa Socinismi historia tribus absolvitur capitibus, in quorum primo & ultimo hæreseos Socinianæ in Polonia ortus, facilis progressus, & exstirpatio paucis describitur, & ea, quæ ad

Soci-

Socinianorum synodos & interna dissidia, in primis quæ ad Catechismi Racoviensis historiam illustrandam pertinent, sedulo notantur. In altero capite, quod maximam hujus opusculi partem constituit, semicenturia exhibetur virorum hujus sectæ famigeratissimorum, qui, paucis exceptis, muneribus in Polonia Ecclesiasticis vel scholasticis defuncti fuerunt, viris ejusdem nominis & cognatis, ut Statoriis, patre, filio & nepote, Radeciis, Lubienitiis, Arcissoviis, Stegmannis, Sandiis sub uno titulo relatis. Namque habentur in hoc capite vitæ Mich. Serveti, quem, licet in Poloniam non venerit, Autor primo loco posuit, veluti primipilum errorum, per Poloniam paulo post disseminatorum; Lælii Socini, Franc. Stancari, Lismanini, Gribaldi, Gentilis, Alciati, Neuseri, qui per Poloniam tantum in Transylvaniam demigravit, ex Calvinismo in Arianismum & ex hoc in Mahometismum delapsus; quive dixisse fertur: *Qui vult vitare Mahometismum, vitet Arianismum; & qui timet sibi, ne incidat in Arianismum, caveat Calvinismum: nullus nostro tempore mihi notus factus est Arianus, qui non antea fuerit Calvinista:* porro Blandratæ, Modrevii, Georgii Pauli, Gonesii, Lutomirscii, Ochini, Francisci Davidis, Crovicii & Palæologi. Ex reliquis eminent vitæ Fausti Socini, Andreæ Dudithii, Joannis Capri, qui vel ipsi Sandio incognitus fuit, Sommeri, Osterodi, Volkelii, Smalzii, Lubienitiorum, Jonæ Schlichtingii, Wolzogenii, Crellii, Przipcovii, Wissowatii, Martini Ruari, Jeremiæ Felbingeri, Stegmannorum & Sandiorum. Hasce vitas Noster, quanta potuit cum industria, composuit, &, quamvis accuratior quorundam virorum notitia adhuc desideretur, ea tamen, quæ invenire potuit, solicite congessit, aliorumque relationes, præsertim Sandii, passim notavit & emendavit: ex quibus nonnulla etiam excerpere non dubitaremus, nisi compertum haberemus, Theologum quendam ex nostratibus historiam Socinianismi, a Bernh. Lamio gallice scriptam, & in Actis nostris A. 1726 p. 259 commemoratam, in vernaculum nostrum sermonem translatam, notisque Theologicis & historicis illustratam, nec non vitis quorundam Socinianorum auctam, in lucem publicam mox editurum esse, in quo opere non solum sectæ hujus historia plenius exponitur, sed etiam omnium

Socinianorum, qui in hoc opuſculo adducuntur, multorumque aliorum vitæ curatiori ſtudio & juſto ordine enarrantur.

MECHANICES MORBORUM, DESUMTÆ a motu ſanguinis, Autore JO. BAPT. MAZINO, Philoſopho & Medico Brixiano,

Pars I.

Brixiæ, ex Typogr. Jo. Mariæ Ricciardi, 1723, 4 maj.

MECHANICES MORBORUM, DESUMTÆ a motu ſolidorum, eodem Autore,

Pars II.

Ibidem, ex ead. Typographia, 1725, 4 maj.
Alph. 1 pl. 16 Tabb. æn. 2.

MUlta ſunt, quæ commendare hunc librum poſſe videntur: nam & ſplendide impreſſus atque ad exornandas Bibliothecas perquam accommodatus eſt; & argumentum complectitur magni momenti, curioſum, difficile, nec a quoquam antea ita late atque ordine pertractatum; & Autores ſine dubio præſtantiſſimi, cum Medici tum Mathematici, paſſim allegantur; & ſtylus denique, quanquam paullo incultior, ſine dubio tamen Mathematicus eſt. Quod vero ad cetera attinet, de iis ex ſpecimine mox afferendo ipſe lector judicabit. In prima libri parte, Beatæ Mariæ Virgini dedicata, tirones Medicinæ his verbis alloquitur Nobiliſſimus Autor: *Cum ſapientiſſimo hoc ſeculo mira legerim a celeberrimis Viris elaborata, quæ naturæ opera Geometriæ, & Mechanice agerent, cumque Medicam praxin agens ſæpiſſime obſervaverim, plurima Morborum Phænomena a ſanguinis motu eruta, ſcienter explicari non poſſe, niſi Mechanicæ leges operam & manum traderent; propterea ſtudui melioribus, ut puto, conjecturis Mechanicas plurium Morborum cauſas a ſanguinis motu venari.* Exponit deinde diviſionem hujus Partis in tres Diſſertationes; in quarum prima *præcipuos maſſæ ſanguineæ motus*; in ſecunda *Pulmonum*

monum morbos; in tertia *ægritudines extra regionem Pectoris a vitiato motu sanguinis ortas*, se indicaturum pollicetur. Et quoniam particulas sanguinis tribus præcipue motibus naturaliter affici existimat, scilicet *motu pressionis* seu *impulsus*, motu *separationis*, & motu *assimilationis*; propterea in præcipua horum motuum naturalia, tum præternaturalia phænomena, in prima Dissertatione inquirit. Afferemus exempli loco, quæ de motu *separationis* differit. *Cum sanguis ab arteriis*, inquit, *in varias viscerum glandulas necessario tranet, peculiares liquores separaturus; cumque motus corporum continentium contenta corpora tali ratione urgere debeant, homologa, quodammodo motibus corporum continentium, suspicatus sum sanguineum laticem in glandulis peculiarem a specifica glandularum structura motum probabiliter mutuari, ut separanda corpora apte secernantur.* Licet vero hanc rem Celeb. Michelottus doctissimo opere de fluidorum separatione plena manu tractaverit; nihilominus, studii gratia, se non vereri ait, exponere conjecturas, quæ de motu separationis fluidorum per glandulas probabiles quoque ipsi visæ sint. Et glandulam quidem, cum Malpigio, a folliculo membranoso compositam, varioque modo contextam statuit. An autem membranosi isti folliculi elaborati sint a dilatatione arteriæ evanescentis, aut a membranea quadam vesicula inter arterias evanescentes posita, & vascula excretoria, id ancipitem se non inquirere dicit, cum instituto suo utræque res faveant. Allata deinde sententia celeberrimorum Virorum, Leibnitii, Bernoullii & Conori, qui statuunt, universas corporis nostri glandulas, a primo fœtus exordio, peculiari liquore saturatas fuisse, quæ postmodum toto vitæ cursu cogantur secernere consimiles atque homogeneos succos; tum vero sequentibus verbis placita sua exponere pergit:

Præter hæc quamvis aureo digna sint voto peculiarem liquorum separationem in peculiaribus viscerum glandulis alia quoque methodo fieri posse suspicatus sum: Itaque certum est quæcunque Animalium Viscera, ut Lien, Hepar, Renes &c. suas habere glandulas peculiari, & specifica textura, ac figura donatas; ulterius hæc diversa glandularum modificatio determinatur a diverso ordine, ac textura fibrarum muscularium, nervorum & membranarum

rum . . . . Deinde hac diversa fibrarum directio, diversus ordo, & varius figuræ, & texturæ motus necessario afferre debet glandulis diversimode elaboratis peculiarem quoque glandularum motum singulis glandulis proportionalem . . . . . Hisce præhabitis eligamus ibi glandulas Hepatis, simili enim ratiocinio de cæteris quoque viscerum glandulis proportionaliter licebit philosophari: Cum hujusmodi glandulæ sint biliosarum particularum separationi destinatæ, in has biliosis particulis ferax sanguis ab evanescentibus Hepaticis arteriis effunditur: ibi tamen cogitur sequi motum specificum glandularum continentium: In hisce enim exagonis glandularum lacunis biliosæ, seu sulfureæ massulæ (numero certe, & momento majores cæteris ibi commixtis) inter se homogeneæ, ejusdemque superficiei, & indolis urgentur a specifico, & naturali motu glandularum Hepaticarum, ut oportunæ separationi accommodentur; verum cum methodus separationis ab ordine, ac lege motuum massæ sanguineæ glandulam ingredientis habeatur; ideo nonnulla prænotanda sunt quæ motuum leges aperient futuræ separationi exequendæ oportuna; PRIMO *itaque sciendum est, quantitatem, motus sanguinis exeuntis a corde una sistole (natura bene se habente) semper futuram esse proportionalem quantitati motus ejusdem per foraminulum arteriæ egredientis, & ingredientis glandulam eadem systole, ut tali ratione semper fiat glandulæ Diastoles, cordis sistoli proportionalis: Ut autem hæc obtineri possint, notandum est, quantitates motus liquorum per quævis foramina erumpentium, quæ viribus impellentibus proportionales sunt esse in ratione composita ex rationibus duplicata velocitatum, simpla densitatum, & simpla foraminum, e quibus erumpunt*, (per prop. 31 Hermanni, & per demonstrata a Michelotto;) *Itaque cum sanguis sit fluidum in statu naturali ejusdem densitatis, ejusdemque gravitatis specificæ, cujus quantitas proportionaliter a momento cordis semper impellitur, ideo simili lege futura erit quantitas motus sanguinis, quæ per unum foramen effluit quacunque sistole in ratione composita ex ratione quadrati velocitatis ducti in sanguinis densitatem,* SEU QUANTITATEM, *& ducti in foramen, per quod dato tempore erumpit massa sanguinis; quare si quantitas motus massæ sanguinis erumpentis dato tempore e fora-*

foramine trunci arteriæ vocetur q ; *foramen vero e quo erumpit vocetur* o, *QUANTITAS vero, densitas, seu MASSA sanguinis vocetur* m, *velocitas vero vocetur* u, *erit* $q = o \times m \times uu$: *Modo certum est truncum arteriæ plurimos in ramulos esse divisum, si igitur truncus arteriæ supponatur divisus in 20 ramulos, quorum unus in glandulam erumpens sit vigesima pars trunci arteriæ majoris; procul dubio motu cordis naturaliter se habente, futura quoque erit quantitas motus sanguinis exeuntis dato tempore e foraminulo rami arteriolæ in ratione composita ex duplicata velocitatis, simpla massæ, & simpla foraminis, e quo æquali tempore erumpit, quare erit* $\frac{q}{20} = \frac{o \times m \times uu}{20}$; *& cum ceteris paribus quadrata velocitatum sint similia inter se, futura erit quantitas motus massæ sanguinis exeuntis e foramine trunci arteriæ una sistole proportionalis quantitati motus massæ sanguinis exeuntis e foraminulo rami arteriolæ eadem sistole; quare facto analogismo, fiet hæc ratio* $q . \frac{q}{20} :: o \times m \times uu . \frac{o \times m \times uu}{20}$ *Propterea colligendum, quod cum sanguis sistole cordis expulsus ingrediens glandulam hanc proportionaliter dilatare debeat, sistolem cordis, & glandularum diastolem esse inter se proportionales, quare glandulæ quælibet tanquam parvula corda haberi facile poterunt* . . . . . . SECUNDO *opus est fluidum in glandulas delatum non celeri nimis motu agitari, sed leni, placidoque motu moveri: Etenim ut in fluidis similia a dissimilibus separari possint, requiritur ea ratio temporis tanto operi oportuna: verum fluente nimio motu sanguine, confusisque omnibus aufertur ea ratio determinati temporis, quæ procul dubio necessaria est, ut debita methodo secernantur* . . . . . *quare suppositis superioribus cum quadrata decrescant in ratione duplicata suarum radicum, constat quadratum velocitatis massæ sanguinis e foraminulo rami arteriosi egredientis, & ingredientis glandulam nempe* $\frac{uu}{20}$ *futurum esse necessario minimum respective ad quadratum velocitatis massæ sanguinis e majori arteria egredientis, nempe respective ad* uu . . . . . TERTIO *præstat tanto operi separationis, massam sanguinis ingressam glan-*

dulam quacunque sistole esse quoque respective minimam, nempe minimo glandulæ continentis spatio proportionalem . . . . Hisce præsuppositis, cum naturalis sistoles, seu vibratio elastica glandulæ semper eadem ratione fieri debeat quacunque cordis sistole juxta eundem gradum quadrati velocitatis, procul dubio tali quoque ratione urgebit, aut immediato, aut mediato contactu contenta elementa massæ sanguinis; cum autem hujusmodi elementa alia similia sint, alia vero dissimilia; similia elementa (biliosa nempe corpuscula) utpote homologas habentia superficies excipient singula percussiones, si non semper, saltem ut plurimum supra plana homologa; cum autem corpora similia ejusdemque generis eadem semper lege motus percussa, superque easdem, aut similes planorum superficies semper impulsa moveri necessario debeant motibus, seu directionibus quoque, aut æqualibus, aut similibus, & juxta exceptos percussiones proportionalibus; procul dubio hæc juxta easdem, aut similes directiones itura erunt susceptis impressionibus proportionales: Quamobrem hæc similia corpora numero pauca, lente, ac placide mota, eademque lege homologa motuum, ac vibrationum semper mota, impulsa, ac quassata supra homologas planorum superficies superatis paulatim aliorum corporum dissimilium vinculis, resistentiis, atque occursibus, cogentur moveri omnia, aut fere omnia juxta eandem directionem, ita ut versus unam glandulæ partem, ac situm convenire paulatim coacta sint; cetera vero heterogenea corpora cum mole, figura, ac pondere dissimilia sint tali, ac specifica vibratione, & fortasse tali, ac tanto vibrationum numero glandularum Hepaticarum urgente improportionatas, ac dissimiles dissimilium corporum superficies inæqualiter quoque percussa, inæqualiter movebuntur per directiones pariter inæquales, ac dissimiles, quare hujusmodi corpora dissimilia necessario urgebuntur per diversas, ac dissimiles vias, ac directiones per loca pariter diversa glandulæ continentis; unde dissimiles massulæ tali mechanica methodo motuum dissimilium motæ a similibus biliosis massulis satis sejunctæ, ac separatæ, nullatenus impedient, quin similia, & homogenea biliosa corpora ab ceteris separata, qua data porta extra glandulas paulatim eliminentur . . . . .

Sed

Sed de prima Parte hujus libri satis superque dictum est. Sequitur altera, quam pariter in tres Dissertationes divisit Nobilissimus Autor. In prima agit de *universalibus sensuum affectionibus;* ubi non tantum naturalia *distractionis & contractionis*, hoc est *oscillationis* momenta, fibris omnibus communia, verum etiam universales & particulares ægrotantium sensuum affectiones, se adepturum confidit. In secunda pro *morbosis sensuum internorum affectionibus* solicitus est, agens obscurissima immortalis animæ officia, quam adeo intrinsece, arcte, & intime uniri, applicari, & *compenetrari* viventibus organis, ac sensoriis existimat, ut minori penetratione lumen politissimo, purgatissimoque vitro, ac cristallo applicetur, idemque cristallum penetret, quam anima sensoriis, organisque compenetratur. Denique tertia Dissertatio *morbosas affectiones sensuum externorum* mechanice molitur. Ut chartæ & lectoribus parcamus, nihil addere amplius, præter hoc unum, placet, pari diligentia, apparatu atque ingenio, utrumque Volumen elaboratum esse. De cetero etiam Partem tertiam *Mechanices morborum*, desumtam a motu febrium, Vir optimus, Deo juvante, se daturum pollicetur.

PHILOSOPHICAL TRANSACTIONS &c.

i. e.

TRANSACTIONES PHILOSOPHICÆ.

Continuatio recensionis Partis II Voluminis XXXI, quæ Acta anni 1721 complectitur.

POstquam hujus Voluminis Partem I recensuimus in Actis Er. 1727 M. Junio, ibidemque consilium nostrum aperuimus de recensendis imposterum Actis his Anglicanis, jam ad alteram ejusdem Partem, quæ Acta anni 1721 complectitur, convertimur.

Num. 367, pro mensibus Januario, Februario, Martio & Aprilis A. 1721, *Steigertbalius* mira narrat de fœtu per continuos 46 annos in utero materno conservato. Fœmina per 40 annos vidua, & anno ætatis 94 mortua, 6 ante obitum annis se gravidam sensit & stato tempore prosilientibus aquis tormina experta, sed irrito

irrito conatu fœtum nullum exclusit. Postea bis gravida facta filium & filiam peperit, certissime persuasa, quod fœtus anterior adhuc in utero hospitetur. Cum A. 1720 moreretur, uterum aperiri jussit post mortem: quo facto, massa dura globosa reperta est fœtum continens. *Leeuwenhœkius* deprehendit, membranam, qua involvuntur fasciculi fibrarum, ex quibus musculus constat, compositam esse ex innumeris vasculis admodum exilibus, ita ut globulus sanguineus per eos moveri nequeat. Notum nimirum, eundem fibras carneas habere pro fasciculis fibrillarum membrana involutarum. Usum igitur membranarum statuit, deferre nutrimentum, nec in iis circulationem concedit. Suspicatur autem, per illa vascula pinguedinem separari. Idem quoque describit vascula lignorum ex insula *Amboina* allatorum & fibras musculares variorum animalium, quarum aperturam globulo sanguinis multo minorem vidit, in 64 partes æquales dividendo, antequam intrare possit. Cumque antea retulisset, fibras carneas ex filamentis exilibus componi; nunc commemorat, filamenta ista esse vascula exilia. *Desagulierius* experimenta quædam de resistentia fluidorum exhibet: usus est globo aureo vernice obducto & ex filo argenteo suspenso, cujus longitudo erat $12\frac{1}{2}$ digitorum. Cum pendulum agitaretur in Mercurio, prima vibratione absolutum spatium paulo minus fuit decima quarta Mercurii & secunda intra illud substituit, quod inter 26 & 28 vibrationes in aqua factas attingit. Idem globus intervallo $2\frac{1}{2}$ secundorum in Mercurio cecidit per intervallum 3 pedum 10 digitorum. Pendulum vero $39\frac{2}{10}$ dig. post 5 vel 6 vibrationes in Mercurio factas ad quietem rediit, quarum prima quoad spatium emensum respondit decimæ quartæ in aqua quam proxime, secunda vero vigesimæ septimæ, tertia denique quadragesimæ in aqua factæ. Gravitatem specificam Mercurii & aquæ reperit ut $13\frac{44}{100}$ ad 1. Pondus globi in Mercurio erat 498, in aqua 2424, in aere 2577 granorum. *Paulus Dudlejus* nonnullas observationes ex nova Anglia misit. Prima & secunda describit arborem venenatam, quæ contagium communicat tum per contactum, tum per odorem. Refert exempla eorum, qui a contactu visum per octiduum amiserunt & ad ignem, quo crematur, assidentes per aliquot dies tumores

res contraxerunt. Veneno tamen non inficiuntur omnes, nec idem unquam lethale fuit. Lignum iſtud inſtar glaciei frigidum. Tertia obſervatio continet methodum, qua in nova Anglia utuntur detegendi alvearia apum in ſylvis. Nititur hiſce principiis, quod apis odore percipiat mel vel ceram ad diſtantiam milliaris Anglici & directe tendat ad arborem, in qua alveare ſitum, quando in aere volitat. Apes melle allectæ capiuntur & quædam earum in duabus ſtationibus notæ diſtantiæ e carcere dimittuntur, obſervatis angulis ea interſectione viarum & lineæ ſtationum ortis. Monet idem, omnes apes in nova Anglia deſcendere ab iis, quas ante 100 circiter annos illuc deportarunt Britanni, & apem ex alveari ad mel expoſitum reducem multo comitatu gaudere. *Taylor* aliquot propoſitiones de motu projectilium parabolico demonſtrat.

Num. 368 continentur ea, quæ pro menſibus Majo, Junio, Julio & Auguſto publicata fuerunt. Cum *Paulus Dudlejus* animadverteret, feræ nobilis deſcriptionem, quam Americæ ſeptentrionali propriam *Aborigines* lingua ſibi vernacula *Mooſe* appellant, a *Lowthorpio* in Compendio Transactionum Anglicanarum ex *Joſelyni* Hiſtoria novæ Angliæ traditam in plerisq; deficere; ipſe propria & aliorum inquilinorum experientia ſuffultus accuratiorem cum *Joanne Chamberlænio* communicavit. *Hallejus* de refractione aeris nonnulla annotat in uſum obſervationum Aſtronomicarum. Monet, quamprimum ſtellarum altitudo 20 gradus ſuperat, absque ſenſibili errore ſumi poſſe, ſinum diſtantiæ veræ a vertice eſſe ad diſtantiam apparentem in ratione conſtante. Inde infert, omnium fixarum diſtantiam apparere juſto minorem, ita ut ſingulis gradibus reſpondeat minimum defectus unius ſecundi, atque adeo 30 gradibus defectus unius minuti. Hinc porro concludit, ſextantem *Hevelii* non fuiſſe exacte diviſum, cum obſervationes ſuas comprobaturus in unam ſummam conjicit octo diſtantias, quæ exactiſſime integrum circulum complent, a quo tamen deficere debebant minimum ſex minutis. Refractio omnium minime contrahit diſtantiam fixarum, ſi horizonti fuerint parallelæ, ſeu eandem habuerint altitudinem, aut certe non multum differentem. Quo propius vero ſtellæ ad diſtantiam perpendicularem

accedunt, eo magis crescit differentia distantiæ veræ & apparentis. Exhibet tabulam refractionum siderum ad altitudines apparentes illustris *Newtoni*, quem nuper rebus humanis exemtum merito ob singularia in Mathesin & naturæ cognitionem Mathematicam merita lugemus. Quoniam eam ceteris præfert, quas dedere alii; igitur non dubitamus eam Actis hisce inserere.

Alt ap		Refractio.		Alt. app.	Refractio.		Alt. app.	Refractio.		Alt. app.	Refractio.	
gr.	m.	m.	sec.	gr.	m.	sec.	gr.	m.	sec.	gr.	m.	sec
0.	0	33.	45	11.	4.	27	36	1.	13	61	0.	30
0.	15	30.	24	12.	4.	5	37	1.	11	62	0.	28
0.	30	27.	35	13.	3.	47	38	1.	8	63	0.	27
0.	45	25.	11	14.	3.	31	39	1.	6	64	0.	26
1.	0	23.	7	15.	3.	17	40	1.	4	65	0.	25
1.	15	21.	20	16.	3.	4	41	1.	2	66	0.	24
1.	30	19.	46	17.	2.	53	42	1.	0	67	0.	23
1.	45	18.	22	18.	2.	43	43	0.	58	68	0.	22
2.	0	17.	8	19.	2.	34	44	0.	56	69	0.	21
2.	30	15.	2	20.	2.	26	45	0.	54	70	0.	20
3.	0	13.	20	21.	2.	18	46	0.	52	71	0.	19
3.	30	11.	57	22.	2.	11	47	0.	50	72	0.	18
4.	0	10.	48	23.	2.	5	48	0.	48	73	0.	17
4.	30	9.	50	4.	1.	59	49	0.	47	74	0.	16
5.	0	9.	2	25	1.	54	50	0.	45	75	0.	15
5.	30	8.	21	26.	1.	49	51	0.	44			
6.	0	7.	45	27.	1.	44	52	0.	42			
6.	30	7.	14	28.	1.	40	53	0.	40			
7.	0	6.	47	29.	1.	36	54	0.	39			
7.	30	6.	22	30.	1.	32	55	0.	38			
8.	0	6.	0	31.	1.	28	56	0.	36			
8.	30	5.	40	32.	1.	25	57	0.	35			
9.	0	5.	22	33.	1.	22	58	0.	34			
9.	30	5.	6	34.	1.	19	59	0.	32			
10.	0	4.	52	35.	1.	16	60	0.	31			

Varia-

Variationes acus magneticæ observatæ in magno Oceano australi a Capite meridionali *Californiæ* in Insulam *Guanam* sive *Guam.*

Januarius 1710.	Lat. correct. bor. sing. diebus.		Long. Occid. a Lond.		Variationes Orient.	
12	22.	16	114.	09	03.	00
	21.	18	114.	42	02.	50
	20.	24	115.	15	02.	50
15	19.	25	115.	45	02.	50
	18.	56	116.	24	02.	45
	18.	00	117.	06	02.	45
	17.	11	117.	30	02.	15
	16.	32	118.	05	02.	00
20	15.	44	118.	54	01.	50
	15.	00	120.	15	01.	30
	14.	49	122.	05	01.	10
	14.	36	124.	25	00.	50
	14.	24	126.	45	00.	40
25	14.	14	129.	05	00.	45
	13.	50	131.	23	00.	50
	13.	29	132.	58	01.	00
	13.	29	134.	41	01.	10
	13.	22	136.	48	01.	15
30	13.	27	139.	21	01.	25
	13.	32	142.	07	01.	30
Febr. 1	13.	32	144.	37	01.	40
	13.	36	147.	32	01.	50
	13.	26	150.	18	02.	00
	13.	26	153.	02	02.	10
5	13.	26	155.	19	02.	25
	13.	26	157.	43	02.	30
	13.	25	160.	31	02.	50
	13.	41	163.	00	03.	00
	13.	41	165.	18	03.	20

Februarius 1727.	Lat. correct. bor. sing. diebus.	Long. Occid. a Lond.	Variationes Orient.
10	13. 44	167. 26	04. 00
	13. 36	169. 56	03. 45
	13. 33	172. 27	04. 00
	13. 36	175. 00	04. 30
	13. 32	177. 21	05. 20
15	13. 40	179. 28	06. 30
	13. 47	181. 24	07. 00
	13. 54	183 22	07. 30
	13. 52	185. 37	09. 00
	13. 40	187. 42	10 15
20	13. 28	189. 49	11. 00
	13. 21	191. 30	11. 30
	13. 12	193. 25	12. 00
	13. 07	194. 37	11. 50
	13. 10	195. 51	11. 00
25	13. 03	197. 51	10. 0
	13. 00	199. 03	09. 50
	12. 57	200. 16	09. 30
	12 54	202. 20	09. 00
Mart. 1	12. 58	204. 12	08. 40
	13. 04	206. 06	08. 20
	13. 05	207. 33	08. 00
	13. 05	209. 04	07. 50
5	13. 02	211. 54	07. 30
	13. 07	212. 42	07. 10
	13. 07	214. 07	07. 00
	13. 03	215. 28	05. 50
	13. 08	217. 11	06. 3[illegible]
10	13. 16	218. 27	05. 4[illegible]

Idem

Idem *Hallejus* communicat variationes acus magneticæ a *Rogerio* in mari pacifico factas, quod inde confirmentur, quæ ante annos 40 defectu obſervationum in ea mundi parte conjectando aſſecutus fuerat. Optat ut Galli obſervationes publici juris faciant in itineribus ex regnis *Peruviano* & *Chilenſi* in *Chinam* factis inſtituendas & Hiſpani alias, quas capere licet in reditu ex *Luconia* in novam Hiſpaniam. Obſervationes *Rogerianas* ob utilitatem modo hic p.259 & 260, cum aliter fieri non poſſet, ttranſcripſimus. Idem *Hallejus* artem ſuam vivendi ſub aquis in Transactionibus Num. 349 propoſitam ulterius perficit, ut amplior evadat ejus uſus. Referuntur quoque obſervationes auroræ borealis, quæ d.6 Febr. A. 1721 viſa *Dublini* in Hibernia & in *Devoniæ* Comitatu in Anglia à *Samuele Cruwys*. Stellæ apparuere tum per materiam, quæ ſpeciem auroræ exhibuit, tum quæ ſub forma nubium ad zenith usque aſcendit, tum quæ per modum radiorum evibrata. Radiorum alii per integrum fere horæ ſpatium eodem loco perſtitere, nec colorem ſuum, quo conſpicui fuere, immutarunt, alii vero celeriter evibrati ſtatim diſparuere, quamvis & ipſi colore tingerentur. Motus fuit ad horizontem obliquus: lux tanta, quæ horæ in horologio aureo portatili diſtinguendæ ſufficiebat. Leguntur ibidem obſervationes *Leeuwenhœkii* de fibris muſcularibus piſcium. Detexit perinde ac in fibris muſcularibus animalium ingentem vaſculorum numerum ſecundum longitudinem excurrentem, quæ ortum trahere ipſi viſa ſunt a membranis fibras tegentibus. Vaſcula nimirum ex membrana in tunicam fibræ ingreſſa per interiorem ipſius ſuperficiem ſparguntur in plures ramos minores, qui maximam partem fibræ componunt. Idem *Leeuwenhœkius* per microſcopia obſervavit innumera vaſcula, per quæ particulis farinaceis in ſemine adducitur nutrimentum. Eadem optime patere oculo armato expertus eſt in fabis & piſis. *Taylorus* quædam experimenta de magnetiſmo refert, quibus confirmatur, decrementa vis magneticæ in diſtantiis majoribus eſſe velociora, quam in minoribus.

Num. 369, pro menſibus Septembri, Octobri, Novembri & Decembri, *Edmundus Hallejus* quædam monet circa methodum determinandi loca planetarum per obſervationes appulſus earum

ad ſtellas fixas. Non aliam obſervationem accuratius ab Aſtronomo inſtitui poſſe cenſet, quam appulſus planetarum ad fixas. Suadet igitur, ut fixarum teleſcopicarum in zodiaco loca determinentur & catalogis inſerantur, ut obſervationes iſtiusmodi crebriores haberi poſſint, quæ alias rariſſimæ ſunt. Ipſe determinat loca duarum fixarum teleſcopicarum, ad quas *Galilæus* in Nuncio ſidereo Jovem & in Aſtronomia Reformata *Ricciolus* Saturnum retulit. Illius longitudinem ad tempus Catalogi Britannici refert ad ♊ 13° 24′ 33″ cum latitudine auſtrali 25′, hujus vero ad idem tempus ſeu principium anni 1690 ad ♍ 29° 34′ cum latitudine boreali 2° 0′ 30″: ubi notat, *Ricciolum* in determinanda Saturni latitudine commiſiſſe errorem 7 minutorum. Idem *Hallejus* deſcribit parhelion d. 26 Oct. 1721 a ſe obſervati. Corona Solem ambiens & iridis coloribus ſuperbiens ab eo 23 circiter gradus diſtabat. Cetera vero ad phænomenon hoc ſpectantia ob aerem minus perſpicuum obſervare non potuit. *Whiſtonus* vero d. 22 Oct. obſervavit halonis ſegmentum majus & in eo duo parhelia Soli directe oppoſita & caudas albicantes in oppoſitum Solis projicientes. Caudæ orientalis longitudo erat 20 aut 25 circiter graduum, occidentalis 10 vel 12. Utraque erat acuminata. Parhelia obverſa Soli parte rubebant, averſa vero pallebant. Altitudo Solis erat 22½ circiter graduum & halo concentricus horizontem ſtringebat. Medio loco inter zenith & verticem Coronæ ſeu halonis conſpiciebatur iris inverſa, colore rubro in convexitate horizonti obverſa conſpicuo. Diſtabat ſcilicet a vertice halonis 23½ gr. quanta erat ſemidiameter halonis verticalis. Semidiameter iridis, cujus centrum erat in zenith, 21 graduum. Ventus auſtralis partem halonis verſus Occidentem ſitam in figuram ovalem immutabat, ita ut parhelia ægre adhuc conſpicua non amplius in halone, ſed uno circiter alteroque gradu ab eodem remota viderentur. *Patricius Blair* obſervationes quasdam de generatione plantarum exhibet ab hortulano curioſo *Philippo Millero* ipſi communicatas. Obſervavit is, deeſſe ſemini punctum vitæ, niſi imprægnetur farina ſtaminum ſummitatibus adhærente. Cum tamen ex tulipis ſeparato quodam in loco plantatis ſtamina excidiſſent, maxima cautione adhibita, ne quicquam fari-

farinæ intus diſpergeretur; ab apibus eam ex aliis tulipis in easdem deferri vidit, quanta ad fœcundandum ſemen ſufficit. A peponibus cum reſecaret flores, nullum prorſus fructum obtinuit. Negat tamen *Blarius*, ſingulis farinæ globulis ineſſe plantulam ad ſemen deferendam, propterea quod per effluvia florum vicinorum ſemen immutari ſtatuit. *Georgius Graham*, horologiopœus, d. 21 Dec. A. 1721 extraordinariam notavit Mercurii in barometro altitudinem, quæ erat 30. 8½ digitorum; *Jacobus Jurinus* docet, qua cautione opus ſit in examinanda gravitate ſpecifica ſolidorum, ponderatione in aqua facta. Jubet ſcilicet ex poris educi aerem, ut liber pateat aquæ in eos ingreſſus. Aquam, cui immergitur corpus poroſum, ante calefieri jubet, quam ſub vaſe per antliam evacuando collocetur. Monet tamen, aquæ calidæ, non immergi debere corpora ex quibus tinctura extrahitur, & neceſſitatem cautionis exemplo calculorum humanorum probat. *Eduardus Naiſh* Chirurgus deſcribit oſſificationem arteriæ cruralis, quam in viro 67 annos nato obſervavit. *Benjaminus Langwith* d. 17 Dec. A. 1721 iridem vidit horizontalem in rore copioſo. Figura apparebat hyperbolica, vertex oculo obverſus exiguo intervallo ab eodem diſtabat. In vicinia ſeu prope verticem colores erant illuſtriores, quam in remotis crurum partibus ad aliquot centenas perticas protenſis. *Leeuwenhœkius* narrat, quæ de oſculis ſive ſpiraculis foliorum buxi & de lanugine malorum perſicorum & cydoniorum obſervavit. Duodecim buxi oſcula ſibi contigua diametro pili porcini longitudine reſpondere deprehendit, calculoque inito numerum oſculorum, per quæ perſpiratio & exhalatio fit, 344180 in uno folio determinat. Floccos laneos in malis perſicis & cydoneis multitudini oſculorum per cutem diffuſorum numero pares exiſtimat, quippe ex illis effloreſcentes. *Orffyrei* inventum perpetui mobilis primum nunciavimus eruditis in Actis A. 1715 p. 46. Cum tunc temporis in pago prope Cizam ſito curioſis ſpectanda objiceretur machina prorſus ſingularis; inter alios ſpectatores eam cum *Teubero*, viro in rebus mechanicis verſatiſſimo, oculis uſurpavit *Leibnitius* & admiratus eſt. Experimenta ad refellendos obtrectatores ab inventore facta retulimus in Actis A. 1718 p. 497.

p. 497. Edidit anno sequenti *Orffyreus* Cassellis in 4 historiam inventi sui lingua Germanica & Latina sub titulo: *Triumphantis perpetui mobilis Orffyreani*, cujus nullam in his Actis fecimus mentionem, cum relatio anno præcedente 1718 inserta sufficere nobis videretur. Obiter notamus, sub finem illius historiæ in incredulos canere poetam *Lotharium Zumbach de Kœsfeld*, Astronomicis inventis celebrem, Matheseos Professorem Cassellanum, ob ignoratam causam effectum negari non posse contendentem, qui in omnium oculos incurrit. Cum igitur plurimi sibi persuaserint, rotam *Orffyreanam*, quæ motum æquabilem per 14 & plures dies facto experimento continuasse deprehensa fuit, absque ullo impetu extrinsecus accepto, & cujus motus continuati causam a singulari artificio mechanico in structura interna adhibito pendere didicit Serenissimus Hassiæ *Landgravius*, summus *Orffyrei* Mæcenas, rerum mechanicarum ipse expertissimus, cum structuram internam contemplaretur, esse perpetuum mobile vere mechanicum. Cel. *Desagulierius* evincere conatur, falso niti principio eos, qui ex motu gravitatis exemplo *Orffyrei* perpetuum mobile construi posse arbitrantur. Sumunt enim, pondera æqualia inæqualiter ponderare debere, si pondus ascendens minore intervallo removeatur a centro quam descendens. Errant autem, judice Nostro, in eo, quod putent, velocitatem ponderis æstimandam esse ex linea, quam centrum ponderis describit, cum tamen æstimanda sit ex altitudine, per quam ascendit, vel descendit. Rationem vero nullam reddit, cur rota *Orffyreana* absque ullis rotis & elateribus in structura interna adhibitis motum per plures dies absque ulla imminutione continuare potuerit & cur spes nulla superfit, fieri posse, ut per longiorem temporis tractum, immo per omnem, quo structura integra conservatur eundem continuet. Gallus quidam ingeniosus, cui *Du Guet* nomen est, communicavit methodum, navem in mari juxta directionem datam agitandi, etsi ventus non spiret. Inventum ad militem transportandam utile & ratione, & experimento confirmat. *Rowlandus* experimento probat, quod in fluviis multipliori possint ostreæ maximo numero, si aliquot centena eidem committantur. Experimentum, quod laudat, est octo vel novem

anno-

annorum, cumque exiguo fundi spatio fuerint commissæ ostreæ circiter trecentæ vel quadringentæ a quodam Nobili, hoc tempore sese jam diffuderunt per aliquot milliaria Anglica. Diffusionis causam allegat fluxum & refluxum, quem patitur flumen ob viciniam maris.

CONTINUATIO MATERIÆ DE TRAJECtoriis reciprocis; imprimis de PANTOGONIA, quæ pro diversa axis positione se ipsam in quovis angulo dato constanter secat: Item determinatio alterius reciprocæ algebraicæ omnium post primam simplicissimæ. Conf. Act. Erud. 1722, 1723, 1724, 1725. Autore JOH. BERNOULLI.

§. 1.

QUanquam ab aliquot annis multa & varia hinc inde in lucem prodierunt ad problema Trajectoriarum spectantia, jucunda non minus quam utilia; multum tamen abesse existimo, quo minus fœcundam istam materiam omnino exhaustam esse credamus. Meæ multiplices solutiones, analyses, constructiones, demonstrationes, annotationes & quæ alia in eam rem faciunt, legi possunt in Actis Lipſ. quibus ansam dedit velitatio illa sat diu me inter & Anonymum Britannum, in hunc usque diem mihi ignotum, intercedens.

§. 2. Is cum vidisset, me sibi identidem provocanti aliaque post alia de novo proponenti nunquam defecisse, destitit tandem ab importuna compellatione abrupitque commercium litterarium, haud quidem mihi valde gratum, quia nesciebam quo cum genere viri mihi res esset, a quo tamen commercio non abhorruissem, si non perrexisset nomen suum pertinaciter celare. Ut enim quod res est libere dicam, parum videbatur gloriosum decertare cum ignoto, quem si viceris nihil tibi proderit victoria, cum nescias a quo palmam repetere liceat, sin aliter evenerit ut succumbas, in triumpho te ducere non cunctabitur Victor, apud Anglos præsertim, ubi quamplurimi sunt, qui immani odio & invidia flagrant in exterorum virtutes & merita. Aliam certe

causam, cur Anonymus noster aperto Marte pugnare defugerit, nullam video, quam ut posset aut tuto vincere aut impune vinci.

§. 3. Monebat quidem, ut verum suæ mentis propositum dissimularet, sibi non fuisse in animo, mecum inire certamen; interim eodem in loco urget, se invenisse mirabilem aliquam curvam, ejus naturæ ut illa sit trajectoria reciproca non tantum pro uno angulo dato, sed pro infinitis aliis, prout alius atque alius in illa assumatur axis *inversionis*, quo nomine voco rectam illam, circa quam curva inverso situ posita & hinc inde mota, altera alteram constanter in angulo dato secat. Subindicabat simul Noster in litteris d. 22 Febr. 1723 datis, hoc quod tanquam solutu difficillimum credebat, *a se mihi proponi potuisse, si me tentandi animum habuisset*. At haud ægre olfaciens sub istis verbis latere tacitam provocationem, applicui animum e vestigio ad illud quicquid erat problematis solvendum; quod cum brevi feliciter enodassem, perscripsi sine mora me totum detexisse mysterium & demonstrare posse id quod ipse sine analysi & demonstratione communicaverat; atque ne dubitaret adjeci quædam observata, ex quibus certo concludere potuisset, non vanum esse quod asserebam.

§ 4. Ille non contentus mea demonstratione novos movit scrupulos, dubitans scilicet in responsoria epistola d. 13 Maji scripta, utrum ego præter nudam quam dederam demonstrationem suæ propositionis invenerim quoque solutionem & solutionis fundamentum; *alia*, inquit, *res est propositionis demonstrationem videre, alia vero fundamentum, unde inventa sit, percipere.* Indignabar nonnihil, ut verum fatear, eam adversarii morositatem, quam nemo alius paulo tantum æquioris animi habuisset: Ideoque invitis negotiis, quibus nos in publica statione constituti nunquam non distinemur, accinxi me protinus ad exarationem prælongæ epistolæ die 17 Julii 1723 dimissæ ad Antagonistam multo ut apparet otio abundantem, in qua ut ulterioribus altercationibus ansam præciderem, omnia capita minutissime exposui, ex quibus cernere posset me certo ad ima usque novi hujus problematis fundamenta penetrasse, aliaque multa communicavi.

III.
I.

X p. 267.




Fig. 1.






Fig. 6.




Fig. 3.

cavi & monui generatim spectantia ad rem nostram de Trajectoriis reciprocis: hac tamen addita seria declaratione, *nullas illi in posterum abs me expectandas esse litteras, si me diutius ignorare sineret nomen suum.*

§. 5. Sive igitur nihil amplius habuerit quod reponeret, sive quod maluerit silere quam se, quis esset, notum facere, sive, ut probabile est, utrumque sit silentii causa, ab eo nihil ulterius responsi loco in hunc usque diem vidi. Quare nunc lubet cum publico communicare principaliora ex Epistola illa mea ad Anonymum postremo data, & quædam admiscere ad illustrationem eorum quæ obiter tantum tetigeram; inservient ad notitiam curiosorum partim, partim ad analyseos parum hactenus usitatæ perfectionem. Quod inter cetera eo lubentius facio, quia observare licuit, Anonymum nostrum hanc materiam intricate magis quam accurate pertractasse in longo suo atque intellectu perquam difficili & obscuro schediasmate, quod in Actor. Erud. Supplem. Tomo VIII, extat excerptum ex Transact. Londin. Quantum præsertim attinet ad descriptionem illius trajectoriæ reciprocæ (quæ *Pantogonia* vocari potest) ea proprietate gaudentis, ut infinitos habeat axes inversionis inter se parallelos, adeoque problemati satisfaciat non pro uno tantum angulo dato sed pro infinitis aliis datis pro lubitu, assumto nimirum alio atque alio axe ut casus exigit: hujus descriptionis, quam dat Noster in præfato Supplem. Tomo VIII pag. 253 vix aliquod certæ analyseos vestigium videre est. Non itaque ingratum spero me facturum perspicuæ methodi Amatoribus, si rei fundamentum ipsamque qua usus sum analysin, prout eam Antagonistæ meo ante 4 abhinc annos perscripsi, hoc loco aperuero.

§. 6. *Problema.* Invenienda & construenda est super recta positione data AC (Fig. 1) linea curva ABC, quæ conversa circa quamcunque perpendicularem ad AC, ex. gr. circa FN, & deinde ultro citroque mota, motu parallelo ipsi FN, se ipsam semper secet in angulo constanti qui duplus erit anguli AFN; atque ita si circa axem alium ex. gr. DL invertatur curva ADC, ut sit angulus intersectionis perpetuo duplus anguli ADL &c. *Præparatio ad solutionem.* Sit AC recta abscissarum, TAB. III. Fig. 1.

in qua nempe concipio sumi abscissas AL, AM, AN, AO, AP, AQ &c. in progressione arithmetica, ita ut applicatæ LD, ME, NF, OB, PG, QH &c. æquali a se invicem distent intervallo. Hinc per ea quæ explicavi in Actis Lips. 1722 p. 398 §. 1 & 2, assumta EM pro axe inversionis, id curandum est, ut angulus ADL + ang. AFN fiant = 2 ang. AEM, hoc est, ut tres anguli ADL, AEM, AFN sint continue arithmetice proportionales. Porro si jam FN debeat esse axis inversionis, oportebit pariter tres angulos AEM, AFN, ABO procedere in continua proportione arithmetica; idem concludetur de tribus AFN, ABO, AGP, item de tribus ABO, AGP, AHQ, & sic deinceps. Unde liquet totam seriem angulorum ADL, AEM, AFN, ABO, AGP, &c. quousque libuerit continuatam formare progressionem arithmeticam, dum & abscissæ AL, AM, AN, AO, AP, &c. talem progressionem observant. Unde statim perspicitur, ad investigandam quam petimus curvam, nihil aliud agendum esse, quam ut assumto ubivis puncto R pro initio abscissarum determinetur qualis sit curva ABC, cujus abscissa quælibet RM sit directe proportionalis angulo sibi correspondenti AEM, quem facit applicata EM cum tangente in puncto E.

§. 7. *Solutio & Constructio.* Problema huc reductum solvitur per vulgarem calculum differentialem ducitque simul ad sequentem constructionem quæ eadem opera analysin monstrat: Primo manifestum est, abscissas RM, ut comparari possint cum suis respectivis angulis AEM, eorumve potius mensuris, supponendas esse æquales arcubus alicujus circuli ad arbitrium assumti: sit itaque recta RT assumtæ longitudinis = 2 quadrant. peripheriæ alicujus circuli $\alpha\gamma$ (Fig. 1 & 2) cujus centrum ζ; intelligatur arcus indeterminatus $\alpha\varepsilon$ cui æqualis supponatur abscissa RM; sitque radius $\alpha\zeta = a$, tangens $\alpha\delta = t$, sinus $\varepsilon\epsilon = x$, cosinus $\zeta\epsilon = y = \surd(aa - xx)$, arcus $\alpha\varepsilon = s = RM$, $ME = u$, cui proxima sit applicata me; erit $Mm = ds = aadt : (aa + tt) = adx : \surd(aa - xx) = -ady : \surd(aa - yy)$, $ne = du$. Ut igitur anguli AEM proportionales fiant abscissis RM, hoc est, arcubus $\alpha\varepsilon$ vel angulis $\alpha\zeta\varepsilon$, possum supponere angulum AEM seu Een esse æqualem angulo $\alpha\zeta\varepsilon$ vel cuivis ejus multiplo submultiplove;

sup-

supponamus ergo statim $Een = \alpha\zeta\epsilon$, erit $En, ne :: \alpha\delta, \alpha\zeta$, hoc est, $ds. du(:: \frac{aadt}{aa+tt}. du) :: t. a$, vel, si mavis, erit $En. ne :: \epsilon\epsilon. \epsilon\zeta$, seu $ds. du (:: \frac{adx}{\sqrt{aa-xx}}. du) :: x, \sqrt{(aa-xx)}$ vel etiam $ds. du (:: \frac{-ady}{\sqrt{aa-yy}}. du) :: \sqrt{(aa-yy)}. y$; ex prima analogia habetur $du = a^3 dt : (aat + t^3)$, ex altera fit $du = adx : x$, ex tertia denique est $du = -aydy : (aa-yy)$. Hinc cognosco curvam quaesitam ABC describi, si facta abscissa $= RM =$ arcui $\alpha\epsilon$ sumatur applicata ME seu $u = c + \int a^3 dt : (aat + t^3)$, vel $= c + \int adx : x$, vel $= c + \int -aydy : (aa-yy)$; per c intelligo quantitatem constantem arbitrariam.

§. 8. Trium horum modorum medius dat accurate constructionem Anonymi nostri, reliqui duo, etsi in expressione diversi, cum eodem tamen coincidunt, supponuntque omnes tres quadraturam hyperbolae vel (quod in praxi longe facilius & concinnius est) logarithmos; sumta enim a pro unitate, fit $\int a^3 dt : (aat + t^3) = \log. t : \sqrt{(aa+tt)} \int adx : x = lx : a$, & $\int -ady : (aa-yy) = l\sqrt{(aa-yy)} : a$. Hos autem omnes valores esse inter se aequales patet ex eo quod $t. \sqrt{(aa+tt)} :: x. a :: \sqrt{(aa-yy)}. a$.

§. 9. In his ita expositis consistit tota solutio & solutionis fundamentum; interim volebam ulterius progredi, quia liberum est statuere angulum Een aequalem non tantum simplici angulo $\alpha\zeta\epsilon$ sed cuivis ejus multiplo, hunc in finem ita procedebam: statuatur angulus $Een = 2$ ang. $\alpha\zeta\epsilon$, erit (quia tangens dupli anguli $\alpha\zeta\epsilon = 2aat : (aa-tt)$ ut calculum facienti patebit) $En. ne :: ds. du (:: \frac{aadt}{aa+tt}. du) :: 2aat : (aa-tt). a$, adeoque $du = (a^3 - att) dt : (2aat + 2t^3)$; facta igitur rursus abscissa $RM =$ arcui $\alpha\epsilon$, capiatur applicata ME seu $u = c + \int (a^3 - att) dt : (2aat + 2t^3)$, orietur etiam hoc modo curva quaesita ABC.

 §. 10. Sta-

§. 10. Statuam porro angulum $Een =$ triplo angulo $\alpha\zeta\varsigma$, cujus tangens $= (3aat - t^3) : (aa - 3tt)$; erit nunc $ds. du$ $(:: \frac{aadt}{aa+tt}. du) :: (3aat - t^3) : (aa - 3tt). a$, unde $du = (a^3 - 3a^3tt)dt : (aa+tt) \times (3aat - t^3)$. Et sic facta semper $RM =$ arcui $\alpha\varsigma$, fiat applicata $ME = c + \int (a^3 - 3a^3tt) dt : (aa+tt) \times (3aat - t^3)$, describetur iterum curva optata ABC. Eodem ritu possum pergere, ponendo angulum $Een =$ quadruplo aut alii cuivis multiplo submultiplove anguli $\alpha\zeta\varsigma$, & sic semper obtinebo diversam expressionem pro applicata ME, cui negotio inservit formula generalis quam exhibui in Actis Lipf. 1722 p. 367. & jam antea in iisdem 1712 p. 330 pro inveniendis tangentibus arcuum multiplorum ex tangente arcus simpli.

§. 11. Videtur prima fronte, omnes istas diversas expressiones applicatæ ME non posse non totidem diversas generare curvas ABC, sed re paulo penitius inspecta & ad calculum differentialem revocata, protinus liquet illas curvas esse omnes inter se easdem vel potius similes. Unde hoc emergit paradoxum, omnes has formulas $\int a^3 dt : (aat + t^3)$, $\int (a^3 - att) dt : (2aat + 2t^3)$ $\int (a^3 - 3a^3tt) dt : (aa+tt) \times (3aat - t^3)$ &c. per solas areas hyperbolicas vel quod perinde est per meros logarithmos integrari, adeoque nihil, ut alias in hujusmodi fractionibus rationalibus plerumque fit, absolute integrabile vel reducibile ad arcus circuli in illis comprehenditur, quod *a priori* invenire, res forsan esset difficilioris indaginis.

§. 12. Ceterum patet curvam nostram ABC habere duos ramos BA & BC similes & æquales: sumta enim in prima constructione (vid. §. 7 & 8) $RO =$ quadranti $\alpha\varsigma\gamma$ erit angulus ABO rectus, sumtisque punctis M & Q æqualiter a puncto O distantibus erunt anguli AEM & CHQ æquales inter se, quanto enim AEM recto minor, tanto etiam ex natura curvæ angulus AHQ recto est major, & præterea $ME = QH$, nam utraque $= c + lx : a$, vel (ob $a = 1$) $= c + lx$. Patet insuper curvam duas habere asymtotos RS & TV parallelas applicatis; nam in punctis R & T, est $\varsigma\varepsilon$ seu $x = 0$, ideoque $lx = l0 = -\infty$; id est applicatæ

prima

prima & ultima R S & T V sunt infinitæ in partes aversas ducendæ, quæ proinde habent naturam asymtôtorum.

§. 13. Ne curiosus Lector opus habeat longa disquisitione ad indagandum per quam viam ad enodationem propositi hujus problematis pervenerim; operæ pretium erit ipsam quoque analysin in illius gratiam hic opponere, quæ monstrabit, unicam tantum dari curvæ speciem problema solventem: quia ceu supra vidimus in fine §. 6 curvæ natura postulat, ut angulus AEM seu Een (Fig. 1) sit proportionalis RM, erit etiam elementum anguli Een, hoc est, Een − AEM proportionale elemento abscissæ Mm. Sit itaque $RM = z$, $ME = u$, data recta arbitrariæ longitudinis $= a$, atque ponamus, quod liberum est, elementum applicatæ du constans: erit, quemadmodum in Analysi infinite parvorum docetur, ang. Een − ang. AEM $= duddz:(du^2 + dz^2)$, faciendum ergo est, curvæ natura id exigente, $duddz:(du^2 + dz^2) = dz:a$, quæ æquatio licet sit differentialis secundi gradus, reduci potest ad aliam primi gradus, introducendo novam indeterminatam t, ponendo nempe $dz = tdu:a$, adeoque $ddz =$ (ob du constantem) $dtdu:a$; quibus substitutis, mutabitur $duddz:(du^2 + dz^2)$ in $adt:(aa + tt) = dz:a$, seu $aadt:(aa + tt) = dz$. Quare assumta tangente $\alpha\delta$ pro t, & radio $\zeta\alpha$ pro a, erit arcus $\alpha\beta = \int aadt:(aa + tt) = z$. Ut vero etiam determinetur u seu applicata ME; notetur, quia $dz = tdu:a$ seu $du = adz:t =$ (substituto valore ipsius dz) $a^3dt:(aat + t^3)$, fore $u = a^3\int dt:(aat + t^3) = a\int dt:a - a\int tdt:(aa + tt) = alt - al\sqrt{(aa + tt)} = alt:\sqrt{(aa + tt)} =$ (sumta a vel $\zeta\alpha$ pro unitate) $l(\alpha\delta:\zeta\delta)$. Dico itaque, si describatur curva, cujus abscissa sit æqualis arcui $\alpha\beta$ (Fig. 2) & applicata sit $= l(\alpha\delta:\zeta\delta)$, hanc curvam esse quæsitam. Tab. III. Fig. 2.

§. 14. *Constr.* ex hac analysi non tantum fluit constructio illa, quam supra § 5 dedimus & quam dedit quoque Anonymus, sed & hæc altera inde deducitur per logarithmos procedens longe facilior & concinnior: sit quadrans circuli $\alpha\beta\gamma$ (Fig. 3) cujus centrum ζ, tangens indefinita αB. Producta $\alpha\zeta$ versus V, super ea tanquam asymtoto describatur logarithmica γST transiens per γ, cujus subtangens sit æqualis radio $\zeta\gamma$: jam per quodlibet Fig. 3.

libet punctum ϛ in quadrante assumtum agatur asymtoto paral- lela ϛS occurrens radio $\zeta\gamma$ & logarithmicæ in punctis R & S; tum ad abscissam αM factam æqualem arcui αϛ applicetur ME æqualis ipsi RS: dico punctum E fore in curva optata BEG.

§. 15. *Demonstr.* Demisso perpendiculo ϛe & ducta per ϛ secante ζϛδ, quæ repræsentant easdem lineas ϛe & $\zeta\delta$ in fig. II liquet RS esse logarithmum ipsius Rζ vel ϛe; quia vero $\zeta\gamma$ seu ζϛ sumitur loco unitatis erit RS logarithmus rationis eϛ : ζϛ, hoc est, $\alpha\delta : \zeta\delta$, quare cum AM sit = arcui αϛ, & ME = RS = l ($\alpha\delta : \zeta\delta$) erit punctum E in curva BEG, quæ habebit conditionem in analysi inventam; ergo BEG est curva quæ petebatur. Q. E. D.

§. 16. *Coroll.* Cadente puncto ϛ in γ, ita ut arcus αϛ fiat = quadranti αϛγ, erit & ipsa αM quæ jam est αB = αϛγ, & RS vel ME = o. Abeunte vero ϛ ultra γ, ita ut arcus αϛ tanto jam major fiat quadrante, quanto antea minor erat, manifestum est easdem recurrere applicatas RS vel ME, dum interim abscissa αM tanto excessu superat αB quanto prius ab eadem superabatur: unde palam est curvam GEB continuari ultra B in alium ramum priori GEB omnino similem; quod quidem supra (§. 12) alio modo jam demonstratum fuit, sicuti & id quod curva habeat duas asymtotos parallelas, quandoquidem existente arcu αϛ = o, vel = 2 quadrant. inde fit RS vel ME = $\zeta\gamma$ vel $\alpha\gamma$ quæ est infinita.

§. 17. *Scholium* I. Ex eo quod in §. 13 per analysin nostram invenimus unam tantum æquationem differentialem a dt : (aa + tt) = dz : a, quæ sane primi est gradus, merito conclusimus, nonnisi unicam dari curvæ speciem, quæ optatum effectum præstare possit, quia si aliæ præterea darentur curvæ ab inventa diversæ, hæ non potuissent subterfugere analysin, quippe quæ, cum fuerit instituta ad problematis conditionem, comprehendere utique debet omnes quæ ei satisfaciunt curvas. Interim aliter videtur concludendum esse per ea quæ dedi in Actis Lips. 1722 p. 406 §. 15, ubi demonstravi ex una eademque trajectoria reciproca generari infinitas alias natura diversas: ut si ex. gr. ABC (Fig. 4) sit trajectoria reciproca, ex cujus quolibet puncto Γ ducta intelli-

TAB. III. Fig. 4.

gatur

gatur recta Γ K axi inversionis parallela & æqualis arcui B Γ, sumto initio B ubicunque libuerit (eo enim licet mutato, eadem tamen semper generatur curva R B K) ostensum est in loco allegato punctum K esse in nova trajectoria reciproca R B K, quæ cum priori communem habebit axem inversionis & in situ inverso se intersecabit in angulo constanti, dimidio nempe ejus in quo prior A B C se inversam secat; quando igitur proposita A B C gaudet natura *Pantogoniæ*, hoc est, ut habeat infinitos axes inversionis, circa quos singulos conversa se intersecat in alio atque alio angulo constanti, facile intelligitur, etiam alteram inde generatam R B K necessario esse Pantogoniam: quid autem? annon curva R B K est speciei omnino diversæ ab ea cujus est A B C? ita est profecto, generaliter loquendo; nam qualiscunque sit A B C, altera R B K ab ea valde differet & plerumque toto genere, quod vel ex eo intelligi potest, quia si curva A B C sit algebraica, erit R B K transcendens, nisi forte, quod rarissimum, A B C sit rectificabilis, sic ex. gr. A B C existente circulo, orietur inde R B K Cyclois. Hoc cum ita se habeat, videtur utique non unam tantum speciem trajectoriæ reciprocæ pantogoniæ A B C dari, sed aliam quoque quæ eo quo dictum est modo ex prima describitur R B K, & postea ex hac tertiam, ex tertia quartam, & ita infinitas alias. Verum enim vero, quod singulare hic est, & præter expectationem accidit, omnes illæ curvæ sunt similes ejusdemque adeo naturæ & speciei. Hinc sequens fluit Theorema, quod ita enuncio:
„Sit curva A B C pantogonia, qualem supra §. 1 construxi & inde alia descripta R B K, quæ fit ducendo Γ K, asymtotis R S, θ V „parallelam & æqualem arcui B Γ; dico duas illas curvas esse „similes.

§. 18. *Demonstr.* Capiatur punctum B pro initio arcuum resecandorum B Γ in vertice principali curvæ A B C, jam enim monuimus eandem curvam R B K generari quocunque in loco initium B sumatur; sit R punctum in quo genita R B K occurrit asymtoto R S, quod ibi erit ubi filum, quod ramo B A in infinitum continuato circumplicatum concipitur, sui evolutione tandem super incidens asymtoto S R pertingit ad R. Ex R & B erectis ad asymtotas perpendiculis R θ, B T; ductisque ubilibet duabus applicatis proximis Z K, ζ k, quæ secent rectam B T & curvam

 B Γ C

$B\Gamma C$ in punctis L, Γ & λ, γ; abscindantur ex TB duæ abscissæ proximæ TI, Ti quæ sint dimidiæ ipsarum $\theta Z, \theta\zeta$ atque in punctis I, i, applicentur IH, ih: quare si intelligantur lineolæ Ko, hn, elementis abscissarum $Z\zeta$, Ii parallelæ ideoque etiam æquales, erit $ko = 2hn$, quia $\theta Z = 2TI$ & $\theta\zeta = 2Ti$ proinde $\zeta Z = 2Ii$. Cum vero ex natura curvæ BHC, est TI ad TL, ut angulus nHh ad angulum $L\Gamma\gamma$, erit angulus $L\Gamma\gamma$ duplus anguli nHh, & cum etiam per ea quæ demonstravi in Actis Lipſ. 1722 p. 406 §. 17, idem angulus $L\Gamma\gamma$ duplum sit anguli oKk, erit utique ang. $oKk = nHh$: hinc triangulum oKk simile est triangulo nHh, ideoque $oK = 2nH$, & summa omnium oK, hoc est, $ZK = 2$ sum. omnium nH, hoc est, $= 2IH$. Unde sequitur $\theta Z, TI :: 2.1 :: ZK, IH$, id quod arguit curvas RBK & BHC esse similes, atque priorem RBK longitudine duplam esse alterius $B\Gamma H$ Q.E.D.

§. 19. *Scholium* 2. Alter curvæ ramus pertinens ad RBK, huicque contiguus, sicuti BA contiguus est ipsi BC, describitur infra asymtoton RS per curvam quæ ipsius ABC est conjugata & infra RS existere intelligenda, situm habens respectu asymtoti similem priori ABC; ita ut quælibet medietas RBK ad sui generationem requirat integram curvam ABC, cujus pars una dimidia BHC dat BKD, altera BA dat BR, quæ cum BKD unam tantum medietatem RBD constituit; illa nimirum BKD fit prolongando applicatam $L\Gamma$ ad K; hæc vero BR, retroagendo applicatam lG ad P, ita ut utrobique sint ΓK, GP suis respectivis arcubus $B\Gamma$, BG æquales.

§. 20. *Scholium* 3. Id quoque notatu non omnino indignum est, Trajectoriam nostram pantogoniam se ipsam in alio quocunque axis situ ad angulum constantem secare, modo alius is situs axis cum priori parallelismum servet, etiamsi planum curvæ non invertatur, ut in aliis trajectoriis reciprocis fieri debet: Constituatur scilicet ejus quælibet portio GHC (Fig. 5) in situm gHc, ita ut axis GP jam habeat positionem gp priori parallelam, curvæque convexitas altera alteri non sit opposita, sicuti in reciprocis, sed eandem utrobique respiciat partem; dico si feratur alterutra motu parallelo secundum rectam GP vel gp, fore perpetuo interſectionis angulum cHC eidem constanti æqualem. Hujus rei veritas patet ex hoc quod ob similitudinem utriusque rami

TAB. III. Fig. 5.

BHC

B H C & B G A (Fig. 4) situs inversus totius curvæ A B C non differt a situ directo; quocirca si concipiamus portiones C H G, cHg (Fig. 5) continuari in curvas integras, potest altera respectu alterius considerari tanquam inversa, quæ proin se mutuo decussabunt in angulo invariabili. Q. E. D. Tab. III. Fig. 4.5.

§. 21. *Coroll.* Hinc trajectoria nostra pantogonia talis est, quæ problemati satisfacit pro omni possibili intersectionis angulo, sive situm habeat inversum circa communem axem, sive in eodem relinquatur situ, mutata tantum positione axis in aliam parallelam: quæ proprietas, pariter ut prior illa, in nullam aliam curvam cadere potest. Sed de pantogonia satis.

§. 22. Quemadmodum his ceterisque hactenus explicatis, quæ cum Anonymo maximam ad partem communicaveram in Epistola illa 17 Julii 1723, super omnibus punctis ad me tentandum prolatis, ex asse satisfactum est, ita sperabam fore, ut ille vicissim præstaret quod jure talionis ab eo exigebam, eoque magis quod nihil proposuerim solvendum quam quæ sponte enata sunt ex ipsius ejus problemate de invenienda Trajectoria reciproca algebraica omnium alegebraicarum simplicissima. Postquam enim hoc protinus solvissem & solutionem ei sine mora transmisissem, primo sub anagrammate, deinde per apertam explicationem anagrammatis addita constructione ab ipsomet approbatam, quam vide sis in Actis Lipsf. 1724 Mens. Jul. & postquam tandem ejusdem constructionis dedissem in iisdem Actis 1725 M. Julio Demonstrationem una cum Analysi quæ me deduxerat ad parabolam Cubicalem secundam tanquam ad curvam quæsitam; subnexui ad calcem mei schediasmatis p. 325 novum problema vel potius prioris soluti continuationem, invitans Anonymum, qui me jam toties tentaverat semperque paratum & obsequentem deprehenderat, ut versa tandem vice responderet ipse quoque ad problema his verbis propositum: *Quæro ab eo, ut det aliam trajectoriam reciprocam algebraicam, quæ sit inter omnes, quas invenire potest in ordine simplicitatis secunda, utque exhibeat æquationem inter coordinatas naturam curvæ quæsitæ exprimentem.* Cum vero jam per biennium servet altum silentium, ex quo nihil boni ominandum, mearum esse partium duco silenti succurrere; en ergo solvendi modum.

 §. 23.

§. 23. Quandoquidem Parabola cubicalis secunda, quæ ut vidimus simplicissima est inter algebraicas problema solventes, occupat locum in tertio ordine Linearum algebraicarum, utpote cujus natura exprimitur æquatione inter coordinatas ad tres dimensiones ascendente; inquirendum est, an aliqua detur Linea ex quarto ordine, quæ habeat qualitatem Trajectoriæ reciprocæ, talis enim si erui possit, erit utique illa post parabolam præfatam omnium simplicissima, nisi forte, de quo tamen ob gravissimas rationes dubito, plures problema solventes in eodem ordine quarto existant, quæ ideo non forent simpliciores, sed tantum eadem simplicitate gaudentes: suffecerit ergo vel unicam dedisse ex hoc Ordine, ad cujus indagationem non alia usus sum methodo, quam quæ generalis est & a me primum explicata in Actis Lipſ. 1722, M. Aug. ubi eam tantum adhibui circumspectionem, quæ ad electionem æquationis differentialis inter coordinatas earumque elementa spectat, ut integrando prodiret æquatio algebraica præ aliis simplicitate enitescens; qua ratione apparet, rem esse meræ sagacitatis, quam quilibet in sublimiori analysi versatus habere potest, si probe attentus esse velit.

§ 24. Computi processus, quem institui, ita se habet: ex §. 3 p. 398 Actorum modo memoratorum 1722 liquet, proprietatem characteristicam trajectoriarum reciprocarum in eo consistere, ut

TAB. III. Fig. 6. *sumtis,* (Fig. 6) *in utramque partem a communi initio abscissarum O (per quod nimirum axis inversionis OS transit) abscissis æqualibus OL, OM, rectangulum sub elementis utriusque applicatæ æquetur quadrato elementi alterutrius abscissæ, hoc est, ut Bc × dn sit = □ Ll vel □ Mm.* Sit OL = x, Ll = dx, adeoque OM = −x, Mm = −dx; & sit LB vel MD = y, cB vel nd = dy. Præterea duæ constantes quædam rectæ arbitrariæ a & b: ex his formo hanc æquationem differentialem integrabilem $dy = \frac{(ab+2xx)dx}{ab} + \frac{2xdx\sqrt{(ab+xx)}}{ab}$, quam tribuo relationi inter elementa coordinatarum OL, LB; ea ut inserviat coordinatis ab opposita parte sumtis, scribendum est $-x$ & $-dx$ pro x & dx, & habebitur $dy = \frac{-(ab+2xx)}{ab} + \frac{2xdx\sqrt{(ab+xx)}}{ab}$. Ducendo itaque cB seu $(ab+2xx)dx : ab + 2xdx\sqrt{(ab+xx)} : ab$ in nd seu

−(ab

$-(ab+2xx)dx : ab + 2xdx \surd(ab+xx) : ab$, erit $ndxcB = -dx \times dx = Mm \times Ll =$ □ Ll vel □ Mm. unde ſequitur æquationem noſtram aſſumtam differentialem $dy = (ab+2xx)dx : ab + 2xdx \surd(ab+xx) : ab$ habere conditionem requiſitam, ut ſit ad aliquam Trajectoriam reciprocam.

§. 25. Videamus nunc, quænam inde eliciatur æquatio algebraica: quia $\int(ab+2xx)dx = abx + \frac{2}{3}x^3$, & $\int 2xdx \surd(ab+xx) = (\frac{2}{3}ab + \frac{2}{3}xx)\surd(ab+xx)$; integrabilis ſane erit æquatio $dy = (ab+2xx)dx : ab, + 2xdx \surd(ab+xx) : ab$; integretur ergo & habebitur hæc æquatio algebraica $y = (abx + \frac{2}{3}x^3) : ab, + (\frac{2}{3}ab + \frac{2}{3}xx)\surd(ab+xx) : ab$, vel multiplicando per $3ab$, hæc $3aby = 3abx + 2x^3 + (2ab+2xx)\surd(ab+xx)$. Poſitis vero rationalibus terminis ad unam, & irrationali ad alteram partem, erit $3aby - 3abx - 2x^3 = (2ab+2xx)\surd(ab+xx)$, ſumtoque utriusque membri quadrato, ut aſymmetria tollatur, emerget $9aabbyy - 18aabbxy - 12abx^3y + 9aabbxx + 12abx^4 + 4x^6 = 4a^3b^3 + 12aabbxx + 12abx^4 + 4x^6$. Deletis delendis totaque æquatione ad o reducta, ut moris eſt, lucrabimur æquationem deſideratam $4aabb - 9abyy + 18abyx + 3abxx + 12yx^3 = 0$, cujus ultimo in termino $12yx^3$ cum indeterminatæ ſimul ad quartam dimenſionem aſcendant, erit illa ad Lineam algebraicam quarti ordinis, adeoque hæc ipſa dabit Trajectoriam reciprocam omnium algebraicarum ſimpliciſſimam poſt Parabolam cubicalem ſecundam. Q. E. I.

§. 26. *Schol.* 4. Qui ulterius hanc materiam excolere voluerit, poterit iisdem veſtigiis hic indicatis inſiſtens vires ſuas explorare in venandis aliis trajectoriis reciprocis ex ſequentibus Linearum ordinibus, rem enim non eſſe impoſſibilem ex iis cognoſcere eſt, quæ præſtitit feliciſſimi ingenii Juvenis Leonhardus Eulerus, a cujus ſagacitate & acumine maxima quæque nobis pollicemur, poſtquam vidimus quanta ille facilitate & ſolertia in adyta ſublimioris Geometriæ noſtro auſpicio penetravit. Is quippe, ſicuti ſignificavit in Actis Lipſ. ſuperioris A. 1726 p. 363 hanc calcans viam ex quolibet altiori ordine Linearum unam ſaltem trajectoriam reciprocam eruendi methodum feliciter detexit, cur vero eam hucusque preſſerit ratio eſt, quia Anonymo noſtro nolebat præripere ſufficiens tempus reſpondendi ad propoſitam ſibi quæſtionem,

nem, ad cujus enodationem tanto magis obligabatur Anonymus, quod ipsemet, suo exemplo, proponendi ansam dederat.

PETRI ZORNII BIBLIOTHECA ANTI-quaria & exegetica in Scripturam S.
Tomi I Pars IV---X.

Francof. & Lipsiæ 1725, 8.
Alph. 2 pl. 12.

POsteaquam A. 1726 *p.* 44 tres priores hujus operis Partes recensuimus, nunc subsequentes perlustrabimus, libros eos nominaturi, e quibus Cl. Autor excerpsit, quæ illustrando sacro Codici inserviunt. Primo igitur Parte IV, V & VI *Fortunii Liceti* librum *de Annulis antiquis* contemplatur, eoque duce aliquot V. T. loca, quibus servorum perforatas & annulatas aures habentium fit mentio, interpretatur, e. g. *Ps. LXXXIV, 11*, cujus loci hanc exhibet paraphrasin: *Malo sub quavis conditione, etiam servitio perpetuo addictus, non servi atriensis, sed vel mediastini loco habitus, in Dei domo ætatem transigere, quam apud homines impios libertate largissime fruens versari.* Hinc e *Salmasii Specimine confutationis animadversionum Desiderii Heraldi* explicat locum *Apocal. V, 1*, ubi memoratur βιβλίον γεγραμμένον ἔσωθεν καὶ ὄπισθεν. Tum e *Stephani le Moyne Epistola de Dodone* occasionem capit lucem affundendi difficillimo loco *Hebr. XI, 37*, quem quidem in mendo cubare credit, & pro ἐπειράσθησαν rescribendum censet ἐπράθησαν, *venditi sunt*. Sequitur *M. Meibomii de Fabrica triremium* liber, e quo plura repetuntur ad illustrandum τὸ ἑτεροζυγεῖν, quod 2 *Corinth. VI*, 14 exstat; *Lucæ Holstenii* epistola *de verubus Dianæ appositis*, e qua duorum locorum integritas defenditur, in quibus illorum *verum* fit mentio apud Minucium Felicem & Prudentium; *Guil. Saldeni* Dissertatio *de calculo albo*, illustrans *Apoc. II, 17*, cui tamen non subscribit Cl. Zornius, sed innui putat initiatis dari solitum album calculum, cui novum nomen inscriptum, quod præter accipientem nemo intelligeret. Hinc e *Jo. Lud. de la Cerda Scholiis ad Psalterium Salomonis* producit interpretationem verbi παραδειγματίζω *Matth. I, 19*, qua tamen rejecta substituit meliorem; e *Jac. Gronovii Spelæo Mithræ* aliquot N. T. illustrat, quibus respici videntur sacra Mithriaca; e *Lipsii* libro *de Vesta & Vestalibus* differit de igne perpetuo populi sacri *Lev. VI, 3*. Pergit inde ad *Steph. Morini* Dissertationem *de sale*

sale adspergi solito super urbium dirutarum ruinas, quam adhibet inter alia ad explicandum locum *Marci IX, 49: Omnis oblatio sale salietur*; ad *Chiffletii Explicationem tituli sepulcralis Geminiæ*, cujus tamen sententiam de causa, cur ethnici defunctis quietem sint precati, repudiat, ac certiorem profert; ad *Catalogum Musei antiquarii Sam. Veyrelii*, e quo excerptam exhibet plerorumque rituum Pontificiorum cum ritibus priscis ethnicorum convenientiam; denique ad *Hieron. Mercurialis* libellum *de accubitu, triclinio, & Maria Magdalena*, eaque hinc producit, quibus perspicuus redditur *Lucas cap. VII, 38.* Parte VII, VIII & IX occurrit primo loco *Petri Morestelli Pompa feralis*, quo in libro clariora redduntur, quæ sacris in libris relata legimus de unctione mortuorum, deque eorum ablutione, de tibiarum usu in funeribus, de vestibus scissis lugentium, de mortuis extra urbem sepultis, & alia hujus generis. Offert se hinc *Sebast. Fæschii* Epistola *de nummo Pylæmenis, Paphlagoniæ Regis*, qua de multorum Principum cognomento Ευεργέτης differitur, adeoque illustrantur hæc Christi verba *Luc. XXII, 25: οἱ ἐξουσιάζοντες Ευεργέται καλῦνται.* Incidimus inde in *Jac. Lydii* disquisitionem *de juramento, Cant. II, 7 & III, 5*, quod quidem non vult haberi juramentum proprie dictum, sed elegantem obtestationem. Hanc excipit *Jos. Scaligeri* Dissertatio ad *Exod. XVII, 16*, quam tamen Cl. Zornius non munit suo suffragio. Sequitur *Petri Seguini Agathodæmon*, quo in libello de sacro serpentum cultu agitur: quam occasionem arripit Cl. Zornius, non solum sua sensa expromendi de comparatione serpentis æ::ei cum Christo cumque Diabolo, verum etiam *de throno Satanæ Apoc. II, 13.* Progredimur ad *Joan. Ximenii* Disputationem *de malis citriis*, quæ Zornio nostro occasionem præbet interpretandi vocabulum משכית, ter sacro obvium in Codice, item locum *Prov. XXV, 11: mala aurea in lectis argenteis*, denique, quid fuerit Urim & Thummim, quidque non fuerit investigandi. Succedit *Caroli Patini* Dissertatio *de numismate judicium Paridis exhibenti, adjectumque murem.* Differit hac occasione Cl. Zornius de muribus sæpe integras regiones vastantibus, atque ita illustrat *1 Sam. V, 6.* Delatus hinc ad *Conr. Sam. Schurzfleischii Antiquitates Ciliciæ*, quid *Actor. XVIII, 3*, σκηνοποιὸς sit, edifferit, simulque de Tarsensium studiis literariis potiora exhibet. *J. Boemi* Dissertatio *de barbaris Scytharum moribus* idonea ei visa est, quæ adhiberetur explanandis Pauli verbis *Coloss. III, 11*, ubi *barbari* a *Scythis* distinguuntur. Pari modo, quid sit *Act. XIX, 35*, ὁ γραμματεὺς, ex *Jo. Petri Bellorii Notis in numismata apibus insignita* manifestum facit. Hinc pedem promovet ad *Jo. Bapt. Portæ* opus *de furtivis literarum notis*, ac deinceps ad *Huetii* Dissertationem ad *Jesa. LXV, 11, de Gad & Meni*, cujus tamen sententiam se jam A. 1722 singulari in disputatione refellisse

addit.

addit. Commendat hinc *Henrici a Monte acuto* librum, *Dæmonis Mimica* inſcriptum, quo is contendit, affinitatem illam, quæ Hebræorum inter & ethnicorum ritus interceſſit, non ad Dei συγκατάβασιν, ſed ad diaboli κακοζηλίαν eſſe referendam. Subſequitur *Seldeni* Diſſertatio *de jurejurando per Genium & Fortunam Principum*, *Dodwelli* Diſſ. *de tabulis cœli*, *Fr. Patricii* Diſſ. *de diſciplina arcani in ſacris gentium*, *Ectypon ſpoliorum templi Hieroſolymitani* ex *Villalpando*, *Franciſci Villamenæ Ager Puteolanus* & *Alb. Rubenii* Diſſ. *de natali die Caeſ. Auguſti*: ex quibus petitur illuſtratio loci *Geneſ. XLII, 16*, ubi Joſephus jurat per vitam Pharaonis; *2 Cor. III, 3*, ubi mentio fit *tabularum carnearum*; *Col. II, 14, 15*, ubi chirographum ſcribitur a Chriſto ſublatum, & triumphus actus de principibus & poteſtatibus; aliorumque locorum, quorum mentionem brevitatis amore prætermittimus. Parte denique X, XI & XII tredecim libelli antiquariorum hic nobis repræſentantur ad lucem aliquot ſacris locis inferendum. En eos eo ordine, quo hic commemorantur: *Jac. Rhenferdi* Fragmentum *de agoniſticis veterum Arabum*, *Gabr. Simeonii Illuſtratio Epitaphiorum & nummorum*, *Jac. Zabarellæ de nobilitate gentis Valeriæ*, *Gaulmini* Notæ ad Pſellum *de dæmonibus*, *Petri Laſenæ de gymnaſio Neapolitano*, *Lud. Demontioſii de Gallo Romæ hoſpite*, *Noriſii de nummo Herodis Antipæ*, *Chriſt. Ravii de Dudaim*, *Camarræ de Teate antiquo*, *Phil. Rubenii Electa*, *Noriſii Parænesis ad Harduinum*, *Pomp. Gaurici libellus de ſculptura ſive ſtatuaria*, ac poſtremo *Freinshemii* Diſſ. *de potu calidæ*. His in libellis quæ illuſtrata ſunt ſacri codicis loca, breviſſime indicabimus, adjunctis iis, quorum explicatio profecta eſt ab ipſo Cl. Zornio. Scilicet *p. 165 ſqq.* explicantur hæc verba: *Eſto fortis & robuſtus*, *Joſ. I, 6, 7, 9* & *18*, itemque *Iob. IV, 3, 4* occurrentia; *p. 886 ſq.* Paulinum illud ὀρθοποδεῖν *Gal. II, 14*, ex vetuſto pancratio explicatur; *p 909 ſqq.* lucta Jacobi cum Deo *Gen. XXXII, 24* uberius illuſtratur; *p. 942 ſqq.* de veſtibus albis *Apoc. III, 4*; *p. 955 ſqq.* de Judæis ad Babylonis fluvios ſedentibus ac plorantibus *Pſ. CXXXVII, 1*; *p. 958* de collyrio *Apoc. III, 18*; *p. 975* de filiis lucis *Eph. V, 8*; *p. 1011 ſqq.* de analogia fidei *Rom. XII, 13*; *p. 1039*, de Dudaim *Gen. XXX, 14*; *p. 1045* de verbis Chriſti: *Nondum erat tempus ficuum*, *Marc. XI, 13*; *p. 1076*, de funditoribus, qui dextra uti non poterant, *Judic. XX, 16*; *p. 1094* de Juda proditore ſuum abeunte in locum, *Act. I, 25*; *p. 1114* de veſte coccinea, *Matth. XXVII, 28*; *p. 1151* de epiſcopo tepido ex ore Chriſti evomendo, *Apoc. III, 15*, doctæ proferuntur interpretationes. Sufficiant hæc ſpecimina lectoribus noſtris, facile hinc intellecturis, quam larga in hoc opere ſeges exhibeatur iis, qui intimos penetrare cupiunt in receſſus obſcuriſſimorum ſacræ Scripturæ locorum.

ACTORUM ERUDITORUM,

Quæ Lipsiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. IX Sect. VII.

MERCURII AC SOLIS CONGRESSUS IN Astronomica Specula Bononiensis Scientiarum Instituti observatus d. 9. Nov. 1723; Autore EUSTACHIO MANFREDI, ejusdem Instituti Astronomo & Acad. Socio.

Bononiæ, apud Constantinum Pisarrum, 1724, 4.
Plag. 5 Tab. æn. 1.

Citius hæc Dissertatio rerum maximi ad Astronomiam momenti plenissima cum lectoribus communicanda fuisset, si ad nos maturius pervenisset. Præparatis horologiis ingressum Mercurii in Solem notavit celebris Astronomus telescopiis binis vitro opacato munitis, altero undecim Campani, altero octo pedum Bononiensium. Positiones Mercurii in disco determinavit hoc altero; in quam rem filis parallelis instruxerat, cum alio ipsis ad rectos insistente, efficientibus reticulum in foco de more extensum, cujus ope observatio poterat ad parallelos atque horarios circulos institui. Quæ quidem operam adjungentibus suam cum Gabriele Manfredi Autoris fratre, ex profunda Matheseos scientia dudum cognito, doctissimis Scientiarum Academiæ sodalibus *Jacobo Parma*, Philosophiæ, *Joh. Baptista Banderio*, utriusque Juris doctoribus, *Josepho Bolsio Machesio*, Parmensi, *Dominico Weber*, Helveto, & præsentibus ex amplissimo Senatorio Magistratu *Francisco Maria Comite Signio*, & *Alexan-*

Nn *dro*

dro Duliolo Marsilio, nec non ipso Illustrissimo *Aloysio Ferdinando Comite* MARSILIO; peracta fuit ut sequitur.

Tempora a meridie d. 9 Nov.

$3^h\ 26'\ 22''$ Nunc primum ortivus Solis margo foveola quadam incisus Mercurium ingredientem prodidit, telescopio pedum XI, atque ex ejus foveolæ figura apparuit, nec dum dimidiam planetæ diametrum Solem ingressam. Eodem pene tempore detectus est Mercurius telescopio pedum VIII.

$3^h\ 27'\ 45''$ Totum Mercurii corpusculum Soli immersum erat, ejusque limbum interius tangebat telescopio ped. XI. Hæc phasis paulo serius accidisse visa est, quam expectabatur, quasi planeta inter ingrediendum oblongus fieri, aut appendiculam post se trahere videretur, nescio an ex optica aliqua causa, nam postmodum plane rotundus apparebat.

I. $3^h\ 33'\ 26''$ Limbus præcedens Solis ad filum horarium reticuli.

$3^h\ 35'\ 38''$ Mercurius ad idem filum.

$3^h\ 35'\ 41$ Limbus sequens Solis ad idem filum.

Solis diameter, quæ juxta horarium protendebatur, intervalla $21\frac{1}{5}$ reticuli occupabat; eorundem intervallorum $11\frac{1}{3}$ intererant inter parallelos Mercurii & limbi Borealis, qui limbus in hac & sequentibus observationibus unum e filis reticuli æquidistantibus percurrebat. Quoniam hoc tempore refractiones nondum rotundam Solis figuram ad sensum immutare poterant, Solis vero diameter, quæ ex tabulis Astronomicis probatissimis erat $32'\ 34''$, intervallis $21\frac{1}{5}$ reticuli respondebat, scire licet, inter Borealem limbum Solis, ac Mercurium intercapedinem (quæ observata est intervallorum $11\frac{1}{3}$) fuisse $17'\ 25''$. Pari ratione cum a transitu præcedentis ad transitum sequentis limbi Solis per horarium circulum $2'\ 15''$ temporis effluxerint, a Mercurio autem ad limbum sequentem $3''$, palam est, ex ea, quam diximus, Solaris diametri mensura, Mercurium a sequenti, sive orientali Solis limbo, secundis circuli maximi 43 distitisse. Eadem ratione in sequentibus observationibus declinationes Mercurii a Boreali atque elongationes ab orientali margine supputatas, & ad scrupula maximi Circuli redactas consignavimus.

II. 3^h

II. 3^h 43′ 57″ Limbus præcedens Solis ad horarium.
46 5 Mercurius ad horarium.
46 12 Limbus sequens Solis ad horarium.

Declinatio Mercurii a Boreali Solis Limbo ex intervallorum observatione elicita 16′ 52″. Elongatio ejus a Limbo orientali, ex temporibus annotatis 1′ 41″ accurata observatio.

III. 3^h 48′ 7″ Mercurius ad horarium.
48 15 Limbus sequens Solis ad horarium.

Declinatio Mercurii a limbo Bor. 16′ 48″ ejusd. elongatio a limbo Orientali 2′ 9″. Per idem tempus Mercurii magnitudinem iterum, ac sæpius æstimantes intervalli unius partem nonam in diametro exæquare judicavimus. Erat ergo planetæ diameter 9″ circ. max.

3^h 49′ 50″ Mercurius ad horarium.
50 0 Limbus sequens Solis ad hor.

Elongatio igitur planetæ a limbo Orientali 2′ 25″. Declinationem non notavimus.

IV. 3^h 52′ 47″ Mercurius ad horarium.
52 57½ Limbus sequens Solis.

Elongatio a limbo orientali 3′ 8″. Inter hæc Mercurii figura tam eo telescopio, cui reticulum inerat, quam altero pedum octo, curiosius inspecta nonnullis minime rotunda, at ovalis æstimabatur, longiori ejus diametro ita posita, ut cum horario circulo angulum semirectum paulo amplius, a Borea in ortum efficeret. Ad hæc planetam quadam veluti nubecula, quemadmodum solares maculæ solent, circumseptum se vidisse quidam arbitrati sunt.

V. 4^h 0′ 56″ Mercurius ad horarium.
1 9 Limbus sequens Solis ad hor.

VI. 4^h 5′ 3″ Mercurius ad horarium.
5 17 Limbus sequens Solis. Declinatio a limbo Bor. 15′ 45″, elongatio ab Orientali 3′ 23″.

VII. 4^h 10′ 55½″ Mercurius.
11 13 Limbus sequens Solis; a limbo Bor. 15′ 40″; ab Orientali 4′ 13″.

4^h 13′ 21″ Mercurius,

4^b 13 39 Limbus ſequens. Elongatio igitur a limbo Orientali 4' 21".

VIII 4^b 14' 56½ Mercurius.

15 16. Limbus ſequens Solis. Elongatio a limbo Orientali 4' 49".

IX 4^b 29' 12" Mercurius ad horarium,

29 36 Limbus ſequens Solis. Declinatio a limbo Bor. 14' 35"; elongatur ab or. 5' 48". Poſt hæc iterum teleſcopio ped. XI. Solem inſpicientes ad occaſum perſecuti ſumus. In eo Mercurium perpetuo rotundum, etſi inter horizontales vapores fluctuantem, neque ulla involutum nubecula vidimus. Hactenus verba autoris.

Atque hic annotandum, Romanis adſcriptis numeris diſtingui illas obſervationes, quæ ad definiendas planetæ in Sole poſitiones pertinent, quales Fig. 1 exhibentur. Quod declinationum mutationes non reſpondeant ubique (licet aberratio non excreſcat ad dimidium unius minuti) temporum incrementis, id partim vagis & inconſtantibus refractionum variationibus, partim pro ſuo candore ipſarum obſervationum exiguis errorculis tribuit, atque difficultati fila ad debitum ſitum exquiſite ſemper componendi. Quod autem ex conſtanti refractionum effectu obſervata afficere potuit, quatenus per Theoriam refractionis fieri poteſt, ſic exactiſſime exuit. In Figura 2 ſit F K N Y diſcus Solis irrefracti; dato tempore obſervationis corrigendæ dabitur Solaris centri altitudo vera, hincque ope Tabulæ refractionum, viſa; ſit Kb æqualis differentiæ refractionum centri & limbi ſuperioris in verticali KY, & b erit locus viſus ipſius K ex effectu refractionis. Et eodem modo liceret quodvis punctum T reducere ad t, quo per refractionem transfertur; ſed ſuffecerit ſane K ad b & Y ad L reduxiſſe, & deſcripſiſſe circa F N binas Semi-Ellipſes, alteram dimidii axis minoris bS, alteram SL, nam Fb NL erit quam proxime figura Solis refracti. Porro ad tempus obſervationis datur angulus HSK, ſub verticali KS, & horario HS, ſit autem SP normalis ad HS, adeoque eadem cum parallelo per centrum Solis. Jam ad unum vel alterum minutum poſt obſervationis momentum, quæratur denuo

TAB. IV. Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.




Fig. 1.




Fig. 2.





Fig. 5.





nuo altitudo centri vera, refractio competens, & proinde altitudo visa. Intervallum temporis assumtum reducatur ad partes circuli paralleli deinde maximi, sitque ejus mensura ex eodem modulo cum semidiametro SN desumta, SP; ducta PH ipsi KY parallela verticalem exponet, in quo Sol hæret post tempusculum assumtum, & si PA fiat æqualis differentiæ refractionum Solaris centri in verticalibus KY, HP, (quæ refractiones ex altitudinibus computatis dantur,) erit SA apparens centri parallelus, ad quem fila parallela inter observandum directa fuerunt. Sit SR conjugata ipsi DD, & tangens RV, parallela eidem DD positionem habebit fili stringentis marginem borealem inter observandum. Fiat SG perpendicularis ipsi DD, & SO conjugata ipsi SG, erit OV Ellipsin contingens ad O, filum horarium tempore observationis: atque ex his patet, R esse marginem borealem, O orientalem observationis, quæ in horizonte occiduo habita fuit. Si igitur VQ fiat æqualis observatæ elongationi ortivæ, VI declinationi australi, ductis QM, IM, ipsis VR, VO parallelis, erit M locus planetæ visus. Ex quo patet, quam hic sit diversus ab eo qui respectu horarii HS & limbi FKN a refractionibus immunis prodiisset. Revocatur autem M ex disco viso ad verum ductis per M, TC ipsi KY, & MX ipsi FN parallelis. Nam educendo XE ipsi KY & EZ ipsi FN denuo parallelas erit Z locus verus planetæ in disco vero, ut ex Ellipseos proprietatibus manifestum est. Hac via licebit positiones planetæ ad Eclipticam tuto referre, si hæc in angulo competente ad SH inclinetur. Hac methodo observata Mercurii loca correcturus descripsit circulum Fig. 1, ea magnitudine, ut 16′ semidiametri æquarentur fere quinque unciis Bononiensibus. Invenit autem locum observatum I ex refractione sensibiliter non mutari, & ideo ipsum retinuit: Tum ad ultimam phasin IX, ut præcedentia præcipiunt, reliquasque ordine correctionem applicuit, atque in II, III, IV idem quod in I deprehendit: at inde a V aberratio notabilis prodiit. Tandem semitam ex I & IX commodissime se assecuturum ratus, per hæc loca rectam duxit, quæ quidem ab intermediis (excepta VII) parum dissensit, unde & huic errorem inesse suspicatur. Pervestigando semitæ

mitæ ſitum, invenit latitudinem ad ingreſſum 3′ 13″; ad egreſſum 7′ 31″, ad Boream Eclipticæ utrobique. Ceterum breve ad occaſum Mercurii cum Sole temporis ſpatium impedimento fuit, quo minus ſemita hæc per plura loca definiri potuerit. Ex datis tamen latitudinibus dictis & ſemid. Solis 16′ 17″ calculo aſſecutus eſt:

Differentiam long. ☿ & centri ☉ in ingreſſu 15′ 58″, in egreſſu 14′ 27″; longitudinem ſemitæ intra diſcum 30′ 41″; perpendiculum ex centro in ſemitam 5′ 25″: Inclinationem ſemitæ ad Eclipticum 8° 2′. Cum portio ſemitæ I IX, ſit 6′ 20″ & momenta obſervata, quæ his planetæ ſtationibus competunt, ſint 3^h 27′, 4^h 29′, erit horarius motus in ſemita apparens 6′ 8″, & habita ratione diametri apparentis 9″, ut ad III obſerv. notatum fuit, colligendoque 89″ temp. a contactu externo ad internum: ex hoc obſervato 3^h 27′ 45″, prodit ille 3^h 26′ 16″, (licet ante 3^h 26′ 22″ Mercurius in Sole non fuerit deprehenſus,) item appulſus centri 3^h 27′ 0″, quod momentum cum tempore phaſis IX 4^h 29′ 12″ collatum moram ab appulſu centri ad hanc phaſin 1^h 2′ 12″ ſuppeditat; inde horarius accuratior 6′ 7″, exque data orbitæ inclinatione horarius in Ecliptica 6′ 3″ obtinetur.

Igitur ex horario 6′ 7″ mora Mercurii in ſemita tota 30′ 41″ fit 5^h 1′ 9″, ejuſdemque dimidium 2^h 30′ 34″ ad appulſum centri 5^h 27′ 0″ adjectum momentum patefaciet medii tranſitus 5^h 27′ 34″, ut adeo centrum ex Sole exceſſerit 8^h 28′ 8″. Porro ex differentia long. inter centrum Solis & Mercurium ingredientem 15′ 58″ cum hujus horario 6′ 3″ conjunctio cum Sole efficitur ad 6^h 5′ 21″ ſeu medii temporis 5^h 49′ 23″, ad quod momentum tabulæ Caſſinianæ exhibent Solem 16° 47′ 10″ ♏, qui locus cum obſervationibus ab Autore his ipſis diebus habitis ad amuſſim conſentit. Ut adeo Mercurii locus e Sole ipſo conjunctionis momento ſit 16° 47′ 10″ ♉.

Cum ex numeris ſupra poſitis incrementum latitudinis toto tempore tranſitus 5^h 1′ 9″ prodeat 4′ 18″, ab ingreſſu ad conjunctionem ſeu intervallo 2^h 38′ 21″ latitudo crevit 2′ 16″, & addendo latitudinem ad ipſum ingreſſum, quæ fuit 3′ 13″, erit latitudo ☿ in ipſa conjunctione 5′ 29″ ſeptentrionalis. Ceterum Ephe-

merides

merides ab Autore A. 1715 e Tabulis Cassinianis editæ conjunctionis tempus verum ponunt 6^h 41′, quod excessum 3′ in long. prodit, & latitudinem 5′ 0″ ab observata parum diversam. Ex utroque tamen arguitur correctio motibus Mercurii adhibenda.

His ita expeditis progreditur celeberrimus Vir ad determinationem nodorum ex latitudinis incrementis, concluditque Mercurii ad Septentrionalem nodum appulsum d. 8 Nov. 23^h 41′ 51″, & longitudinem nodi e tellure visam hoc ipso momento 17° 9′ 42″ ♏, atque assumto per tempus 6^h 23′ 30″, (quo appulsus ad nodum ingressum præcessit,) motu Mercurii e Sole visi e Tabulis Cassin. 1° 38′ 16″ in orbita, sed in Ecliptica 1° 37′ 34″, & supposito e præc. loco Mercurii e Sole sub ipsam conjunctionem 16° 47′ 10″ ♉, elicit longitudinem nodi e Sole 15° 9′ 36″ ♉; eodem modo assumtis distantiis Mercurii & telluris a Sole e Tabulis Cassinianis, eruit latitudinem Heliocentricam ad conjunctionis momentum 0° 11′ 54″ & ex hac & nodi loco Heliocentrico paulo ante reperto determinat inclinationem orbitæ Mercurii ad Eclipticam 6° 57′ 15″, minutis tribus Kepleriana & reliquorum complurium Astronomorum majorem.

Post inventum telescopium congressus Mercurii cum Sole omnino sex ab Astronomis observati fuerunt, primus a *Gassendo* Parisiis 1631 7 Nov. mane; alter a *Shakerlæo* Anglo 1651 3 Nov. in Insula Surata; tertius Londini *Hugenio* & *Mercatori*, & Gedani *Hevelio* 1661 3 Maji, sed prope nodum descendentem; quartus *Hallejo* visus in Insula *S. Helenæ* 1677 7 Nov. & Avenione *Galleto* & Sociis; quintus a *Kirchio* Erfordiæ, de *Wurzelbau* & *Eimmarto* Norimbergæ, P. P. *Fontenay* & le *Comte* Cantone, atque ab aliis alibi observatus A. 1690 10 Nov. sextus 1697 3 Nov. Parisiis a *Cassino, de la Hire, Maraldo*, & Roterodami a *Cassino* filio, Viennæ Austriæ ab Illustrissimo Comite *Marsilio*, Norimbergæ a *de Wurzelbau* deprehensus est. In his Galleti numeros & secum ipsos, & cum numeris Halleji pugnare, ostenditur, cum conjunctio ex ipsis 0^h 48′ 53″ prodeat, quam tamen Galletus in 0^h 39′ retrahit. Ex numeris autem Hallejanis prodit horarius juxta Eclipticam apparens 5′ 58″ nonnisi quinque secundis ab eo, quem supra invenit cel. Manfredius, deficiens.

ciens. Caſſinns, referente *du Hamel*, in Hiſtoria Acad. 1697. eundem deprehendit 6, 8″, quinque ſecundis Manfrediano majorem: ut hic medio loco inter hos binos poſſit haberi & proinde ad veritatem quam proxime accedens. Unde Autor judicio ſummi Viri *Halleji* relinquit, an moræ Mercurii in diſco, quas in egregia ſuper hoc argumento diſſertatione (e transactionibus etiam in hæc Acta A. 1693 transſumta, & in Whiſtoni Aſtronomicis prælectionibus impreſſa) poſuerat, aliquid correctionis deſiderent, ſic quidem, ut ex dimidio maximæ durationis Hallejanæ $2^h\ 44'$ fiat $2^h\ 40'$, ac reliquæ omnes eadem proportione corrigantur.

Quod attinet ad latitudinem, cum ſemilongitudo ſemitæ in obſervatione Hallejana ſit $15'\ 46''$, ex hac & latitudine ad egreſſum $6'\ 12''$ & ſemid. Solis $16'\ 17''$ concluditur, inclinatio apparens ſemitæ ad Eclipticam $7°\ 55'$, & proinde latitudinis ab ingreſſu ad egreſſum incrementum $4'\ 21''$ genitum ſpatio $5^h\ 14'\ 20''$, quo totus iſte tranſitus duravit. Pro cujus ratione in tranſitu Manfrediano ſpatio $5^h\ 1'\ 9''$ eidem latitudinis incremento debentur $4'\ 10''$, quod a $4'\ 18''$ ex obſervatione deductis differt $8''$. At in congreſſu 1697 paulo minor deprehenditur latitudinis mutatio; nam du Hamel latitudinem egredientis Mercurii auſtralem perhibet $8'\ 58''$, & moram inter conjunctionem & egreſſum facit $2^h\ 11'\ 26''$, Caſſinus vero in Actis Academiæ Pariſinæ latitudinem in ipſa conjunctione ponit $10'\ 42''$; unde latitudinis decrementum $2^h\ 11'\ 26''$ debitum eſt $1'\ 44''$, & proinde tempore $5^h\ 1'\ 9''$ augmentum eſſet $3'\ 59''$, a quo obſervatio 1677, $10''$, & Manfrediana præſens $19''$ diſſentit, exceſſu utrinque.

Ad motus medios tranſiturus conjunctionem ex obſervatione Gaſſendi definit A. 1631, $20^h\ 32'$ 7 Nov. Bononiæ, & ex obſervatione Halleji 1677, 7 Nov. $1^h\ 20'$, iterum Bononiæ. Jam ex intervallo $16802^d\ 4^h\ 48'$, item ex intervallo inter Hallejanam & Manfredianam $16802^d\ 4^h\ 45'$, per ſummam utriusque $3360\ 4^d\ 9^h\ 33'$, quod inter remotiſſimas intercedit, habita ratione revolutionum Mercurii interim factarum atque exceſſus, colligitur motus diurnus $4°\ 5'\ 32''\ 34'''\ 50''''$. Eum motum ex A. 1631 ad

1690

1697 invenerat Caſſinus in Diſſertatione ſupra memorata $4^{\circ}\ 5'\ 32''\ 21'''$, ex anno autem 1631 ad 1690 $4^{\circ}\ 5'\ 32''\ 42'''$, vel ſi obſervationum a Bullialdo expenſarum ratio habeatur $4^{\circ}\ 5'\ 32''\ 35'''\ 37''''$, diverſitate $47''$ a diurno Manfrediano. Denique ſi ad diverſam anomaliam planetæ in utraque obſervatione ex conſtitutis jam inæqualitatibus reſpectus fiat, diurnus erit $4^{\circ}\ 5'\ 32''\ 36'''\ 7''''$ & annuus $1'\ 23^{\circ}\ 43'\ 19''\ 42'''\ 35''''$, $4''$ tantum major eo quem & Rudolphinæ & Ricciolanæ & Hireanæ tabulæ adſciverunt.

Quod ad motus nodorum indaginem ſpectat, ſummus Aſtronomus J. D. Caſſinus aſcendentis longitudinem e tellure ponit 1631, 6 Nov. ♏ $6^{\circ}\ 13'\ 8''$; 1677, 7 Nov. ♏ $14^{\circ}\ 12'$; 1690 10 Nov. ♏ $14^{\circ}\ 32'\ 25''$; (& e Sole in locis oppoſitis) A. 1694 Menſe Majo, medio ſcilicet tempore inter 1690 & 1697, $14^{\circ}\ 42'\ 10''$; e quibus prodit annuus nodi motus $1'\ 21''$, $1'\ 26''$, $1'\ 31''$ reſpective, licet ex Hevelii obſervatione A. 1661, 3 Maji ad nodum deſc. habita, longitudine ♉ $14^{\circ}\ 24'$ collata cum obſervatis Gaſſendi prodeat $2'\ 32''$, haud paulo prioribus celerior. Attamen obſervationibus annorum 1631, 1677 cum Caſſiniana & præſenti 1723 collatis, habetur reſpective $62''$; $53''$; $58''$; ut adeo nihil videatur ſupereſſe quam ut conjunctiones hactenus obſervatæ vel in communioribus hypotheſibus $51''$ & $1'\ 20''$ expendantur. Ejus autem collationis compendium exhibet Tabula ſequens, quam ex Autore ſubjungimus, reliqua, imprimis quæ circa nodorum motum differit, ex ipſius pulcherrimæ diſſertationis uſu lectori haurienda relinquentes.

Conjunctionum Comparationes.	Intervallum.	Incrementum vel decrementum latitudinis e tellure visæ a prima ad secundam conjunctionem. Ex hypoth. 51″			Ex hypoth. 1′ 20″			Ex observ.	
1631 – 1677	46	+	1	21	+	0	3	0	48
1631 – 1690	59	+	9	25	+	7	52	9	4
1631 – 1697	66	–	13	28	–	15	21	14	0
1631 – 1723	92	+	2	42	–	0	6	2	11
1677 – 1690	13	+	8	4	+	7	49	8	16
1677 – 1697	20	–	14	49	–	15	29	14	48
1677 – 1723	46	+	1	21	+	0	3	1	23
1690 – 1697	7	–	22	53	–	23	13	23	4
1690 – 1723	23	–	6	43	–	7	46	6	53
1697 – 1723	26	+	16	10	+	15	27	16	11

DE LUNÆ DEFECTU DISSERTATIO JOH. RIZZETTI.

D*Efinitio.* Lentem artificiosam appello, quæ radios ex puncto longinquo fluentes ita refringit, ut aliquos ultra focum transmittat sibi invicem parallelos, & reliquos a se invicem divergentes.

TAB. IV. Fig. 3. Coroll. 1. In lentem artificiosam AB (Fig. 3.) radiante objecto longinquo, cujus diameter apparens dg, ita refringatur *lumen* puncti g, ut radii BG, AG (aliis ultra focum a se invicem divergentibus) illi sint, qui comitantibus parallelis concurrant in G, ac inde pergant ad O, Z,: ita transmittatur lumen puncti d, ut radii BD, AD (divergentibus aliis) illi sint, qui comitantibus parallelis conveniant in D, ac inde propagentur ad Q, W: radii fluentes ex punctis intermediis inter d, g, quos paralleli comitantur, post refractionem cogentur (ut dioptricis patet) in totidem alia puncta intermedia inter G, D, ac ulterius ferentur intra

intra angulos QBO, ZAW. Quare lumen comitatu parallelorum in hujusmodi radiis collectum vigebit intra hos angulos QBO, ZAW, &c. in aliis a se invicem divergentibus dispersum languebit intra angulum QVZ.

At diametro objecti dg aucta indefinite ad partes d, g, augentur etiam indefinite anguli QBO, ZAW, & indefinite minuitur angulus QVZ: itaque radiante Sole in dg, & cœlo circumjacente, depingetur in tabula OW perpendiculariter objecta imago Solis diducta in annulum luminis vividioris, cujus erit latitudo OQ (ZW), & huic imagini tam intra, quam extra erit imago cœli contermina.

Hunc annulum, quem negabat unica materia in sphæricam figuram formata, promittebat materia duplex lentis aqueo-vitreæ in schemate 4 descriptæ. Hujus lentis proprietas est, quod radii ex uno puncto fluentes ita refringantur, ut in alterum physicum punctum concurrant: verum est utique, quod coguntur in unum idemque punctum radii centrales & extremi; & quamvis in eodem puncto simul convenire non possint (sphærica prohibente figura) alii intermedii; attamen horum est ita exigua aberratio, ut in foco physice nulla censenda sit. **TAB. IV. Fig. 4.**

Talem hujusmodi lentis proprietatem observavit etiam Newtonus in prop. 2 Part. I Lib. I; insuper ego vero notavi hanc lentem artificiosam esse, radiorum scilicet ex lucido puncto incidentium in arcum FB aliquos emergere sibi invicem parallelos, & reliquos ultra focum a se invicem divergentes; quare lumen longius a lente vigere in illis collectum, & languescere in istis dispersum. Hæc omnia demonstrare possum, ut autem brevitati consulam, experientiam loco demonstrationis substituo.

Totam hanc lentem in foramine cubiculi obscuri solaribus radiis exposui, ac in tabula ultra focum procul objecta pulcherrimum vidi anulum luminis vividioris. Dum lumine ab hoc lente refracto, annulus in tabula opposita depingebatur, si chartacea corona superinducta, relinquebatur in medio lentis apertura, quæ circuli formam præ se ferebat, vel si nucleo opaco intromisso, relinquebatur in extremitate lentis apertura, quæ coronæ

 for-

formam exhibebat, annulus luminis vividioris in primo casu delebatur, in secundo incolumis perseverabat. Quare manifestum erat, quod interceptis in primo casu radiis, qui exibant sibi invicem paralleli, permittebantur illi, qui emergebant a se invicem divergentes; & radiis in secundo casu interceptis, qui emergegebant a se invicem divergentes, permittebantur illi, qui exibant sibi invicem paralleli.

Problema,
Lunæ defectum explicare.

Anno 1722, Junii 28, nocte subsequenti, Bononiæ (observantibus Astronomis Instituti Scientiarum) Luna nudo oculo visa fuit obscurari, qua parte umbram subitura erat. Obscurationi trientem Lunaris diametri occupanti successit umbra, quæ terminis satis distinctis definiebatur, exigua intercedente penumbra, cujus latitudo vix trigesimam partem Lunaris diametri æquabat: at ipsa obscuratio ad partem lucis sensim clarescebat, & tandem cum luce confundebatur. Disco Lunari A B (Fig. 5) umbram subeunte, in illa diametri parte, quæ exponitur per B C, obscuratio videbatur in illa, quæ exhibetur per C D, reliqua parte D A lumen coloris argentei præ se ferente. Tandem Lunæ color erat in umbra rubidus, similis illi æris, & in obscuratione subflavus, nempe medius inter æreum umbræ & argenteum lucis.

TAB. IV. Fig. 5.

Illa, quæ dicitur umbra, dicitur etiam ob Astronomis umbra telluris; at cum ea (æreo colore indicante) illustretur a lumine, quod interposita Atmosphæra refrangitur; ipsa igitur substituta loco luminis directi, potius umbra Atmosphæræ dicenda est.

Fig. 3. Sit Solis diameter apparens d g, (Fig. 3) diameter Atmosphæræ A B, cujus umbra contineatur intra angulum A T B: lumen solis ita (dioptrica docente) refrangitur, ut in aliquod punctum U concurrentibus radiis B U, A U, qui refractionem subeunt ceteris maximam, & in aliquo puncto e convenientibus radiis b e, a e, qui refractionem subeunt ceteris minimam, umbra

Atmo-

Atmosphæræ potest a refracto lumine illustrari intra angulum QUW, & in obscuritate relinqui intra angulum FeH.

Hanc obscuriorem umbram infra punctum e Luna tum subire videtur, cum deficit Apogæo propinqua; in hoc enim casu maculam solet nigram in medio ærei coloris ostendere. Cum autem hæc macula in defectu proposito abesset, visa fuit Luna subjisse illam umbram, quæ supra punctum e tota a refracto lumine illustrabatur.

Si lumen hoc totum in divergentibus radiis disperderetur, umbra poterat ab illo illustrata rubescere; at illa tamen videnda erat luci (solita penumbra intercedente) contermina. Quoniam autem umbra ærei coloris erat (angustiori penumbra intercedente) contermina obscurationi coloris subflavi, illa igitur umbra indicabat lumen debilius in divergentibus radiis dispersum, ac ista obscuratio ostendebat lumen fortius in parallelis collectum.

Porro radiante sole dg, ad punctum extremum g pertineat radius SF, qui refractus tellurem tangat in b, & cum Axe g F in punctum F concurrat: dum punctum incidentiæ pergit a puncto S ad punctum extremum B, si materia Atmosphæræ ubique homogenea foret, punctum concursus F magis semper atque magis ad ipsam Atmosphæram accederet, & radii puncti g emergerent omnes ultra focum a se invicem divergentes. Dum autem materia Atmosphæræ magis semper atque magis rarescit exterius, puncto incidentiæ pergente a puncto S ad punctum B, potest utique punctum concursus F prius ad Atmosphæram accedere, deinde ab illa discedere; quare radii incidentes ex puncto g in arcum SB possunt emergere (ut illi a lente aqueo-vitrea refracti) aliqui sibi invicem paralleli, & reliqui a se invicem divergentes.

Quod fieri posse (materia Atmosphæræ exterius rarescente) percepi, factum fuisse (lente aqueo-vitrea confirmante) cognovi. Cum hanc (circulo Chartaceo, qui vicem gerebat nuclei opari, superinducto) aperto solis lumini exposuissem, vidi in Chartæ plagula debite objecta umbram lentis illustratam a lumine in quibusdam partibus debiliore, ac in aliis fortiore. Cum umbras

igitur inter se comparassem, eam scilicet lentis aqueo-vitreæ quæ in Chartæ plagula videbatur, ac illam Atmosphæræ, quæ in Luna deficiente apparebat, nullo discrimine intercedente intellexi utramque eodem modo illustrari.

His cognitis ita refringatur lumen puncti g, ut radii BG, AG (aliis ultra focum a se invicem divergentibus) illi sint, qui comitantibus parallelis concurrant in G, & inde propagentur ad O, Z: ita transmittatur lumen puncti d, ut radii BD, AD (divergentibus aliis) illi sint, qui comitantibus parallelis conveniant in D, & inde pergant ad Q, W: radii fluentes ex punctis intermediis inter g, d, quos comitantur paralleli (dioptrica docente) cogentur in totidem alia puncta inter G, D, ac ulterius ferentur intra angulos OBQ, ZAW. Quare lumen in hujusmodi radiis collectum vigebit intra hos angulos OBQ, ZAW, & in aliis dispersum languebit intra angulum QVZ.

Sicut igitur (charta debite objecta) lumen a lente aqueo-vitrea refractum apparet, debilius in uno loco, & fortius in alio; ita (Luna describente arcum OW) cernitur lumen ab Atmosphæra refractum, languere in arcu QZ, ubi umbra Atmosphæræ radios lucratur divergentes; illud autem vigere in arcu OQ (ZW), ubi umbra & obscurior penumbra radios sibi vendicat parallelos, ac sensim clarescere, & denique in lucem desinere ad partes O, W, ubi sensim penumbra clarescit, & tandem in lucem desinit. Quod erat &c.

Coroll. 1. Hæc præcipue explicata sint, ne mirentur Astronomi Lunarem defectum raro calculis respondere. Nam umbra, quam Luna deficiens subit, nimis diversa est ab umbra telluris, quæ sumi solet pro defectu Lunari inveniendo. Hæc porro contenta (exempli gratia) intra angulum aeb longius a tellure decrescit, & illa contenta intra angulum QVZ, a tellure longius augetur.

JOHANNIS RIZZETTI LUDORUM SCIENTIÆ, Supplem. T. IX Sectione V p. 215 sequ. insertæ, Continuatio.

Scho-

SCholium 2. In quibusdam ludis prærogativa quæ initio fuerat, aliquando potest ante decisionem mutari. In ludo (exempli gratia) Bassettæ lucratur Oeconomus totum depositum collusoris B, si accidit unus ex casibus primariis V, & duas tertias partes ipsius depositi B, si contingit unus ex casibus secundariis u: Collusor acquirit totum depositum œconomi A, si evenit unus ex aliis casibus primariis y: ac nihil aleatores adipiscuntur in eventu casus indifferentis, uti in corollario secundo superioris theorematis indicavimus. Hinc prærogativa

$$\frac{BV + \frac{2Bu}{3} - Ay}{V+u+y+q}$$

initio ludi potest esse nulla, affirmativa, vel etiam negativa, prout ludus justus vel injustus est. At quælibet illa sit, si primo folio detecto ludus adhuc remanet indecisus, in aliam mutatur $\frac{BV - Ay}{V+y+q}$. Quare si initio ludi prærogativa

$$\frac{BV + \frac{2Bu}{3} - Ay}{V+u+y+q}$$

(sicut æquitas postulat) nulla est, primo folio detecto resultat $Ay > BV$, & in commodum collusoris transit alia prærogativa $\frac{Ay - BV}{V+y+q}$.

Corol. 1. Hinc oritur ratio, quam collusor hac prærogativa donatus ad œconomi depositum habet. Quare si de ludo interrumpendo aleatores agunt, collusori debetur ex deposito œconomi pars $\frac{Ay - BV}{V+y+q}$; namque illa interruptio partem ludi peragendam impedit, pro qua nemo rationem habet quidpiam acquirendi, non autem effectum tollit partis ludi jam peractæ, pro qua debita compensatio inter aleatores facienda est. Si vero ludo instituto statim de illo deserendo agitur, nemo rationem habet supra depositum alterius. Nam si conditio ludi interrumpendi eadem est, quæ initio fuerat, causa non est, cur aleatores alter ab altero quidpiam adipiscantur. Ita definitur ratio, quam

in

in distributione aleator juste contra aleatorem habet. Quomodo autem ea ratio definienda sit, quam ponimus unum contra alterum injuste habere, aliis investigandum relinquo.

Corol. 2. Interim addo, quod ludus inchoatus aliquando in alium mutatur, ut sæpe usu venit aleatoribus Bassettæ. Vno vel pluribus foliis absque decisione detectis, aleatores inter se conveniunt, ut si charta significativa est immediate sub folio, quod bigæ primum apparet, collusor aliquam partem ex deposito œconomi accipiat: si vero ipsa charta significativa locum diversum tenet, aleatores discedant integrum suum depositum singuli retrahentes. Cum in hac conventione primus abrumpatur ludus, ut alius substituatur, sint initio primi ludi deposita æquitati consona, illud nimirum œconomi A, & illud collusoris B: in actu primi ludi interrumpendi remaneant casus favorabiles Oeconomo V, favorabiles collusori y, & indifferentes q, quare cedat in commodum collusoris portio $\frac{Ay-BV}{V+y+q}$ ex deposito œconomi capienda. Hæc illa quantitas est, quam collusor in novo ludo amittere potest. At æquitas postulat, ut sit y, V :: $\frac{Ay-BV}{V+y+q}$, $\frac{AyV-BV^2}{yV+y^2+yq}$; collusor igitur si vicerit, in novo ludo acquirere debet ex deposito œconomi partem $\frac{AyV-BV^2}{yV+y^2+yq}$. At si vicerit, debetur illi altera quoque pars $\frac{Ay-BV}{V+y+q}$, quæ primo ludo interrupto in ejus commodum cesserat, illi igitur victori debetur ex deposito œconomi pars $\frac{AyV-BV^2}{yV+y^2+yq}+\frac{Ay-BV}{V+y+q}$, vel $\frac{\overline{V+y}\times\overline{Ay-BV}}{yV\times y^2+yq}$.

Scholium 3. Clariss. Daniel Bernoullius ludorum Theoriam breviter expeditam videbit, verum quantum satis est illustratam, ut is agnoscat quod Montmortiano ac paterno nomine captus eam claudo pede petiverit. Mirabitur forte nec verbum quidem de fortibus vel expectationibus aleatorum legisse; at alia

alia methodo conſulto uſus ſum, quæ extra diſceptationem foret, ut ejus ope facilius controverſiam dirimerem.

Ut rem aggrediar, ea quæ leguntur in ſuis exercitationibus Math maticis, propono. *Sunt quatuor Caſus, quorum duo ſunt favorabiles Petro, unus Paulo, & quartus neutri, quæritur ratio ſortis Petri ad illam Pauli. Peſpondent Viri Doctiſſ. Rizzettus & Comes Riccatus, eſſe ſortes illas ut 2 : 1; ego vero cum Montmortio rationem 5:3 veram eſſe dico.* Comes Riccatus ſe ab hac quæſtione abſtinebat, ſed Bernoullius voluit eum quoque a ſua demonſtratione confundi. *Sit* (inquit) *depoſitum quodlibet A; ergo duo ſunt caſus Petro favorabiles, qui ipſi valent 2 A, unus (nimirum cóntrarius) quo nihil, & unus (nempe indifferens) quo particulare ſuum depoſitum accipit; unde expectatio Petri per regulam notiſſimam eſt* $\frac{2 \times 2A + 1 \times 0 + 1 \times A}{4}$ $= \frac{5}{4}$ A; *& per conſequens expectatio Pauli* $\frac{3}{4}$ *A, atque ratio expectationum ut 5:3. Quod erat demonſtrandum.*

Hujusmodi expectationes Adverſarius, Montmortianis ac paternis veſtigiis inſiſtens, ad illas refert totius depoſiti partes, quæ ab aleatoribus capiendæ forent in caſu ludi abrumpendi. Is autem jus, quod in diſtributione aleator juſte contra aleatorem habet, cum illa ratione confundit, quam unum contra alium injuſte ſibi fingit habere. Ut itaque difficultatem intelligat, conſiderare debet, quod hujusmodi partes, & per conſequens aleatorum expectationes (caſu indifferente ſublato) ſunt inter ſe ut $\frac{4}{3} : \frac{2}{3}$. Si igitur (caſu indifferente reſtituto) illæ mutantur in alias, quæ inter ſe habentur ut $\frac{4}{3} - \frac{1}{12} : \frac{2}{3} + \frac{1}{12}$, vel ut $\frac{5}{4} : \frac{3}{4}$; quomodo poteſt iſta mutatio convenire definitioni caſus indifferentis, qui ab ipſo dicitur neutri favorabilis?

Schólium 4. Sed hæc me minus movent, pluris faciendum puto, quod in definiendis aleatorum expectationibus ſuam adverſarius demonſtrationem ex mera hypotheſi arbitraria deducit. In hac aleatores expectare ſupponit non modo illud, quod acquirere poſſunt ex alieno, ſed etiam illud quod præſervare poſſunt ex proprio. At ſi ego poſtulo ut id unice aleatores ex-

Pp pectent,

pectent, quod ex alieno possunt acquirere, quis est qui prohibeat? cum casus gemini sint, quibus singulis evenientibus aufert Oeconomus depositum Collusoris A; Casus alter, in cujus eventu tantumdem collusor acquirit, & alius in quo nihil aleatores lucrantur; si definio expectationem œconomi $\frac{2}{4}$ A, & illam collusoris $\frac{1}{4}$ A, & ob id dico esse illas ut 2:1, nec adversarius prohibere potest. Etenim pro hujusmodi expectationibus definiendis hoc tantum postulo, ut nil aleatores expectent in illo casu indifferente, in quo ipse Adversarius affirmat, *quod nec Oeconomus collusori, nec collusor Oeconomo aliquid solvendum habet.*

At si ego postulo, ut aleatores expectent non modo illud quod acquirere possunt ex alieno, sed illud quoque quod amittere possunt ex proprio, quis est qui contradicat? cum lucretur œconomus in geminis casibus depositum collusoris A, & in uno amittat suum depositum A; Collusor autem depositum œconomi acquirat in uno casu, & suum perdat in geminis (nemine nec lucrum nec damnum in altero casu sentiente,) si definio expectationem œconomi $\frac{2}{4}$ A $-\frac{1}{4}$ A ($+\frac{1}{4}$ A), & illam collusoris $\frac{1}{4}$ A $-\frac{2}{4}$ A ($-\frac{1}{4}$ A), & per consequens dico esse illas ut $+1:-1$, nec adversarius contradicere potest. Etenim ille commendat Bernoullium patruum, *qui vult vocabulum expectationis non sumi sensu vulgari, quo communiter expectare vel sperare dicimur, quod omnium optimum est, licet nobis pejus accidere possit; sed quatenus spes nostra impetrandi optimum temperata & imminuta est metu consequendi pejus, adeo ut per valorem expectationis semper significetur intermedii quidpiam inter optimum quod speramus, & pessimum, quod metuimus.*

Pluribus aliis modis definire possem expectationes, quas aleatores habent, varie inter se combinando, quod isti acquirendum sperant, quod amittendum metuunt, & quod præservandum supponunt. At satis est Adversarium interrogare, quo munere expectationes Montmortianæ præferendæ sint meis, præsertim illis, quas ex primo postulato deduxi?

Agatur in ludo proposito de invenienda prærogativa, qua gaudet unus aleatorum præ altero: si expectationes Montmortianas adhibeo, ex illa Oeconomi $\frac{5}{4}$ A detracto ejus deposito A, in

in residuo $\frac{5}{4}A - A = \frac{1}{4}A$ suam prærogativam invenio. Si expectationibus utor meis, ex illa œconomi $\frac{2}{4}A$ dempta altera collusoris $\frac{1}{4}A$, in residuo $\frac{2}{4}A - \frac{1}{4}A = \frac{1}{4}A$ eandem pariter prærogativam inspicio.

Rursus agatur de eodem ludo ad æquitatem reducendo: Vocatis depositis illo collusoris A, & illo œconomi x, erit hujus expectatio juxta regulam Montmortii $\frac{2A + 2x + x}{4}$, & dempto deposito x, erit ejus prærogativa $\frac{2A + 3x}{4} - x$. Cum hæc igitur debeat in ludo justo esse nulla, elicitur $x = 2A$, quod est depositum ab œconomo pro ludi æquitate exhibendum. Si meis expectationibus utor, illam collusoris invenio $\frac{1}{4}x$, illam œconomi $\frac{2}{4}A$; & hujus prærogativam $\frac{2}{4}A - \frac{1}{4}x$. Cum igitur æquitas postulet, ut hæc nulla sit, elicitur $x = 2A$, hoc est illud quod prius elicitum fuit.

Donec in proposito ludo versamur, ignoro quo munere expectationes Montmortianæ meis præferendæ sint; quamvis enim sit diversus utendi modus, videtur tamen problematum solutionibus pariter utrasque inservire. At si a præfato ludo discedimus, quo munere meæ præferendæ sint Montmortianis, manifeste patebit.

Scholium 5. In hoc enim scholio tria demonstranda sunt: Primum quod expectationes seu sortes Montmortianæ ea carent simplicitate, qua donantur meæ, quare usu illarum operose peragitur, quod mearum ope facilius expeditur: secundum, quod in solutionibus Problematum sortes Montmortianæ sæpe deficiunt, & morem meæ semper gerunt: tertium, quod opinionem de ludis ingerunt sortes Montmortianæ confusam ac falsam, meæ distinctam ac veram.

Quod primo loco proponitur, ab exemplo adversarii demonstratur: sint quatuor casus, duo favorabiles Petro, unus Paulo, & alius indifferens: evenientibus casibus decisivis aleatores acquirant unus ab alio depositum A, hac conditione, ut a ludo non dimittantur, nisi casus indifferens determinatis aliquot vici-

bus n ſucceſſive contingat. Expectationes Montmortianæ ita ab Adverſario inveniuntur: *ſit M ſors Petri in caſu $n=1$, N ejusdem ſors in caſu $n=2$, P in caſu $n=3$, & ſic deinceps; & habebitur $M=\frac{5}{4}A$, $N=\frac{4A+M}{4}$, $P=\frac{4A+N}{4}$ &c. & ſubſtitutis valoribus pro M, N &c. habentur ſequentes æquationes: $M=A+\frac{1}{4}A$, $N=A+\frac{1}{4}A+\frac{1}{16}A$, $P=A+\frac{1}{4}A+\frac{1}{16}A+\frac{1}{64}A$; unde patet eſſe ſortem Petri æqualem ſummæ ſequentis progreſſionis geometricæ $A+\frac{1}{4}A+\frac{1}{16}A+\frac{1}{64}A$ &c. eo usque continuandæ, donec numerus terminorum excedit unitate datum numerum n, id quod dat ſortem Petri æqualem $\frac{4}{3}A-\frac{A}{3\times 4^n}$.*

Expectationes ita inveniuntur meæ: ſint caſus favorabiles Petro b, illi favorabiles Paulo c, indifferentes d, ſumma cunctorum a: probabilitas, quam Petrus habet pro acquirendo depoſito, exprimitur per $\frac{b}{b+c}$, & quam habet Paulus, exponitur per $\frac{c}{b+c}$, & illa quam habet uterque pro ludo decidendo indicatur per $\frac{a^n-d^n}{a^n}$. Si fuerit igitur A quod in ſingulis caſibus deciſivis poteſt acquirere Petrus, & B quod poteſt acquirere Paulus, erit ſors Petri $\frac{Ab}{b+c}\times\frac{a^n-d^n}{a^n}$, & illa Pauli $\frac{BC}{b+c}\times\frac{a^n-d^n}{a^n}$. Cum itaque ſint in ludo propoſito $b=2$, $c=1$, $d=1$, $a=4$, & $A=B$, erit prima ſors $\frac{2}{3}A\times\frac{4^n-1}{4^n}$, & ſecunda $\frac{1}{3}A\times\frac{4^n-1}{4^n}$.

Pro invenienda Petri prærogativa, ſi ſortibus Montmortianis inſiſtimus, ex illa Petri detrahimus depoſitum A, & reſiduum elicimus $\frac{1}{3}A\times\frac{4^n-1}{4^n}$: ſi ſortes meas adhibemus, ex illa Petri ſubducimus illam Pauli, & reſiduum colligimus $\frac{1}{3}A\times\frac{4^n-1}{4^n}$:

eandem

eandem ſcilicet quantitatem pro Petri prærogativa, utraque methodo invenimus.

Poſtulo interim, ut mea conferatur cum Montmortiana, huic enim Adverſarius inſiſtens operoſo ſerierum calculo in unico caſu particulariter agit, quod ego faciliori opera generaliter in cunctis expedio. Si igitur utraque via ſcopus idem attingitur, una operoſius, altera expeditius, confidenter aſſirmo illam eſſe imperfectam, qua per plura fit in uno caſu, quod per pauciora fieri poteſt in omnibus.

Secundo loco demonſtrandum propoſui, quod in ſolutionibus Problematum ſortes Montmortianæ ſæpe deficiunt, & morem meæ ſemper gerunt. Ut igitur propoſito ſatisfaciam, ab exemplo adverſarii rurſus incipio: Petrus & Paulus colludunt pro depoſito 2 A, cujus dimidia pars eſt unius, altera alterius: duos habet ille caſus favorabiles, hic unum: caſus inſuper alius eſt, quo ſucceſſive eveniente, Petrus ſucceſſive reponit A, 2 A, 4 A &c. & ſi determinatis aliquot vicibus n is caſus ſucceſſive contingit, integrum depoſitum æqualiter inter aleatores dividitur: quæritur ratio ſortum illarum quæ a Montmortio indicantur. In hujus problematis ſolutione prius adverſarius invenit, quod exiſtente $n = \infty$ ſors Petri eſt ad illam Pauli ut 7 : 5. Deinde ſubjunxit, *ulterius extendi poſſe ſpeculationes, nimirum quærendo quænam ſeries alia ſubſtituenda ſit progreſſioni geometricæ 1, 2, 4 &c. ut Petrus & Paulus æquali ſorte colludant.*

In hoc ſolvendo problemate ſi loco progreſſionis 1, 2, 4 &c. ſubſtituitur altera x^0, x', x^2 &c. ut monet etiam Adverſarius, ſortes Montmortianæ in caſu $n = \infty$ inveniuntur, nempe illa Petri $\frac{4A}{3} - \frac{A}{12-3x}$, & illa Pauli $\frac{2A}{3} + \frac{A}{12-3x}$. *Ut igitur Petrus & Paulus æquali ſorte colludant*, videntur ſortes debere inter ſe æquales eſſe; quare facta æquatione $\frac{4A}{3} - \frac{A}{12-3x} = \frac{2A}{3} + \frac{A}{12-3x}$; elicitur $x = 3$ A, quod verum profecto eſt.

Quod ſi porro quatuor eſſe caſus a, b, c, d, ita: ut Petrus ac-

quirat quantitatem A, ſi accidit caſus a, & quantitatem 2 A, ſi evenit caſus b; Paulus autem lucretur quantitatem x, ſi contingit caſus c, & a ludo aleatores diſcedant in eventu caſus indifferentis d: ſortes Montmortianas invenio illam Petri $\frac{3A+3x}{4}$, & illam Pauli $\frac{5A+x}{4}$. Quærendo igitur quæ ſit quantitas x, *ut Petrus & Paulus æquali ſorte colludant*, ſi facio ut ante ſortes inter ſe æquales, elicio $x=A$; quod utique falſum eſt, exactis enim omnibus ludis m, Petrus acquirit $\frac{3mA}{4}$, & Paulus $\frac{mA}{4}$, primus nimirum plus acquirit quam ſecundus, quod problematis conditioni repugnat.

Hinc igitur patet, quod Montmortianis ſortibus inſiſtendo juxta methodum ab adverſario indicatam, nunc veritatem aſſequimur, & nunc in errorem incidimus. At huic exceptioni reſponderi poteſt, quod Petrus & Paulus tum ſorte æquali colludunt, quum nemo prærogativa donatur. Sicut igitur Petri prærogativa ab adverſario ſtatuitur in differentia, quæ inter ejus ſortem, & ejus depoſitum intercedit, hoc eſt in quantitate $\frac{3A+3x}{4}-x$, hac itaque poſita $=0$, invenitur $x=3A$, quod utique veritati conſentit.

Si ſortes Montmortianæ ſemper ita ſe haberent, impropriæ quidem, non autem inutiles forent; ſed ſciendum eſt, quod non ita ſemper illæ reſpondent. Ecce exemplum: ſint gemini caſus a, b, primus favorabilis Petro, ſecundus Paulo, & ita ludus inſtituatur: primo experimenta abſolvantur bina ac bina, & uno abſoluto binario teneantur aleatores alterum atque alterum inſtaurare, donec caſus a, vel b in binis experimentis contingat. Secundo vincat is, cujus caſus ſucceſſive bis accidit, & hac de cauſa lucretur Petrus depoſitum Pauli 2 A, & Paulus depoſitum Petri A: Tertio ſi primo duorum experimentorum accidit caſus a, reponatur

natur a Petro quantitas x, ut hæc ab ipso recuperetur, si secundo experimento contingit idem casus a, vel acquiratur a Paulo si evenit casus b. Quarto si tandem primo duorum experimentorum accidit casus b, reponatur a Paulo quantitas 2 A, ut hæc ad eum redeat, si secundo experimento recurrit idem casus b, vel transeat ad Petrum si accidit casus a.

Observo in hoc ludo quatuor eventus esse possibiles, nam gemini casus a, b combinari possunt bini ac bini quatuor hisce modis a a, a b, b a, bb. Rursus animadverto, quod si contingit unus ex duobus eventibus a a, b b, aleator, qui vincit, non solum præservat suum, sed quoque depositum acquirit alterius; quare juxta regulam Montmortianam expectat quantitatem 3 A. Verum si accidit unus ex duobus a b, b a, aleatores nequeunt ea deposita præservare, quæ jacere debent, donec accidat unus ex aliis a a, b b; quare Petrus nil aliud expectat, quam ut amittat in eventu a b quantitatem x, & acquirat in eventu b a quantitatem 2 A: nec aliud Petrus expectare potest, quam ut lucretur in eventu a b quantitatem x, & amittat in eventu b a quantitatem 2 A. Unde sortes Montmortianæ prosiliunt, illa Petri $\frac{5A-x}{4}$, & illa Pauli $\frac{A+x}{4}$.

Cum igitur inveniendus sit valor x, *ut Petrus & Paulus æquali sorte colludant*, si nullam pono prærogativam Petri, hoc est $\frac{5A-x}{4} - A = 0$, invenio $x = A$; quod falsum est, nam exactis omnibus ludis m Petrus acquirit m A, et Paulus $\frac{m\,A}{2}$, plus nimirum unus quam alius, quod conditioni problematis adversatur. Nec geminas inter se sortes æquando invenitur valor x; si enim fit $\frac{5A-x}{4} = \frac{A+x}{4}$, elicitur $x = 2A$; quod pariter falsum est, nam absolutis omnibus ludis m, Petrus lucratur m A, & Paulus $\frac{3mA}{4}$, plus nimirum ille quam iste, quod pariter problematis conditioni repugnat.

Ut

Ut igitur Petrus & Paulus æquali sorte colludant, verum est quod valorem x in pluribus ludis invenimus, in quibusdam sortes Montmortianas modo proprio tractando, eas scilicet inter se æquando; & in aliis nisi modo proprio, saltem improprio illas usurpando, nullam nempe faciendo differentiam, quæ inter sortem unius aleatoris, & ejus depositum intercedit. At verum est quoque, quod hujusmodi valorem x in pluribus aliis ludis, has sortes adhibendo, ullo modo invenire non possumus.

Non ita se habent sortes meæ, quæ Problematum solutionibus eodem modo semper inserviunt. In ludo qui primus ex tribus superius propositis legitur, illa Petri invenitur $\frac{2A}{3}$, illa Pauli $\frac{A}{3} = \frac{A}{12-3x}$, & ex æquatione $\frac{2A}{3} = \frac{A}{3} + \frac{A}{12-3x}$ elicitur $x = 3A$, ut superius elicitum fuit. In secundo ludo illa Petri est $\frac{3A}{4}$, illa Pauli $\frac{x}{4}$, & ex æquatione $\frac{3A}{4} = \frac{x}{4}$ colligitur $x = 3A$, ut prius colligere licuit. In tertio ludo resultat illa Petri A, & illa Pauli $\frac{A+x}{4}$, & ex æquatione $A = \frac{A+x}{4}$ prosilit $x = 3A$, quod veritati consentit. Quare sortes Montmortianas in solutionibus Problematum sæpe deficere, & morem meas semper gerere satis hæc exempla demonstrant.

Tertio loco ostendendum proposui, quod opinionem de ludis ingerunt sortes Montmortianæ confusam ac falsam, meæ distinctam ac veram. Satis autem ad intentum facere sequens videtur exemplum: gemini instituantur ludi, in quibus singulis quatuor sint casus, qui contingere possint; in primo duo favorabiles Petro, unus Paulo, & quartus indifferens; in secundo unus favorabilis Petro, nullus Paulo, & tres indifferentes. Cum aleatores in casibus decisivis valorem A alter ab altero acquirant; sortes Montmortianæ tam in uno, quam in alio eliciuntur, nempe illa Petri $\frac{5A}{4}$, & illa Pauli $\frac{3A}{4}$, & proinde in utroque ludo pri-

ma

ma ad secundam ut 5 : 3. Has igitur sortes respiciendo quis poterit ludos propositos unum ab alio distinguere, & quid in singulis acquisituri sint aleatores unus ab alio, cognoscere?

Non ita operantur meæ: in primo ludo est illa Petri $\frac{2A}{4}$, illa Pauli $\frac{A}{4}$ hoc est inter se ut 2:1. In secundo illa Petri $\frac{A}{4}$ illa Pauli $\frac{0}{4}$, & ob id inter se ut 1 : 0. His igitur insistendo intelligimus, quod aleatores unus ab alio acquirere possunt, scilicet in primo ludo Petrus duplum, Paulus simplum, & in secundo Petrus aliquid, Paulus nihil. Quare a sortibus Montmortianis opinionem ingeri confusam ac falsam, a meis distinctam ac veram, satis hoc unico exemplo demonstratur.

Corol. 1. Ut igitur veram ac distinctam de ludis ideam consequamur, mittendæ sunt omnes Hypotheses arbitrariæ, & ea tantum elementa sumenda sunt, quæ necessaria & immutabilia ludos ipsos componunt.

In primis si ludus aliquis proponatur; quod certa ac determinata sit ratio depositorum, quæ vincendo aleatores alter ab altero acquirunt, hoc utique arbitrarium non est, cum dependeat ex ludi propositi conditione. His depositis quantitates designo, quas aleatores expectant; nec facit ad rem, quod illorum ratio mutari possit; nam si hujusmodi mutatio fit, ludus amplius non est, qui fuit ab initio propositus.

Deinde quod casus utrique aleatori propitii numero certo ac determinato comprehendantur, & rationem determinatam inter se servent, neque hoc arbitrarium est, cum dependeat ex propositi ludi natura. His casibus vel ex toto vel ex parte decisivis (nam quomodo secundi ad primos revocentur, supra explicatum est) probabilitates aleatorum dimetior. Nec quicquam officiunt casus indifferentes, nam si Petro duo casus favent, & unus Paulo, sive nulli sint casus indifferentes, sive horum numerus in infinitum augeatur, semper duplo probabilius est pro primo quam pro secundo stare victoriam.

Qq Tandem

Tandem quod caſus deciſivi ad omnes, ſi indifferentes adſunt, datam habeant proportionem, prout ludi natura poſtulat, nec hoc pariter eſt arbitrarium. Cum igitur caſus indifferentes quotiescunque contingunt, aleatorum ſpem irritam reddant, hinc oritur alia probabilitas utriusque aleatoris reſpectu ludi. Tertium enim aleatorem hac lege mihi fingo contra ludum certare, ut hic in eventu caſuum indifferentium dimittatur.

Hoc mirum in modum illuſtrat illa Bernoullii Patrui definitio, *quod unusquisque tantundem expectat, vel expectare dicendus eſt, quod infallibiliter obtinebit.* Porro ludus inſtituatur, in quo ſit depoſitum Petri A, Pauli B, caſus deciſivi pro primo x, pro ſecundo y, indifferentes q: cum in omnibus ludis m infallibiliter conſecuturi ſint, ac proinde expectare debeant aleatores, ſcilicet Petrus $\frac{m\,B\,x}{x+y+q}$, & Paulus $\frac{m\,A\,y}{x+y+q}$, in ſingulis ludis expectabunt primus $\frac{B\,x}{x+y+q}$, ſecundus $\frac{A\,y}{x+y+q}$.

Si itaque hujusmodi expectationes ita ſcribamus $B\,x\frac{x}{x+y} - x\frac{x+y}{x+y+q}$, $A\,x\frac{y}{x+y} - x\frac{x+y}{x+y+q}$, ſe dant illico in conſpectum tria ſupra explicata elementa; ſymbolis B, A quantitates deſignantibus, quas aleatores expectant; formulis $\frac{x}{x+y}$, $\frac{y}{x+y}$ probabilitates exprimentibus, quas pro victoria aleatores habent; & valore $\frac{x+y}{x+y+q}$ probabilitatem exponente, ut ludus ſuum ſortiatur effectum.

Hæc igitur illa elementa ſunt, quæ neceſſaria ac immutabilia ludos componunt, & ea quæ rite tractata veram ac diſtinctam de ludis opinionem ingerunt. Quoniam autem nemo expectat, quod præſervat ex proprio, vel (ut verbis Adverſarii utar) *quod alteri ſolvendum non habet;* hoc itaque arbitrarium eſt, & præfatis elementis additum veram ac diſtinctam de ludis opinionem corrumpit.

Hoc

Hoc satis ex præmissis patet; nam formulam $\frac{Bx-Ay}{x+y+q}$ ex differentia duarum expectationum compositam adhibendo, omnia quæ ad ludos pertinent nullo negotio perficimus. Expectationibus autem $\frac{Bx}{x+y+q}$, $\frac{Ay}{x+y+q}$ illud addendo quod aleatores ex proprio retinent, alias habemus $\frac{Bx+Ax+Aq}{x+y+q}$, $\frac{Ay+By+Bq}{x+y+q}$, quæ ludi naturam confundunt.

Cum itaque in ludo ab Adversario proposito sit $x=2$, & $y=1$, contingere poterit in omnibus ludis m major vel minor numerus casuum decisivorum, & per consequens majus vel minus lucrum aleatorum, prout minor vel major fuerit numerus casuum indifferentium q, at casus decisivi, qui contingent favorabiles Petro, semper erunt illorum dupli, qui contingent favorabiles Paulo; & cum sit $B=A$, lucrum quod infallibiliter obtinebit Petrus, duplum erit illius, quod consequetur infallibiliter Paulus.

SPECIMEN EXEGESEOS SACRÆ IN EXplanatione parabolæ de patrefamilias & operariis in vinea, atque Gnomes: Primi erunt extremi &c. Matth. XIX, 30, XX, 1--16, exhibitum a FRIDER. SIMONE LOEFLERO, V. D. M.

Lipsiæ, apud hæredes Frid. Lanckisii, 1726, 4.
Alph. 1 plag. 20.

NOvam prorsus & ante hoc tempus ignoratam parabolæ de patrefamilias & operariis in vinea, & gnomes seu verborum: *primi erunt postremi, & postremi primi*, quibus Salvator in oratione ad discipulos de præmiis fide secum conjunctorum Matth. XIX, 30, XX, 1--16 usus est, interpretationem in hoc libro aperit Plur. Rev. Autor, Collega noster honoratissimus, in eoque omnem curam & studium ponit, ut demonstret, nihil quicquam in hac parabola frustra & sine causa esse prolatum, ut jamdudum ab

ab Origine, veteri Ecclesiæ Doctore, sit observatum, sed omnia ex mente Salvatoris apte commodeque exponi posse. Itaque sepositis aliorum de hac parabola sententiis, §. *I*, quo melius veram sententiam in lucem evocet, variis lectionibus Græcæ orationis in medium prolatis, *II*, *III*, parabola, ut in Judæorum libris legitur, adducta, *IV*, scopo vero ejus ad finem libri rejecto, *VI*, monitoque de parabolarum gnomarumque natura addito, *VII*, primum sensum *literalem*, habita jam nulla mystici ratione, tantum indagat, & ea de causa in *parabola* patremfamilias *VIII*, vineam, quæ fructus profert, possidentem, *IX*, *X*, & operarios *XI*, ut separatim ita etiam conjunctim, cum quoad conductiones & locationes, tum quoad mercedis distributionem considerat. In *conductionibus & locationibus* imprimis animum ad *horas* refert. In *prima* non tantum patrisfamilias egressum, qui & ejus tempus πρωῒ, *XII*, & actum ἐξῆλθε, *XIII*, & finem μισθώσασθαι ἐργάτας, complectitur, sed etiam contractum cum operariis, & quidem primo ejus objectum, quod diurnus labor, *XV*, atque merces δηνάριον, *XVI*, tum modum verbo συμφωνεῖν expressum, *XVII*, deinde consequens, quod ἀποςέλλειν εἰς τὸν ἀμπελῶνα, *XVIII* exponit. In ea quæ *tertia* est facta, de patrisfamilias egressu, cujus tempus hora tertia, *XIX*, terminus ad quem, forum, *XX*, & personæ ἀργοὶ, *XXI*, & de contractu cum operariis, in quo cum conductio, in mandato & promisso posita, *XXII*, tum locatio, *XXIII*, habetur, pari modo agit. Conductiones & locationes hora *sexta* & *nona* factas paucis tangit, & in ea, quæ horæ *undecimæ*, patrisfamilias cum egressum tum actionem cum mercenariis notat, & τὸ ὅτι hic redundare monet, *XXIV*, *XXV*. Dum vero in his exponendis versatur, non tantum vocum Græcarum significationes ex aliis locis N. T. atque e Græca septuagintavirali V. T. versione eruit, sed etiam de vino imprimis Biblyno, *IX*, de ejus decimis, *XI*, de diei natura & divisione, *XV*, de denariis & latinis N. T. vocibus, *XVI*, de contractu conductionis & locationis, *XVII*, de horæ voce, natura, inventore & de clepsydris, *XIX*, de foris Romanorum & Græcorum, *XX*, de eo, quod æquum est, *XXII*, & de eo, num contractus inter patremfamilias & eos, qui hora undecima conducti

sunt,

ſunt, ſit contractus innominatus, *XXIII*, e veteribus & recentioribus ſcriptoribus differit. Hinc tranſit ad *mercedis diſtributionem* & in ejus *præſcriptione* ſignificatum ἐπιτρόπȣ, *XXVI*, *XXVII*, & μισθȣ̃ *XXVIII*, ordinemque, quo a poſtremis initium faciendum, & in primis deſinendum, induſtria a patreſamilias eſſe conſtitutum, *XXIX*, in *confectione* particulam ἀνὰ peræque, *XXX*, & in *reprehenſione*, quid γογγύζειν, *XXXI*, quid ἴσον, *XXXII*, quid ποιεῖν, in cujus explicatione contra Caſaubonum & Vorſtium diſputatur, notat, & murmurantes ut verbo ποιεῖν poſtremorum laborem extenuaſſe, *XXXIII*, *XXXIV*, ita ſuum extuliſſe, *XXXV*, atque ex juſtitia tum diſtributiva, *XXXVI*, tum commutativa contra patremſamilias diſputaſſe, *XXXVII* declarat. Dum *defenſionem* pertractat, non tantum eam in ſuas reſolvit partes, *XXXVIII*, ſed etiam docet, quid ſit valeatque in contractibus conſenſus, *XXXIX*, patremſamilias monito, ἆρον τὸ σὸν, καὶ ὕπαγε, animum iratum minime præ ſe tuliſſe, *XL*, largitionem ejusdem mercedis, quam primi acceperunt, poſtremis factam eo defendere, quod ex proæreſi agat, ſuarum rerum ſit dominus, ſeque ἀγαθὸν ſeu beneficum præbeat, *XLI*, & primi ipſi murmurantes, pravo oculo, qui ſit invidiæ comes, hæc aſpicientes, turpiter faciant, *XLII*. Argumenta artificioſa peculiariter perluſtrans in λόγοις monet, a patreſamilias allatis eum, qui ab æquali primorum & poſtremorum labore petatur, a Maldonato & Hammondo temere & inconſiderate addi, quod is ſit præcipuus, & tamen a Salvatore neglectus, atque iis, quibus paterſamilias uſus eſt, prorſus repugnet, *XLIII*, *XLIV*, & ubi mores, qui ſunt prudentia, probitas & benevolentia, *XLV*, affectusque, qui invidia, malevolentia & pudor, *XLVI*, commemoravit, tradit, quam ſit ingreſſurus viam, ſi hujus parabolæ in profano ſcriptore extantis ſcopus ſit exquirendus, & quid præcipuum, de quo murmurantes cum patreſamilias diſceptarint, *XLVII*. Hinc ad *gnomes* ſenſum literalem progreditur, & voces πρῶτοι & ἔσχατοι hic non qualitatis, ſed quantitatis notionem habere, primosque non eſſe eos, qui ſibi vel aliis videntur primi & aliis meliores, nec poſtremos, qui ſibi vel aliis videntur poſtremi & viliores ſed primos eſſe ordine primum vocatos, & poſtremos extremo

vocatos, eo firmat, quod non ille, ſed hic τῶν πρώτων & ἐσχάτων ſignificatus in parabola valeat, quæ non alia de cauſa a Servatore ſit prolata, quam ut gnomæ intelligendæ inſerviat, ejusque clavem lectori præbeat, *XLVIII, XLIX, L.* Cum eidem exponendum, qui fiat, ut primi ſint poſtremi, & poſtremi primi, Sal. von Till, ſtatuenti, hoc indicari, poſtremo vocatis primum, & primo vocatis poſtremo, denarium diſtribuendum fuiſſe, & eo quicquid eſt in parabola ſpectare, minime aſſentitur, propterea quod hac ordinis permutatione Salvator finem parabolæ non faciat, ſed potius contendit, illa reſpici paritatem mercedis inter poſtremos & primos diſtributæ, de qua plura adjiciat, de qua etiam inter primum vocatos & patremfamilias orta ſit controverſia, & in qua ſedata Salvator deſinat, *LI.* Ut igitur verum gnomes ſenſum producat, in medium affert reſponſum oraculi Lesbici: Τὰ ἐμὰ ὧ Κῦρε σά, quod apud Philoſtratum legitur, ubi ὡς ſubintelligendum, *LII*, & quoniam litera ſervilis כ in Codice V. T. & particula ὡς in ſcriptoribus Græcis cum profanis tum ſacris ſæpius deſiderentur, *LIII*, atque in parabola hæc verba: *dabo poſtremis, ὡς ſicut tibi* (primo) legantur, eandem gnomæ inſerendam putat, ut plena ſit: primi erunt *ſicut* extremi, & extremi *ſicut* primi, *LIV.* Stabilito literali parabolæ gnomesque ſenſu ad utriusque *myſticum* pergit, & in ponendum ejus fundamentum, quod e nexu cum antecedentibus, e natura regni cœlorum, & e ratione parabolarum conſtat, ut verba: *ſimile enim eſt regnum cœlorum*, indicant, primum omnes cogitationes confert. Nexus ei eſt alius, qui remotiora, & alius, qui propiora reſpicit. Dum de illo exponit, negat, Salvatorem in parabola & gnome rationem habuiſſe eorum, quæ inter ſe & juvenem divitem diſputata ſunt, cenſetque, ejus menti obverſatam eſſe Petri quæſtionem: *En! nos reliquimus omnia, teque ſecuti ſumus, quid tandem erit nobis?* qua ille animum, non bonis operibus inflatum, nec gloriæ mercedisque immoderate appetentem, ut communis ferat opinio, ſed docilem cupidumque percipiendorum præmiorum ſibi conſtitutorum præ ſe tulerit, quod etiam firmis argumentis, a Chriſti & Abrahami exemplis, & illius reſponſo Apoſtolo Petro quærenti dato, petitis corroborat,

borat, *LV*, *LVI*. Declarans nexum, seu locum, quem parabola & gnome in oratione Salvatoris obtineat, sentit, eum Apostolis tergeminum promittere præmium, quorum primum sit eorum *proprium*, in eoque positum, quod cum eum sint secuti, sub ejus adventum in thronis, Israelitarum judicandorum caussa, sessuri sint, *LVII*, alterum sit ipsis cum credentibus aliisque electis *commune*, bona cum præsentis tum futuræ vitæ continens, *LVIII*, & tertiam *singulare*, quod gnome seu concisa sententia: *Multi primi erunt postremi, & postremi primi*, gravibus ex caussis involutum proponat, & cui intelligendæ adminiculum præbere debeat ipsa parabola, ut ex particula *γὰρ* constet, *LIX*. In exponendo *regno cœlorum*, quod alterum, in quo fundamentum sensus mystici est positum, longus est Noster & percopiosus, quia interpretes sacrarum Literarum hunc locum, qui tamen late pateat, non attingant, nec quicquid ad illum pertineat, in loco de Ecclesia pertractetur. Quapropter originem phraseos regni cœlorum e loco Dan. II, 44, quem ad Jesum Christum recte applicari, R. Isaacus in חזוק אמונה seu Munimine fidei frustra neget, deducit, *LX*, *LXI*; ea regnum temporaque Messiæ indicari, non tantum ex locis doctorum Judaicorum, a Lightfooto & Vitringa collectis, *LXII*, sed etiam peculiariter ex quodam loco in R. Kimchi expositione Hos. III, 5 extante conficit, *LXIII*; atque hoc regnum, variis ejus descriptionibus, quas doctores cœtus christiani suppeditant, in medium allatis, *LXIV*, pro regni seu imperii natura depingit, atque a mundano disjungit, *LXV*. Tum hoc cum temporibus ante Messiam regnoque gratiæ, quod tum obtinuerit, confert, *LXVI*, & momenta hujus regni, si ut constituendum spectetur, exhibet, *LXVII*. Extremo ad *parabolas* N. T. quæ ad fundamentum sensus mystici postremo pertinent, animum vertit, & sicut illas regnum cœlorum vel condendum, Matth. XI, 16, XIII, 31, 33, 44, 45, XXI, 28, 39, Marc. IV, 26, Luc. VII, 36, XIII, 6, XIV, 16, XV, 11, XVI, 1, Joh. X, 1, vel condendum & conditum, Matth. XIII, 6, Luc. XV, 1, vel conditum, Matth. XVIII, 23, Luc. X, 30, XI, 5, XII, 16, XVI, 19, XVIII, 9, vel finiendum, Matth. XXIV, 45, XXV, 1, vel condendum, conditum & finiendum Matth. XIII,

14, 47,

14, 47, XXII, 1, XXV, 14, ſiſtere contendit, *LXVIII*; ita novem regulas ad earum veram ſententiam in lucem producendam ſuppeditat, *LXIX*. Tradito ſenſus myſtici fundamento ad ejus *naturam* progreditur, & primum, quid myſtici in *parabola* inſit, docet. Principio, cum patremfamilias eſſe Deum Patrem, *LXX*, & ad eum pertinentem vineam terrarum orbem & præcipue Palæſtinam, atque vitem in ea exiſtentem Jeſum Chriſtum, *LXXI*, tum per operarios, illos Judæos, Samaritanos & gentiles, qui ſolenni modo ad cognitionem Jeſu Chriſti ſint perducti, intelligit *LXII*. Deinde eos conjunctim conſiderat, *conductionesque* eſſe invitationes Dei Patris ad ſuum Filium, & *locationes*, hominum ad eum acceſſiones, quæ diverſis horis ſeu temporibus, ineunte novo Teſtamento, ſint factæ, oſtendit. Ac in his exponendis dum verſatur, horam *primam* ait id temporis eſſe, quo Deus Pater ſe Johanni Baptiſtæ, & per hunc populo Judaico patefecerit, *LXXIII*, *LXXIV*, a Judæis ea ætate viventibus, *LXXV*, notitia præſentis Meſſiæ primum imbuendis, *LXXVI*, ut pœnitentiam agerent, & Jeſum fide reciperent, poſtulaverit, *LXXVII*, & peculiaria dona Spiritus S. iis promiſerit, *LXXVIII*, qui vera fide eum ſint amplexi, *LXXIX*, & Jeſum eſſe Meſſiam, voce Dei Patris cœlitus audita ſint confirmati, *LXXX*. Horam *tertiam* id temporis, quo Deus Pater ſecunda vice Johanne in vincula conjecto, per Filium ſuum Jeſum Chriſtum in terra obambulantem, & per Apoſtolos ab eo electos, *LXXXI*, in Palæſtina, quæ forum repræſentet, *LXXXII*, Judæos, Meſſiam præſentem non curantes, *LXXXIII*, ad fiduciam in Jeſu ponendam, *LXXXIV*, promiſſis variis ſpiritualibus bonis, *LXXXV*, vocaverit, quorum quidam dicto eorum audientes fuerint, *LXXXVI*. Horam *ſextam*, id temporis, quo tertia & ultima vice poſt Meſſiæ aſcenſum in cœlum Deus Pater per ſolos Apoſtolos ad Judæos, ulteriori gratia indignos & Hieroſolymis atque extra eas verſantes, acceſſerit, & ut Jeſu interfecto ſed redivivo pœnitentes unica ſalutis cauſa niterentur, monuit, *LXXXVII*. Horam *nonam* id temporis, quo per Philippum Samaritanos ad Filium ſuum vocaverit, qui etiam ad eum firma fiducia acceſſerint, *LXXXVIII*. Ac horam *undecimam* id temporis, quo gentiles Deum verum Jeſum-

Jesumque parum curantes, *LXXXIX*, & imprimis per Petrum Apostolum Cornelium Centurionem Cæsareæ commorantem ejusque necessarios adierit, a quibus etiam oratio Petri studio sit audita, Jesusque, quem obtulerit, receptus, *XC*. His traditis pergit ad *distributionem mercedis* seu donorum Spiritus S. peculiarium largitionem, observatque, in ejus *præscriptione* finem hujus diei mystici fuisse, cum Jesum Servatorem hominum Cornelius centurio gentilis, postremæ hominum nationis ad eum vocandæ primus, cum fiducia receperit, *XCI*, tumque innotuisse Dei Patris, *XCII*, decretum de procuratore perficiendæ donorum Spiritus S. largitionis, qui sit Spiritus S. *XCIII*, ab æterno factum, & colloquio divinarum personarum hic repræsentatum, *XCIX*, secundum quod ab eo adeundos in Jesum Christum credentes, *XCV*, iisdemque dona peculiaria conferenda, *XCVI*, hoc servato ordine, ut ea primum gentilibus, tum Judæis credentibus distribuerentur, *XCVII*. In exponenda *perfectione* largitionis donorum singularium Cornelium fideique Christianæ socios dona Spiritus S. singularia accepisse & variis linguis loqui cœpisse, *XCVIII*, *XCIX*. Post quos eadem dona Judæis Ephesi commorantibus & Jesum Messiam per Johannem Baptistam edoctis data esse tradit. Quum vero Cl. Autor facile intelligat, his posse opponi, Apostolis multisque credentium Judæorum imo Samaritanis prius gentilibus dona Spiritus S. singularia esse tributa, fatetur, hanc unicam esse difficultatem, qua sua hujus parabolæ expositio prematur, quam ita removet, ut dicat, non omnia in parabolis ad vivum resecanda, imprimis eas rerum gestarum ordinem non sistere nec attendere, ut ex parabola de nuptiali convivio pateat, quam si rigorose sequaris, nec ullum Judæorum in Jesum credidisse, nec gentes ante Hierosolymorum excidium ad fidem perductas esse oporteret; Salvatoris fuisse mentem & sententiam, eorum, quæ cum Apostolis & Samaritanis futura vel facta sint, nullam jam habendam esse rationem, ac sufficere, gentiles, credentibus ex circumcisione præsentibus, dona Spiritus S. esse adeptos, & post illos eadem ad Judæos a Johanne baptizatos esse delata, *C*. Ad *reprehensionem* largitionis donorum recte interpretandam utitur certamine, in quod Petrus cum cre-

dentibus ex circumcisione devenerit, Act. XI, qui ei vitio dederint, quod gentiles adierit, cum iisque familiariter vixerit, refertque, inter reprehensores, ex sententia Epiphanii, fuisse Cerinthum hæreticum, *CI*, atque statuit, eum, in quem præcipue impetus sit factus, non tam fuisse Petrum, quam Deum ipsum, *CII*, & disceptantes, *CIII*, ut ex responso Petri pateat, id imprimis ægre tulisse, quod gentilibus Spiritus S. dona æque ac sibi sint collata, cujus causa sit Petrus, *IV*, cum tamen illi a populo Dei per legem Mosaicam sint remoti, *CV*, & ipsi Judæi ad Jesum conversi varia mala pertulerint, *CVI*. Pari modo ei *defensionem* patrisfamilias explicanti inservit oratio Petri, per quam Deus suam agat causam, *CVII*, in qua ad hoc, quod gentiles Judæis credentibus in distribuendis donis Spiritus S. juste sint æquati, confirmandum, *CVIII*, argumentum primum a conventione Dei cum credentibus ex circumcisione per Johannem facta, in qua eis Spiritus S. sit promissus, quem etiam acceperint: *Tum ego*, inquit Petrus, *recordatus sum Domini dictum: Johannes quidem aqua baptizavit, vos vero Spiritu S. baptizabimini*, Act. XI, 15, 16, *CIX*, reliqua autem a voluntate, beneficentia & absoluto Dei dominio, quod in impertiendis donis Spiritus S. singularibus patefiat: *Quod si æquale donum eis dedit Deus, ut & nobis JEsu Christo confidentibus, ego quis eram, ut Deo prohibere possem*, v. 17, sint petita, *CX*, censetque, consequens defensionis fuisse hoc, quod credentes ex circumcisione & tacuerint & Deum glorificaverint, id quod animo intenderat paterfamilias, uni murmurantium dicens: *sume quod tuum est, & abi*, *CXI*. A defensione priusquam abit, argumenta artificiosa adhuc respective considerat, & inter λόγους illum, qui ab æquali Judæorum & gentilium fide in Christum petitur, hic locum habere negat, *CXII*, & nonnulla de moribus Petri, Deique attributis, ut ex oratione eluceant, *CXIII*, atque passionibus animi auditorum, quæ invidia & malevolentia plenæ, sedandis *CXIV* addit. Postremo, ut quid mystici in *gnome* insit, constet, particulam ὡς ei inferendam esse judicat, ut integra sit hæc: Primi, seu Judæi, a Johanne ad Jesum Messiam perducti, erunt, *sicut* gentiles ab Apostolis cognitione Jesu Christi imbuti, si donorum Spiritus S. singularium

ratio

ratio habeatur; & quæ huic explicationi adversari videntur, studiose removet, *CXV*. Monetque, epiphonema: *multi sunt vocati, pauci vero electi*, ea de causa a Servatore adjectum, ne Judæi & gentiles ex donis Spiritus S. acceptis sibi persuadeant, se nullo modo gratiæ Dei vitæque æternæ jacturam facere posse, *CXVI*. Ne vero Nostro opponi possit, genuina rationis interpretandi sacras literas præcepta in hac expositione esse neglecta, affert criteria veri sensus loci S. Codicis a Cl. Rambachio præscripta, & suam interpretationem cum iis exacte convenire demonstrat, atque scopum parabolæ esse didascalico-elenchticum, objectum πιςόν τι, quæstionemque, quæ tractetur, finitam, quærique, num Deus gentiles in Jesum credentes largitione donorum Spiritus S. singularium Judæis credentibus æquando injuste agat, id quod Judæi affirmant, Deus autem negat, clarissime conficit, *CXVII*. Quemadmodum autem supra ostensum est, Cl. Autorem in exponendo sensu literali parabolæ varia philologica & philosophica simul attigisse: ita etiam illum in sensu mystico explanando varia argumenta Theologica & locos S. Codicis illustrasse apparet. Multa enim de eo, quod in pietatis studio præmia hujus & futuræ vitæ recte & secundario respiciantur, *LVI*, de duplici œconomia salutis seu temporibus ante Messiam & Messiæ, ut & V. & N. Testamento, *LXVI*, de vite super portam templi Hierosolymitani, *LXXI*, de natura fidei in Jesum Christum, *LXXII*, de baptismo fluminis & flaminis, seu Johannis & Jesu, *LXVII*, de gratia Dei præveniente, præparante, excitante, & operante, *LXXIX*, de Jesu Christo, qui secundum Evangelistas describitur, *LXXXIV*, de festo tabernaculorum, *LXXXV*, de ignorantia Jesu in ejus hostibus, *LXXXVII*, de Samaritanis, *LXXXVIII*, de gentilium contemptu Theologiæ naturalis & Judaicæ, *LXXXIV*, *CV*, de Judæis, *CVIII*, de distinctione in Judæos, Samaritanos, & gentiles, *CXI*, de Spiritu S. *XCIII*, de colloquiis personarum divinarum, *XCIV*, de donis Spiritus S. peculiaribus, *XCVI*, de loquela variis linguis, & de Erasmo atque Salmasio, eam non recte explicantibus, *XCIX*, de pactis Dei & hominum, *CIX*, de Petro Bælio, negante, Deum posse gloriam & laudem ab hominibus postulare, *CXI*, de invidia, *CXIV*, de distinctione voluntatis in antece-

tecedentem, in qua finis, qui salus, medium ad eum perveniendi, quod fides in Jesum Christum antecedat, & Deus dicat: *Ego volo omnes homines salvare*, ideo iis per verbum & sacramenta fidem in Jesum Christum confero; & in consequentem, in qua finis seu salus, medium, quod fides sequatur, & Deus dicat: *Hi virtute divina fidem in Jesum Christum receperunt & in ea persliterunt, igitur salventur*, & de paucitate salvandorum contra Curionem, *CXVI*, disserit; & ad intelligenda S. Codicis dicta, Matth. XIX, 20, *LVII*, 21, *LVIII*, Mal. III, 1, IV, 5, 6, *LXXIII*, Luc. III, 2, *LXXIII*, Jes. XL, 3, quod ad reditum Judæorum e Babylonia male applicetur, *LXXVI*, Matth. III, 11, *LXXVIII*, Matth. X, 23, V, 19, 20, *LXXXIII*, Joh. VII, 38, *LXXXVI*, Jo. IV, 9, *LXXXVIII*, Act. XIX, 1, 7, XI, 1, 2, 3, *CII*, *CIII*, com. 15, 16, 17, *CIV*, *CVIII*, *CIX*, *CX*, com. 18, *CXI*, quibus Rom. IX, 7, de voce *σπέρμα* & Gal. IV, 1, 2, de voce *ἐπίτροπος*, addenda, multa affert lectu admodum digna.

HISTORIA DE MAGNO SCHISMATE OCcidentis, in compendium redacta, & Tomis duobus comprehensa a P. MAXIMILIANO WIETROWSKI, e Soc. J. S. Theol. D. & Archi-Episcopalis Consistorii Pragensis Assessore.

Vetero-Pragæ, typis Caroli Joannis Hraba, 1724, fol. Alph. 1 pl. 17.

De hoc opere non possumus quin Lectores nostros moneamus, titulo ne fidem habeant, neve aliquid novi in illo præstitum esse, sibi persuaderi patiantur. Historiam enim hujus schismatis, a Lud. Maimburgio duobus tomis & sex libris comprehensam, qui legerit, eandem ab Autore nostro ex Gallico sermone in Latinum tantummodo translatam, & Autores in margine citatos ex Maimburgio fideliter descriptos esse, facile deprehendet. Maimburgii vero nomen Noster haud exprimere voluit, ut ingenii sui fœtum orbi eruditorum venditare videretur, quamvis eum sub historici cujusdam, vel scriptoris Gallicani titulo quandoque notare ausus sit, Pontificis Romani partes cæco obsequio pro-

prosequentium gratiam initurus. Namque Maimburgius antipapis addictos Schismaticos appellari posse negat, & Gallos hujus criminis ab Italis insimulatos tuetur; privatas revelationes rejicit, refertque, Gregorium XI moribundum pœnituisse, quod spretis prudentiorum consiliis, Brigittæ & Catharinæ Senensi, sanctam sedem ut Romam transferret, suadentibus, morem gessisset. Noster autem Clementi VII adhærentes vere ac formaliter Schismaticos fuisse asserit; Gregorium indoluisse credit, quod sanctarum Virginum adhortationibus obtemperare diu distulerit; S. Catharinæ Senensis revelationes, zelumque propugnat, & scriptoris Gallicani, literas hujus Virginis in dubium vocantis, argumenta refellere conatur; & S. Visulinæ Parmensis historiam f. 28 inspergit, ne tanto decore careat schismatis hujus historia. Neque hoc prætermittendum est, nonnulla Autorem nostrum omisisse, quæ Maimburgius prolixius describit. Conferatur modo historia Maimburgii, editionis Belgicæ p. 61, 80, 111, 137-142, 144--158, 171--177 &c. ubi res gestæ Joannæ, Reginæ Neapolitanæ, Ludovici Ducis Andegaviensis, & Caroli Dyrrhachii recensentur, cum hac versione Latina; & pleraque salva fide historica præteriri non debuisse, nec sine partium studio præteriri potuisse, facile constabit. Majore tamen cum voluptate hanc ipsam historiam Latine scriptam lectum iri judicamus, si puriore ac nitidiore stylo esset conscripta, nec plurimis scateret barbarismis & germanismis: ex. gr. *se resolvit ad sedem suam restituendam;* vel *resolutus est: metropolis Christianitatis in miserando se videbat statu: ad recommendationem: passionati scriptores;* & id genus aliis. Idem judicium ferendum esse censemus de Historia Schismatis Græcorum in Oriente, quam Autor noster nuper a se in lucem esse editam, & in dedicatione, & in principio hujus historiæ, ad exemplum Maimburgii, testatur.

Brandenburgischer ATLAS.
hoc est,
ATLAS BRANDENBURGICUS, SEU DEscriptio Geographica Marchiæ Electoralis Brandenburgi-

cæ, ejusque Nobilitatis, e documentis regioni domesticis confecta a JACOBO PAULO GUNDLING, Consil. Intimo Regis Borussiæ & Præside Reg. Societatis Scientiarum.

Potsdami, apud Barth. Neumann, 1724, 8.
Alph. 1 pl. 5.

FElix est illa regio, quam fidi Regum Principumque Ministri curatius explorant, & quantæ vel quam exiguæ sint ejus vires, Principi sine fuco aperiunt. Ita enim animus illius ad affectum vere paternum, ut regionis ægritudini manus medicas adhibeat, commoveri potest. Per - Illustris Autor per triennium (1713, 1714 & 1715) ipse urbes & vicos Electoratus Brandeburg. non perfunctorie, sed maxima cura perlustravit, ut adeo de multis rectius, quam ab aliis Geographis fieri antehac potuit, retulerit. Vidit enim omnia non alienis sed suis oculis, & authentica collegit documenta, tanto numero, ut eorum quatuor millia in Codice Diplomatico Marchico orbi promittat erudito: quemadmodum & spem facit de opere quodam Heraldico, & de similibus descriptionibus reliquarum Regis Borussiæ provinciarum, a se edendis. Præsentem hanc Marchiæ deli-
p.3.sqq. neationem auspicatur tractatione historica. Romanos in Veterem penetrasse Marchiam, ex Tacito & Vellejo probat, de statu
14 sq. antiquiori differit, & regionis bonitatem demonstrat. Hinc ad varios Marchiæ Dominos, quibus paruit, conversus, de Suevis, Romanis, Venedis, Saxonibus & Caroli M. victoria agit.
34. Nec tacet Marchionem Geronem ab Ottone I constitutum, Marchionesque alios, & Obotritarum in Marchiam dominium. Subnectit Marchionum e Comitibus Stadensibus historiam per compendium, & Domenslebienses Dominos Marchiæ, & quomodo demum sub regimine domus Ascharienfis in præsentem abierit for-
35 sqq. mam, quæque in illa acciderint, breviter percenset, filum ad hunc
69 sqq. usque diem perducens. Annectit statim annotationes, in quibus probat, Waldemarum, quem alii haud pauci Pseudo-Principibus accensent, utique veri nominis Principem, quem se venditabat, fuisse. Agit & de domo Bavarica, Limburgica & Zollerana.

Præ-

Præmissa deinceps generali Marchiarum divisione, veterem Marchiam Sect. I exhibet, cujus X fluvios, XV urbes ac tria cœnobia delineat. In additis vero notis nonnulla recenset curiosa, aliorumque emendat errores. Sect. II Prignitiam considerat, in qua VI fluvios, XI urbes, & duo cœnobia deprehendit. Marchiam mediam Sect. III sistit, ubi XII fluvios, urbesque secundum circulos, in quibus sitæ sunt, distributas, considerat, notis ac diplomatibus subinde asserta confirmans. Urbium hic major est numerus, quam in reliquis Marchicis provinciis, quæ & ceteras tum pulchritudine tum divitiis vincunt. Metropolin imprimis, Berolinum, Noster graphice describit: quæ descriptio vel sola lectores allicere posset. Ukero-Marchiam Sect. IV persequitur, ejusque VI fluvios, & XXVI urbes & arces. Sectio V Neo-Marchiæ describendæ est destinata, & XIV flumina, & in circulos distributas urbes expendit, quarum nec hic est parvus proventus. Tandem ad Nobilitatem Marchicam pergit, quam variis merito mactat encomiis, & secundum circulos, in quibus Nobiles prædia sua possident, ordine recenset.

p. 86 sq.
136 sqq.
226 sqq.
255 sqq.

Pommerischer ATLAS.

i. e.

ATLAS POMERANICUS, SEU DESCRIPTIO Geographica Ducatus Pomeraniæ, ejusque Nobilium, ex ipsius Regionis documentis edita a JACOBO PAULO GUNDLING, Reg. Boruss. Consil. Intimo & Societatis Scientiarum Præside.

Potsdami, apud Bartholom. Neumann, 1724, 8.

Plag. 18 ½.

Cum Per-Illustris Autor a Pot. Rege suo statum omnium in Pomerania Borussica civitatum penitius scrutari jussus esset, natus ipsi fuit hic alter Atlas, eodem anno, quo Brandenburgicus, eademque ratione descriptus. Et Historiam quidem Pomeranicam in tres dispescuit periodos, quarum prima illa complectitur tempora, quibus Vandali oras has habitarunt, quorum vestigia

p. 4. ſtigia in villis Vandaliæ ſe inveniſſe, autumat, eosque in Corinos, qui circa Curzig habitarunt, Rugios, qui a Rügenwalda usque ad inſulam Rugiam omnia impleverunt, Gothones, qui Pomerelliam, & Lemovios, qui tractum Lebenſem incolebant, divi-
8. dit. Num vero Franci has olim habitaverint oras, & Francofurtum ad Oderam, Sundam &c. ædificarint, & an Pomerania Geographi Ravennatis Mauringia ſit, ſtatuere haud audet. Secunda periodus incipit ab iis temporibus, quibus Venedi has regiones ſibi ſedem elegerunt, e Livonia huc advenientes. Ex his dedu-
15 ſq. cit non ſolum ſtemmata Nobilium Pomeranorum maximam partem, ſed & ipſorum Pomeranorum Principum. Tertiam tandem periodum a Pomeranorum converſione ad Chriſtianæ
23 ſq. 192 ſqq. religionis exordia deducit. Et hanc cum deſcribit converſionem, opinatur, Wartislaum, cum Otto adveniret, Chriſtianiſmo jam penitus miſiſſe nuntium, ſecus ac vitæ Ottonianæ ſcripto-
193. res docent, quos ſe alioquin ſequi fatetur. Pomeraniam deinde Bo-
36 ſqq. ruſſicam expendit, & amplioribus Germaniæ provinciis accenſet,
48 ſqq. ejusque circulos, quibus hodie dividitur, recenſet. His præfationis quaſi loco præmiſſis, ſequitur ipſa tractatio. Et quidem cap. I ſuppoſita antiquiori diviſione Pomeraniæ in 1) Ducatum Sedinenſem, 2) Pomeranicum, 3) Venedicum, 4) Caſſubicum & 5) Principatum Caminenſem; Sedinenſis Ducatus civitates XIII enumerat (computatis regionibus Uſedom & Wollin) & ſingularia nonnulla ejus recenſet. De Ducatu Pomeranico, ſtricte ſic
76 ſqq. dicto, c. II eodem agit modo, & XXX ejus civitatum ſingula-
105 ſqq. ria tangit. C. III Ducatum Venedicum, facto a monte Chollenberg initio, in regionem Rugenwaldenſem, Slavicum & Stolpenſem dividit, & commemorat, quod ante hos LXXX annos aliqui omnino e gente Veneda ſuperfuerint in hoc Ducatu, qui nomen olim a Venedis, eo ſe recipientibus, cum Germani reliqua occuparent, acceperint. Civitates tantum VII hic agnoſcit.
121 ſqq. Caſſubici Ducatus (de quo c. IV agit) Metropolin Gedanum dicit: & qua ratione XVII Capitaneatus ad Regnum pervenerint Polonicum, Pomeranis vero, præter diſtrictum Lauenburgenſem & Butavienſem, nil manſerit reliquum ex ampliſſimo hoc Ducatu, enarrans, nihil omittit, quo jura Regis ſui amplificet.

Inde postquam de Caminensi Principatu cap. V & VI pari ratione egisset, amplissimam appendicem subjicit annotationum, quibus antiquæ historiæ lucem accendit, suamque de dubiis quibusdam historicis aperit mentem. Putat itaque, Regam fluvium olim alium tenuisse cursum, Rügenwaldam esse Rugium Ptolemæi, Hertham ad lacum Bucoviensem fuisse cultam, non in Insula Rugia, Geographum Ravennatem non de Pomerania intelligi debere, Duces Pomeraniæ non ex Vandalis sed Venedis esse ortos, nec tamen ex spuriis Ducis Poloniæ Lesconis fuisse, conversionem Pomeranorum Boleslaum Polonum non propria, sed Papæ & Imperatoris autoritate promovisse, Ducem Pom. Wartislaum tempore Ottonis Christianissimum penitus abjecisse, Polonis olim Pomeraniam non fuisse subjectam, & quæ sunt reliqua. Tandem amplum subnectit Catalogum omnium Pomeraniæ Comitum, Baronum & Nobilium, commemoratis ipsorum feudis, urbibus ac pagis.

JO. GOTTLIEB HEINECCII, JC. ET ANTEcessoris, Elementa Juris Civilis, secundum ordinem Institutionum commoda auditoribus methodo adornata.

Amstelædami, apud Janssonio-Waesbergios, 1725, 8. Alph. 2 pl. 2.

EADEM ELEMENTA JURIS CIVILIS, CUM Animadversionibus JO. GEORG. ESTOR, J.V.L. P.P. & Historiographi Hasso-Darmstadini.

Giessæ, apud Jo. Philipp. Krieger, 1727, 8. Alph. 1 pl. 17.

JAm olim summo Viro, Jacobo Cujacio, bilem movebant ampliores in libellum Institutionum Justinianearum commentarii. Nullum enim ex libris juris civilis vel comtiorem vel faciliorem prædicabat, quive interpretem desideret minus. Quapropter ignobile plane judicabat otium illorum, qui eum libellum longissimis onerarent, non ornarent, commentariis, *quod positum est in una cognitione, in infinita dispartientes, quo scilicet plura scire videantur, ut illis quidem videtur; nostro,* inquit, *judicio, ostentatione va-*

 na.

na, quo ceteris nil ſcire videantur. Quibus licet dictis JCtos ejus ævi, quibuſcum ſimultates erant Cujacio, notatos ſciamus, juſtiſſime tamen hunc commentandi pruritum & intemperantiam reprehendit divini Vir ingenii, veriſſimeque cetera, quæ eo loco ſequuntur, de concinnitate, elegantia & facilitate Inſtitutionum dixit *Obſervationum & Emendationum Lib.* XI *cap. 38*, quod nunquam ſine voluptate legimus. Quid vero paſſuros Cujacii putemus Manes, ſi quidem his videre & ſentire daretur, quot, qui, quales, quorum inde poſt ejus fata exierint commentarii, plerique invita Minerva, plerique infelici ſidere, plerorumque alter ex altero exſcriptus, plerique *veluti errorum omnium maculis pulcherrimum libellum deformantes, ore quandoque etiam effuſo in veterum Juris-conſultorum doctrinam ſingularem ac prope divinam?* Quid? ſi daretur iis ſcire, quo numero, quam diverſa methodo, quam imparibus ſubſidiis inſtructa hodie extent Inſtitutionum compendia, compendiorum commentarii, annotationes, animadverſiones, additiones, harmonicæ collationes, paraphraſes, nuclei, ſynopſes ac pene dixerim compendiorum compendia, quibus vel ſolis bibliothecam inſtruas, ſi male collocandum æs foret, ſique introductis in eam juris tyronibus, perterritos multitudine ac varietate infinita tot voluminum, *deſertores ſtudiorum*, vel δυσελπίστους εἰς τὰ μετὰ ταῦτα efficere propoſitum eſſet. His farinæ hujus ſarcinis diſcruciati Manes Cujacii haberent tamen, in quibus ſolatium & delicias ſuas invenirent, paucos licet, poſthumorum ſuorum fœtus felices, qui rectis & legitimis apparati ſubſidiis modum finemque tenent, atque elementorum vel principiorum juris titulum defendentes primis Juſtinianeis veram & egregiam per omne ſtudium juris utilitatem præſtant. Nemo ante Celeberrimum *Heineccium* tam inſigniter meritus eſt de aureis Inſtitionum libris, quam ipſe primum eleganti Antiquitatum eos illuſtrantium ſyntagmate, jamque his elementis nova & ſynthetica concinnatis methodo, quæ non modeſtiore, non æquiore indicari poterat elogio, quam, *eam auditoribus commodam eſſe.* Præit totus hic libellus ingenuam ex legitimis principiis Jurisprudentiam docendi diſcendique rationem, præclaroque eſt ſpecimini, quam exacte jus noſtrum cohæreat, ſimul re ipſa refellit eorum opinionem, qui omnia in Jurisprudentia faſtidiunt & pleraque, ſi non abſurda

&

& stolida, saltim minus consequentia & sui dissimillima esse, clamitant. Nihil profecto abundans, nihil inutile, nihil perperam & injusto loco, nihil quod memoriæ soli commissum oneret discentes,positum,nihil quod acri judicio probatum sublevet eorum diligentiam, acuat ingenium, in hoc compendio prætermissum est. Jam is apparet in genere dicendi nitor,ea concinnitas & perspicua brevitas,ut vel ob has Gratias commendandus foret libellus quibusque meliorum literarum studiosis. Quo vero de methodi ratione clarius constare queat,ipsis Nostri verbis illam adumbrare juvabit. ,,Eum, scribit, ordinem servavi, quem scopo meo credidi accom-,,modatissimum. Notionibus enim rerum paullo distinctioribus ,,investigatis,inde definitiones elicui, servatis plerumque antiquis, ,,si probæ essent, vel novis, si istæ haud satisfacerent, constructis. ,,Hinc progressus sum ad axiomata,quo nomine propositiones,ex ,,definitionibus ἀμέσως fluentes,intelligo. Hæc excipiunt corolla-,,ria,vel consectaria,ita disposita,ut ea,quæ ex uno eodemque axio-,,mate fluunt,semper conjungantur.His adscripsi leges potiores,ut ,,appareret, illa consectaria in libris Justinianeis omnino reperiri. ,,Sæpe & ex pluribus definitionibus inter se comparatis doctrinas ,,quasdam collegi,imitatus Geometras,qui ejus generis propositio-,,nes,si theoreticæ sint,theoremata,sin practicæ,problemata solent ,,appellare. Aliquando & scholia inspersi, quibus vel doctrinæ ,,paullo difficiliores illustrarentur,vel id aliunde demonstraretur, ,,quod in ipso paragrapho fuerat traditum,vel juris antiqui a novo ,,discrimen explicaretur. Cum pleraque una veluti serie cohære-,,ant: nolui paragraphorum numerum in singulis titulis abrum-,,pere: cujus instituti hunc quoque fructum cepi,ut,ex quo princi-,,pio singulæ conclusiones fluant, citato per parenthesin paragra-,,pho eo facilius possem commonstrare.,, Ut harum citationum ostenderet utilitatem, exemplum in præfatione subjecit, quod & ipsum recensere commodum erit. Dixit §.728,arrogatori olim omnes res,corporales & incorporales,arrogati pleno jure fuisse acquisitas. Rationem quæris? eam ostendent paragraphi,quos citavit,179 & 472, quia videlicet arrogatio sit modus acquirendi patriam potestatem & pater veteri jure omnia indistincte per filium acquisiverit. Porro scire cupis,cur liberi omnia parentibus acquisiverint? rationem reddet §.135,qui ad principium, §.133 explicatum,te

remittet, ubi oſtenſum, patriam poteſtatem vere fuiſſe dominium Juris Quiritium: dominum autem per rem ſuam acquirere, nemo dubitat. Atqui forſan dubium videbitur, liberos in dominio juris Quiritium fuiſſe: ſed eximet ſcrupulum idem §. ubi liberos ratione patris fuiſſe res mancipi, demonſtratur. Quis vero dubitet, res poſſe eſſe in dominio? Porro mirum videbitur, liberos fuiſſe res, cum fuerint homines. Sed & hic in viam te revocabit §. 75 ſeq. ubi oſtenditur, qui nullo trium ſtatuum civilium gaviſus ſit, eum hominem quidem habitum fuiſſe, ſed non perſonam, ceu ex ipſa definitione perſonæ apparet. Atque vel hoc exemplo pateſcit, quam accurate diligenterque Noſter ab interioribus & reconditis Juris Romani principiis omnia repetere ſtuduerit, quamque perpetuo nexu ſingulæ doctrinæ & concluſiones inter ſe cohæreant, quem per tot diverſa & inter ſe librorum titulorumque intervallis disjuncta capita occultum, citationes illæ, inſtar fili Ariadnæi, manifeſtum reddunt. Equidem dolendum, quod operarum errore in editione Amſtelædamenſi accidit, ut numero eodem bis vel ter repetito alicubi turbarentur paragraphi, neque citationes eorundem ubique convenirent. Cui incommodo quæſivit Autor hoc remedium, ut in calce opuſculi indicem hujusmodi erratorum exhiberet, ad cujus ductum nævos hos emendare liceret. Verum in iterata libelli editione, quam Bibliopola Gieſſenſis nuper procuravit, emendatio adhibita, ſublatisq; typorum erroribus, jam numeri paragraphorum & ſeries iterum conſpirant; quæ cura nitorem chartæ & elegantiam typorum, quæ deſideres, penſant, præterquam quod minor ſumtus hanc editionem commendat extra Saxoniam noſtram, in qua privilegium impetrarunt bibliopolæ Amſtelædamenſes. Adjici curavit Gieſſenſis Bibliopola animadverſiones Conſult. *Eſtoris*, quas cum auditoribus hic communicaverat, dum illis hunc libellum exponeret. Sunt eæ ex vario lectionis atque doctrinæ penu annotatæ, quantum fieri potuit, plerumque adſtrictiores, aliquando pleniores, & fere ſuggerunt, quæ meliores Juriſconſulti, præſertim recentiores, non ſolum ad Inſtitutiones, ſed & ad ceteros juris noſtri libros obſervavere. Denique nuntiandum eſt, præſtantiſſimum doctrinæ Digeſtorum compendium, eadem prorſus, qua hæc elementa, methodo a Noſtro adornatum, jam propediem apud Waesbergios prelo exiturum eſſe.

MOREL-

MORELLI DE MAUTOUR OBSERVATIO de Ara Apollinis, Colmariæ in Alsatia nuper reperta, depromta e Diario politico, LE CLEF DU CABINET, M. Jan. 1727 p. 1 sq.

DEdit nuper Illustris *de Corberon*, Præses Consilii summi Alsatiæ primarius, Parisios ad nobilem quendam, *Morellum de Mautour*, literas, quibus eum Consilii sui de antiqua Inscriptione, insculpta aræ cuidam Apollini sacræ, fecit participem. Inventa est hæc Inscriptio Horburgi, urbe vix ducentos passus, seu quartam partem milliaris, a Colmaria sita, in domo civis cujusdam. Ara hæc lapidea, cujus pars anterior a sculptore fronte ornata, altitudine sua quatuor pedes & duos digitos, latitudine circiter duos pedes habet. Inscriptio ipsa hæc est:

APOLLINI GRAN
NO MOGOUNO
Q. LICINIUS TRIO.
ARAM.
D. S. D.

In hanc Inscriptionem doctissimus *de Mautour* conscripsit Dissertationem sequentem, quæ superiore A. 1726 in publico consessu Academiæ Regiæ Inscriptionum, cui ipse Socius assidet, prælecta atque approbata est.

Titulus ille, aut potius duplex titulus, *Granno Mogouno*, explicationis nostræ, quæ de Inscriptione ista proferenda est, potissimum caput constituit. Gruterus pag. 37 & 38 primæ editionis, novem diversas exhibuit Inscriptiones, aris Apollini consecratis insculptas, eodem omnes ac solo Granni titulo insignitas; quæ singulæ in diversis ac longe dissitis regionibus fuerant inventæ, nimirum Romæ, Müsselburgi in Scotia, Enderaci juxta Edenburgum, Brettæ in Dacia, quæ urbs sita juxta fluvium Sargetium, & nobilitata est ingenti clade Decebali ejusque exercitus a Trajano inflicta, cujus amplam Dio Cassius facit mentionem, & tandem *Phinigiaci*, *Laulingiæ*, & *Faingenæ*, in Diœcesi *Augustana*.

Velserus in fine Historiæ suæ, quam de antiquitatibus August. Vindel. aliarumque hujus ditionis civitatum composuit, quinque earundem Inscriptionum, quas habet Gruterus, in medium profert. Videtur ibi ad illorum propendere sententiam, qui cognomen Granni seu Grani Apollini tractum existimant ex

nobilissima illa Germaniæ civitate, quæ Aquis-Granum aut Aquæ-Grani dicitur, ubi non temere credendum sit divinos Apollini honores singulari quadam pietate consecratos. Neque deesse sua conjecturæ isti argumenta putat, cum facile creditu sit, sua balneorum aquarumque mineralium, quæ sacræ sunt Apollini, abundantia Aquisgranenses ad sacra ista obeunda fuisse invitatos. Sed omne crediderim hujus fundamentum vacillare aut plane corruere, si quis vel ipsam nominis Aquis-Grani vetustatem in dubium vocare aggrediatur. Certe antiquorum Geographorum ne unum quidem scio, qui ejus nominis ullam faciat mentionem. Primi fuerunt mediæ ætatis scriptores, uti inter alios Luitprandus decimo seculo & Regino in suo Chronico, qui incognita ante Aquis - Grani, Grani Palatii, Thermarum Grani, Aquis Palatii nomina in lucem proferunt. Quis vero nostrum tam credulus sit, ut fidem habeat iis, quæ in diplomate quodam Friderici I Imperatoris A. 1164 referuntur, ibidemque occasione balneorum Aquis-Granensium confirmantur quodam Caroli M. testimonio, quod nempe Granus fuerit cognomen Principis cujusdam Romani, fratris Neronis, qui exstruxerit palatium istorum balneorum.

Quicquid hujus rei sit, si admittenda sit sententia, quod sub Granni aut Grani nomine Aquis-Grani cultus fuerit Apollo, inde promta statim simul foret opinio, tot fuisse hujus Numinis in locis tam diversis & dissitis cultores & adoratores, quot ipsi olim fuerant in Tyro, Delo, Delphis, quod tamen haud ita facile quisquam sibi persuaserit. Sed annon forte de alia nobis urbe Granum dicta possit constare, quæ diversa sit ab Aquis - Grano, cujusque aliquod adjectum epitheton Mogouno faciat indicium?

Mœnus fluvius est Germaniæ, qui fere e regione Moguntiæ Rheno immittitur. Notum in vulgus est, Latino sermone fluvium istum plerumque dici solere Mœnum. Neque tamen desunt scriptores, qui Mogonum veteri appellatione vocant. Plinius, dum Lib. 9 Cap. 15 de pisce quodam vorace, Siluro, strugionum specie, disserit, *Silurus*, inquit, *grassatur ubicunque est*, equos natantes — — — — *demergens præcipue in Mœno, Germaniæ amne prope Visbium*. In antiquo quodam MSpto legitur: *in Æno Germaniæ amne prope Visbium*, in alio rursus, *prope Ubios*, in Jacobi Dalechampii editione Plinii & Notis in hunc locum dicitur: *Plinii tempore nullus fuit in Germania Mœnus fluvius:*

us: sic posteritas eum vocavit, quem tali nomine saeculum nostrum agnoscit, quapropter legendum putat: praecipue in Rheno, pro: *Moeno*. In hanc sententiam non sine argumento Commentator iste videtur incidisse. Quod igitur cum admiseris, idoneo hoc teste uti poteris ad confirmandam sententiam, quod fluvius iste veteribus nunquam *Moenus* dictus fuerit, verum potius *Mogonus*.

Ita *Grano Mogouno* in Inscriptione nostra, ut distinguatur ab *Aquis Granni*, aut *Aquae Granni*, fuerit forte alius quidam locus situs circa littora Moeni, juxta Moguntiam, ubi Apollini sacra facta fuerint. Hunc locum, hanc civitatem, fatendum est, nobis plane hodie esse incognitam, ut innumeras alias civitates, quarum neque memoria, neque ipsum nomen ad nos pervenit. Quando respicimus ad ea, quae aversis nummorum quorundam inscripta sunt, ut: *Herculi Densomiensi, Herculi Maccusano*; quem unquam rerum antiquarum peritum tam felicis ingenii fuisse praedicaveris, ut exacte definire atque cognoscere loca illa potuerit, ubi iisdem sub nominibus Herculis thura libata fuerint. Nonnisi fallaces conjecturae fuerunt, quaecunque de Germanicis harum urbium natalibus Tristanus protulit. Forte eadem ratione se res habet cum Apolline *Granno Mogouno*. Neque forte infeliciter judicabis, si cum illustri quodam hujus Academiae membro (*de Boze*) suspiceris, legendum potius in hac Inscriptione *Moguntino*, seu *Moguntuno*, quam *Mogouno*, atque ita haec duo nomina, *Grano Moguntino*, ideo sibi juncta intelligi debere, ut vinculi, quod inter Aquisgranum & Moguntiam intercedit, tacite habeatur ratio, uti hanc in rem exempli loco sunt nummi Graeci cum Inscriptione: *Omonoja*, ad designandam utriusque concordiam; vel ut innuantur hic duo loca Grani nomine insignia, alterum Aquisgranum, alterum *in agro Moguntino* situm. Haec sunt, quae de argumento obscuritatis pleno nobis in mentem venerunt; quodsi tamen nec haec cuiquam videantur satis verisimilia, sane de Apolline nostro actum est, eumq; jubebo abire ad ignotos Deos Sponii, qui 103 producit, nullam tamen facit mentionem eorum, quae ad nostrum pertinent Apollinem.

Cum vero & ex antiquitate Inscriptionis de vetustate loci, ubi inventa illa, judicium ferendum sit; non abs re fore ducimus, si quaedam ex antiquitatum monumentis decerpta de ejusdem fatis ac mutationibus curioso Lectori propinemus.

Horburgum est civitas, sita ad fluvium Ellum (*Ill*) juxta Colmariam. Rhenanus & Ortelius perhibent, non aliam hanc fuisse, quam celebrem illam veteribus cognitam *Argentuariam* seu *Argentariam*, quam constet antiquam fuisse Romanorum coloniam. *Hodie vicus est Ello flumine imminens, Horbourg nomine.* Ammianus Marcellinus L. 31 mentionem facit ingentis victoriae, ab Imperatore Gratiano de Germanis in hisce agris reportatae, quae ut luculentius lectori pateat, placet in praesenti delibare quaedam ex iis, quae hanc in rem a Tillemontio in vita hujus Imperatoris dicta sunt, Latine hic translata. Gentes, quae ultra Rhenum habitabant, appellatae Lentienses, supra Rhenum exercitu quadraginta mille hominum evagabantur, hoc animo,

mo, ut depopularentur vicinas provincias. Hujus excursionis cum ad Gratianum Imper. pervenisset nuncius, ejus statim imperio redire jussæ sunt, quibus Pannonia decreta erat, copiæ; *revocatis cohortibus, quas præmiserat in Pannoniam.* Junxit iisdem alias, quas Gallis opponere constituerat, hasque universas sub imperio Comitis Nannieni & Mellaubaudii, Regis Francorum, seu potius Francorum Ducis bellici, contra Lentienses duxit. *Nannieno negotium dedit virtutis sobriæ duci, eique Mellaubaudum junxit pari potestate collegam, domesticorum Comitem, Regemque Francorum, virum bellicosum & fortem.* Orosius L.7 testatur, quod Gratianus ipse in acie comparuerit, primusque contra hostem pugnaverit: *horrifico adversum frangere,* addit Ammianus, *primum apud Argentuariam, signo per cornicines dicto concurri est captum.* Itaque pugna pugnata est juxta urbem Argentuariam in Gallia, quam aliqui Colmariam in Alsatia fuisse autumant; hactenus Tillemontius. Hostium triginta millia perierunt, ac multi capti. Ipse Rex, quem Autor dicit *Priarium*, in hoc prœlio cecidit. Valesius in Notis suis ad Ammianum, adoptans correctiones Velseri, non Priarium sed Priamum legendum putat, ex testimonio Prosperi in Chronico, & Sigeberti Gemblacensis. Idem hic est Priamus, quem Autores nonnulli inter majores Pharamundi collocant.

Aurelius Victor, ubi de eodem prœlio differit, ita dicit: *hic apud Argentorium oppidum Galliæ 30 Allamanorum millia in bello extinxit.* Andreas Schottus in suis Observationibus pro *Argentorium*, legit *Argentariam. Sic fœminini generis, libri veteres.* Sed idem longe fallitur, quando ita pergit: *oppidum forte illud, quod hodie nomen retinet in agro Lemovico, Argenton.* Duplicem enim hic errorem committit, dum non solum, quæ ditionis Bituricensis est, urbem in agro Lemovico sitam confingit, verum etiam fallaci nominum analogia deceptus civitatem Argentonensem cum antiqua Alsatiæ Argentaria confundit.

Ptolemæus *Argentariam* Galliæ Belgicæ civitatem asserit, quamvis potius Alsatia, omnisque illa pars Germaniæ, cis Rhenum, videatur olim ad Galliam Celticam spectasse. Citatam istam urbem reperias in Itinerario Antonini, & tabula Peutingeri, imo sunt nonnulli, qui credunt, super ejus ruinis exstructam esse urbem *Colmar*, latine *Columbariam*, eo tempore, quo Fridericus II imperium in Germania tenuerit, seculo XIII. Hoc certe constat, ista ætate idem oppidum ab Albano Volstenio, Præfecto Alsatiæ, muris fuisse cinctum.

Quintus Licinius Trio, qui aram istam dicavit Apollini, fuit e gente Licinia, quamvis cognomen Trio commune alias fuerit genti Lucretiæ. Harum utraque, vel Patricio vel plebejo sanguine orta, in plures ramos abiit; uti satis patet ex nummis Consularibus apud Patinum in familiis Romanis.

Hæc postquam cum Celeb. ECKARDO, *sententiam ejus exploraturi, communicassemus, remisit is mox ad nos Dissertationem, Wirceburgi in 4* de Apolline Granno Mogouno in Alsatia nuper detecto, *impressam, quam profundæ eruditionis plenam, & paucorum forte in manus perventuram, integram proximæ Sectioni inseremus.*

ACTORUM ERUDITORUM,
Quæ Lipsiæ publicantur,
SUPPLEMENTA.
Tom. IX Sect. VIII.

ORIGINES GENTIUM ANTIQUISSIMÆ,

or

ATTEMPTS FOR DISCOVERING THE TImes of the first Planting of Nations.

i. e.

TENTAMINA CIRCA ERUENDA TEMPOra primæ propagationis nationum; Autore R. CUMBERLANDO, Theol. D. & Episcopo Petroburgensi; publicata ex MSCto Autoris a S. PAYNE, A. M. Ministro verbi Barnaci in Comitatu Northamptoniensi.

Londini, apud R. Wilkin, 1724, 8.

Alph. 1 pl. 20.

IN præfatione Editoris, multa erudita de scriptoribus Græcis, imprimis de fide Herodoti, Ctesiæ, Xenophontis, complectente, commemoratur, fragmentum Sanchoniathonis cum explicationibus historicis Anglice ab Autore, in his studiis versatissimo, editum (vid. recensio in Actis his A. 1722 p. 524) primam hujus operis partem constituere: id vero Porphyrium, strenuum gentilismi defensorem, historiæ Mosaicæ, eo ipso præter ejus opinionem confirmatæ, dum opposuit, feliciter conservasse: jamque Editorem, excitatum plausu, quo illud exceptum, tractatus

 quos-

quosdam autoris, non quidem plane cohærentes, ita tamen, ut in lucem prodire queant, elaboratos, ceu partes vasti operis, quod inscribendum, *Origines gentium antiquissimæ*, evulgare, abjecto eas alio ordine dispositas & in epitomen contractas Latine edendi consilio. Sunt autem *Tractatus IX*, quos & præfatio recenset, cui subjuncta est tabula Chronologica a diluvio ad A. M. 2890.

Tractatu I Noster commentatur in *Gen. XXXVI*, de occupata a posteris Esavi sede in montibus *Seir* usque ad *Elparan*, quorum antiqui incolæ fuerant Horitæ, & de regimine hujus terræ, ante & post hanc occupationem, cum inquisitione temporis, quo ea contigit. Heic monet Editor in præfatione, commentatores erraſſe, qui Reges illos omnes, dicto capite commemoratos, Edomitas, seu ex posteritate Esavi fuisse existimarint: neque ferendam esse recentioris autoris (Jo. Clerici) audaciam, qui in prolegomenis suis in Commentarium in Genesin editum Amstel. 1693 expungendos putaverit, ceu suppositios, novem illos versus ab 31 ad 39, quibus Horitarum antiqui Reges enarrantur. Mosen hoc capite id agere putat, ut ostendat, impletum esse vaticinium Rebeccæ divinitus revelatum *Gen. XXV*, 23, & simul ob oculos ponat gratiam Esavo ejusque posteritati a Deo exhibitam, dum, ejecto veteri colono, finitimam Cananææ terram ei possidendam concesſit, antequam posteritas Jacobi terram propriam haberet. In ipsa tractatione tres ponuntur capitis hujus, *Gen. XXXVI*, periodi: I
p. 18. a *v. 1* ad *19*, II a *v. 20* ad *40*, III denique a *v. 40* ad finem. Tum in tabula Chronologica proponitur per conjecturas maxime probabiles investigatus, & variis rationibus firmatus Synchronismus, quo vixerunt Patriarchæ ab Abrahami A. 85 ad Mosen: quo & successive regnarunt VIII Reges Horitarum, ab A. M. 2093 ad 2429, secundum annales Usserianos; ac deinde, ex hypothesi, simul Idumeæ per aristocratiam ab A. M. 2429 præfuerunt XXI duces, VII ex posteris Seir, & XIV ex posteris Esavi; (qui ipse ducis titulo non ornatur, nec totam regionem, sed partem saltem terræ, agrum Edom *Gen. XXXII*, 3 dictum, possedit) & iterum alii duces mere Esavitici, *Gen. XXXVI*, 43 *seqq.* memorati, usque ad Regem sub exitum Israelis ex Ægypto regnantem, ad quem Moses

Moses vix Ægypto egressus A. M. 2513 legationem misit. *Num. XX, 14.*

Tractatu II Autor in *Deut. II, 23* docet, quod *Havæos*, habitantes in *Chazerim* (villis) usque ad *Gazam, Caphthoræi*, exeuntes e *Caphthor*, perdiderunt & loca illorum inhabitarunt. Caph- p. 24.
thoræos nempe & Philistæos ex Ægypto prodiisse circa tempora primi regis Phœnicii Salatis, regnantis in Caphthore. Mosen his & duobus superioribus versibus Israelitis fidem facere, quod possit & velit Deus Cananæos exstirpare, eamque in rem ab ipso adduci tria exempla, I Ammonitarum, qui Samsummim, *v. 20, 21;* II filiorum Esavi, qui Horitas, *v. 22;* III Caphthoræorum, qui Havæos deleverunt, *v. 23.* Explicatio hujus loci tribus includitur quæ- 27.
stionibus. I *Quinam hi Havæi*, העוים, *fuerint, & quotam partem terræ Canaan possederint?* Respondetur, fuisse populum Cananiticum, eundem cum Ivæis, seu Hivitis החוי, quorum sæpe fit mentio, & possedisse terram Philistæorum, quorum urbs erat Gaza; atque habitasse in villis, id enim significare vocem חצרים, eorumque reliquias jugo servili oppressas mansisse inter Philistæos. *Jos. XIII, 3.* II *Quinam fuerint Caphthoræi* & 35.
Philistæi, *pluribus Scripturæ locis juncti, & unde venerint oppugnatum Havæos, & eorum terras occupatum?* Respondetur, unum eundemque fuisse populum Ægyptiacum ex *Gen. X, 14, Jerem. XLVII, 4, Amos. IX, 7,* ubi Caphthor antiqua Philistæorum sedes dicitur. Caphthor autem, Hebræis alias *Sin, Ezech. XXXI,* 39.
16, Chaldæis *Tin*, Græcis *Pelusium*, hodie *Damiatam*, Ægypti portam & propugnaculum esse, ad extremum Nili ostium Taniticum. Idque patere ex versione Arabica Pentateuchi, Caphthorim vocante cives Damiatæ; nec obstare, quod LXX hoc loco Cappadociam & Cappadoces nominent. *Lightfootum* enim *de-* 41.
cade Chorographica in Marcum observasse, Judæos hoc nomine nil aliud quam Damiatam designare, quemadmodum Romam Edom, Christianos Chuschitas vocare soleant; idque satis confirmari testimonio Maimonidis Ægyptii. Tum refutantur 46.
argumenta Bocharti, qui hic Cappadociam Asiæ minoris intelligendam putat. III *Quodnam tempus, & quæ occasio hujus migra-* 77.
tionis fuerit? Respondetur: uti ex *Josepho* contra *Apionem*,

 Afri-

Africano, Eusebio, & *Syncello* pateat, incidere eam in tempora Salatis primi Regis Phœnicii, seu Cananæi, in Ægypto, atque adeo in A. M. circiter 1920. Occasionem præbuisse bella Cananæorum adversus Ægyptios, quibus Pelusio expulsi alias sedes quærere
p. 81 re coacti sint Ægyptii hi Caphtoræi & Philistæi. Additur derivatio Pelusii & Palæstinorum a radice פלש, *volutare se in luto*, vel *cinere*, unde Græcum πηλὺς, & παλαύειν, quæ significatio conveniens situi Pelusii cœnoso in ostio Nili, cui & notio verbi Chaldæa & Syriaca, *apertum*, *patens*, *aditum*, nec non Æthiopica & Samaritana, *migrationem* designans, haud male congruat.

83 *Tractatu III* subjungitur tabula exhibens Synchronismos regum Canaan, Seir & Ægypti ab A. M. 1849 ad 2553, quæ & notis eruditissimis, Ægyptiorum & Phœnicum antiquissimam historiam mire illustrantibus, explicatur. Ita bellum Titanum adversus Deos, est ipsum illud bellum Typhonum, h. e. Cananæorum adversus primos Ægypti Reges in Deorum numerum relatos. *Typhon* enim, quem Plutarchus libro de Iside fratrem Osiridis vocat, est *Canaan*, frater ipsius Mizraim; nomine Typhonis itaque intelligenda omnis potestas Cananæa Ægyptum invadens. Ipse etiam Diod. Siculus confirmat, fabulas Græcorum de Giganto-
93. machia ex Ægypto esse derivatas. Regina Æthiopiæ *Aso*, Plutarcho memorata, Typhoni opitulans, idque navibus in mari rubro, est Semiramis, quæ & partem Arabiæ, Æthiopiam dictam, tenuit. *Cham*, sive *Cronus*, est pater *Beli*, qui & *Chusch*, avus *Nimrodi*, qui & alio nomine *Ninus* est. Idem fuit Ægypti dominus, eique duos Reges misit, *Mizraim*, & filium ejus *Thoth*, sive *Athotem*,
101. qui & *Horus*, & *Anubis* inter Ægyptiorum Deos canino capite effictus, ad designandam hieroglyphice ejus sagacitatem & vigilanti-
124. am. Phœnicum seu Cananæorum, quos reduces ex Ægypto terra Canaan ægre capiebat, coloniæ pleræque non, ut Bochartus putat, hinc inde sparsæ sunt a tempore Josuæ, sed a tempore ipsius reditus ex Ægypto, qui contigit circa mortem Abrahami, A. 370 ante Josuæ invasionem. Et Græci confitentur, quod Phœnices, adeoque & litteræ a Cadmo in Græciam translatæ, ex Ægypto prodierint; ut alia taceamus longe plura.

Tract.

Tract. IV, de generis humani per tres filios Noachi sufficienti propagatione ad condendas gentes omnes, ut & de dispersione hominum in varias partes terræ, speciatim de tempore conditæ urbis Ninives, metropoleos regni Assyriaci, disserit. Fundamentum propagationis hominum celerrimæ post diluvinm ponitur 1) in robustiori, adeoque ad procreandos liberos aptiori corporis habitu, qualem ipsa hominum longævitas demonstret; 2) in gradibus longævitatis, non subito, sed sensim decrescentis: siquidem in tribus prioribus a diluvio generationibus Arphaxad, Salah, Heber, vixerint ultra 430 annos. Inde 3) ponens parem fere longævitatem omnium fere ejusdem generationis hominum, parem itidem fere πολυτεκνίαν, liberosque procreandi initium ab A. ætatis XX, & parem numerum masculorum & fœmellarum, tabulam construit, qua evincit, anno CCCXL post diluvium exstitisse mares uxoratos 3, 333, 335, 330. Ceterum Niniven, adhibito loco *Gen. X, 11*, circa A. M. 1955 tribus post diluvium seculis conditam evincit. Nimrodum enim ipsum esse *Ninum*, quem urbis ἐπονύμε conditorem tradunt *Strabo*, *Diodorus Siculus*, *Eusebius in Chronico*, alii. *Nini* vero patrem, *Belum II*, Mosi *Chusch* dictum, avum *Cronum*, a קרן quasi coronatum dicas, *Chamum* esse, qui & nonnunquam *Belus* dicatur, adeoque *Belus I* sit, siquidem nomina Beli & Croni dominationem designantia pluribus tribuantur.

p. 142. 144. 146. 161. 168.

Tract. V, seu appendix præcedentis exactius in intervallum inter fundationem Ninives & interitum Sardanapali inquirit, ex quo Monarchia Assyriaca discerpta in regnum Babyloniæ incipiens cum Nabonassare, & Mediæ, incipiens in Deioce; relicto tamen Tiglath Pilassari, ejusque successoribus, regno Assyriaco tam valido, ut Syriam occupare, & X tribus Israelis in captivitatem abducere potuerint. Probat hinc Autor, Sardanapali interitum, vulgo in antiquiora tempora relatum, incidere in annum 27 post initium Olympiadum, qui A. M. 3255, ante n. C. 748, inque ipsum initium æræ Nabonassaris, recte ita statuente Usserio. Quo & refert *Velleji Paterculi* testimonium, qui interitum hunc contigisse scribat A. 770 ante consulatum Vinicii: consulatum vero hunc incidere in annum periodi Julianæ 4743, unde subtractis annis 770, emer-

190. 204. 206.

emergat annus hujus periodi 3973, qui differat saltem sexennio ab A. 3967, cui affixum initium æræ Nabonassareæ.

p. 230. *Tract. VI* argumentum de antiquissima origine, & longa duratione imperii Assyriaci uberius explanat, & (contra *Marshamum*, qui Assyriacum alicujus momenti imperium ante Regem Phul extitisse negat, siquidem Sesostris Ægypti Rex, & ejus successores imperium Asiæ tenuerint,) rationibus e Scriptura S. & autoribus gentilibus demonstrat imperium Assyriacum ante Nabonassarem. Adducit itaque loca Scripturæ, quibus Mesopotamia extra terminos Chaldææ stricte dictæ sita, & in ea Ur, unde egressus Abraham, dicitur Ur Chaldæorum. *Gen. XI, 28, Act. VII, 4.* Ex quo patere ait, Chaldæos jam tum Mesopotamiæ dominos fuisse. Inde allegat *Ciceronem de divin. l. I, Xenophontem* in *Cyropædia, Herodotum* in *Polyhymnia*, Chaldæos partem imperii Assyriaci facientes. Nec est, ut reliqua persequamur.

264. *Tract. VII* Græcas & Romanas antiquitates connectere tentat cum antiquissimis regnis orientalibus in Asia & Ægypto; atque adeo cum dispersione Babylonica, proxime a diluvio facta. Hujus sunt capita duo. I De Coloniis Græcis, speciatim de *Pelasgis*. II De *Tyrrhenis*, sive ut antiquiores Græci scriptores eos vocant, *Tyrsenis*, coloniis ex imperio Assyriaco profectis & fundamenta jacentibus Græci & Romani Imperii. *Capite I* præter alia

268. ostendit, sub initium seculi tertii post diluvium Græciam primos accepisse colonos per Osiridem, Isidem, Prometheum, Japeti filium, qui in Bœotia consederit. Respondetur ad objectionem de

272. adventu Cereris in Græciam tempore Erechthei, monstraturque de importatis ex Ægypto frugibus hunc adventum esse intelligengendum, & *Pausaniæ* quædam, ubi antiquissimos Bœotiæ populos, *Hectenes, Hyantes*, & *Aones* commemorat, explicantur. Porro regnum Sicyoniæ medio seculo III post diluvium cœpisse, &

275. huic finitimum exiguum regnum Arantiæ, seu Phliuntis, regnum itidem Pelasgorum in Arcadia & Argis fere coævum fuisse, autoritate cum præcipue *Dionysii Halicarnassei*, tum & aliorum ostenditur; iterumque *Marshamus*, regno Sicyonio eam, quæ vulgo

293. ipsi tribuitur, antiquitatem detrahens, & *Castoris* ac *Pausaniæ* laterculum Regum Sicyoniorum rejiciens, confutatur, atque omni

studio

ſtudio Pelasgorum antiquitas aſſeritur. *Cap. II de Tyrrhenis* p.315.
probatur, Tyrrhenos eſſe coloniam Lydorum; antiquiorem vero hiſce in Italia coloniam eſſe Umbrorum, quos Græci vocent *Ὀμβρίκες*, *Herodotus* ſpeciatim Ὀμβρικὸς, cujus nominis rationem hanc maxime notabilem ſuggerat *Plinius : quod inundatione* 321
terrarum imbribus ſuperfuiſſent. Hic diluvium univerſale intelligendum, & Umbrorum conditores diluvio proximos fuiſſe Autor aſſerit, & *Sanchoniathonis* ac *Diodori Siculi* teſtimonia adducit, memorata *Euſebio de præpar. Evang. I, II, quod Cronus regnaverit in Sicilia, & Lydia, & Italia ; & quod Oſiris Croni filius trajecto Helleſponto in Europam venerit, & filium ſuum Regem Macedoniæ reliquerit ;* unde facilem in Italiam tranſitûm Autor fuiſſe ait. Jam cum Cronus ſit Cham, qui & ipſe diluvio ſuperfuerit, probabilem eſſe conjecturam, quod hi antiquiſſimi ſint Umbrorum progenitores. *Bocharti*, Æneæ in Italiam adventum negantis, audaciam improbat, & tum in tempus, quo Tyrrheni in Italiam venerint, inquirens, Herodoti autoritatem ſequitur, qui e Lydia illos 330.
veniſſe tradit duce Thyrſeno, cujus pater Atys, avus Cotys, proavus Manes, ſeu Meon, primus Lydiæ & Phrygiæ Rex. Hunc vero Meonem, unde frequens autoribus Mæoniæ nomen, eſſe Oſirin, Hebræis Mizraim, primum Ægypti, Lydiæ & Phrygiæ Regem, cujus templi fiat mentio *Jerem. XLIII, 23.*

Tract. VIII exſtat Appendix de Cabiris, addenda disquiſitioni 353.
de Pelasgis, eaque Latine ſcripta. Hac exponitur, id quod religioſe celarunt gentiles, quinam Dii præcipue in numerum Cabirorum, alias incertum, referantur. Notatur hic, voces *Cabiri*, *Corybantes*, *Dioſcuri*, *Samothraces* Euſebio eſſe ſynonimas; nec Deos illos dici, ſed tantum filios *Sydici*, (quem *Semum* eſſe alibi Autor oſtenderat; vid. Acta hæc A. 1722 p. 628) qui Ζεὺς ſit habendus, quoniam pater dicatur Dioſcurorum. Tum certum eſſe apud autores, e.g. apud *Strabonem*, *Corybantes* aut eosdem eſſe cum *Curetibus*, *Idæis*, *Dactylis*, & *Cabiris*, *Samothracibus*, *Lemniis*, aut exiguis tantum differentiis diſtingui, cum eadem fere omnes ſacra habuerint. Imprimis vero oſtenditur, Cabiros fuiſſe primos ſacrorum ethnicorum antiſtites, eosque habitos Diis cognatos, cariſſimosque, opibus & armis Principum a Crono deſcendentium ſuffultos.

Quæ

p. 368. Quæ deinde de templo Cabirorum, ſolis ſacerdotibus patente, quod Memphi diutiſſime in honore fuerit; de templo Jovis Caſſii; de Babylone, fonte idololatriæ; de Iſiride, fratre τȣ̃ Χνᾶ, i. e. Canaanis, primi Phœnicis, qui Iſiris, ſeu Oſiris, per omnes terras, quas peragraverit, novas deduxerit colonias, easdemque religione illa, cujus antiſtites Cabiri, imbuerit, comite filio *Thoth*, vel *Athote*, qui
385. Græcis *Hermes*, Latinis *Mercurius*; de *Jove Hammone*, qui Chamus, pater Oſiridis; de Cabirorum orgiis & ſacrificiis a Pelasgis receptis, ex Herodoto aliisque refert Noſter, apud ipſum legi me-
395. rentur, qui ſub finem notat, religionem illam Cabirorum per maximam terræ antiquis notæ partem diſſeminatam; atque hunc finem præcipuum peregrinationum fuiſſe, quas tribuant antiqui Crono, Aſtartæ, & Oſiridi ſeu Baccho; ex perverſo vero religionem occultandi ſtudio ortum eſſe morem omnia fabulis velandi.

398. *Tract. IX*, pariter Latine exaratus, inſcribitur Appendicula de legibus, quibus tenebantur Patriarchæ tam ante, quam poſt diluvium, usque ad tempus, quo ſolenniter ſancitum eſt fœdus Moſaicum, quod leges continet præcipuas, quibus tenebatur populus Judaicus poſt exodum ex Ægypto. Hac commentatione Autor, uti in præfatione docetur, luculentius oſtendere voluit, quantum religio Cabirica, idololatricarum antiquiſſima, receſſerit a religione Patriarcharum. Diſpeſcitur autem illa in VII capita.
401. *Caput I* eſt de definitione legum patriarchalium, quam his verbis dedit Autor: *Leges Patriarchales ſunt praecepta, liberas Patriarcharum actiones dirigentia ad vitam beatam, ſeu ſummum humani generis bonum, ab idonea ſeu ſufficienti autoritate data, præmiis, pœnisque, ſeu promiſſis idoneis & minis ſancita & munita, & ſufficienter promulgata.* Atque hæc definitio per ſingulas partes exponitur, oſtenditurque ex revelatione, præmia propoſita fuiſſe æterna, & pœnas æternas, qua in re potiſſimum ſita ſit differentia inter leges patriarchales, & mere naturales: ubi Autor ad *librum* ſuum *de legibus naturæ* provocat, & non ſolum per traditionem oralem, ſed & per ſcripta ante diluvium illas Patriarcharum leges propagatas eſſe autumat, allegans Joſephi narrationem de Sethi columnis, & teſtimonia de Thothi, uti ait, in-

ven-

ventis literis, *Iob. XXXI, 35, XIX, 23, 24.* Obiter etiam obſervat, Adamum & Evam, umbilicis caruiſſe, eoque poſteris ſuis plurimis potuiſſe fidem facere, ſe non eſſe ex mulieribus natos. *Cap. II,* p. 411.
de diſtributione harum legum in partes, & de antediluvianis, ubi, collato *Hebr. c. IX*, de pietate Abelis, Sethi, Henochi, Noachi, eorumque juſtitia ex fide, & legibus ſpecialibus Noachi tempore latis agitur. *Cap. III,* de poſtdiluvianis patriarchis, & ſpeciatim de 42
Semo, inter alia oſtenditur, Semum eſſe Melchiſedecum, & locus *Hebr. VII, 1 ſeqq.* eam in ſententiam exponitur. *Cap. IV* ubi 430.
de Abrahami & fide & pietate deque præcepto circumciſionis legibus patriarchalibus ſuperaddito agitur, inter alia obſervat, li- 434.
brum Iobi totum ſpirare pietatem patriarchalem, nullam in eo mentionem fieri circumciſionis, aut liberationis ex Ægypto, fuiſſe ipſum regem, ſeu judicem ſummum inter Arabes, *Iob.* 439.
XXIX, 25, diu ante tempora Moſis. *Cap. V* de principalibus legibus 441.
patriarchalibus diſſerens, per ſingula decalogi præcepta oſtendit, has ſimillimas fuiſſe iis, quas Moſes juſſu divino Iſraelitis poſt 430 annos ab Abrahami ingreſſu in terram Canaan præſcripſit. Siquidem hujus ſcopus fuerit in avita religione Iſraelitas inſtituere, & variis additamentis contra corruptelas gentium idololatricarum munire. *Cap. VI* de minus principalibus legibus patriar- 456.
charum, ſimulque adeo de ritibus religioſis, de ſacerdotibus, altaribus, conſecratis per unctionem lapidibus, decimis, uſu Muſicæ ſacro, expiatione per ſanguinem hyſſopo ſpargendum, ſacrificiis ex animalibus mundis, cum Mincha, ſeu mola ſalſa, de civilibus item conſtitutionibus, magiſtratibus minoribus, menſuris, monetis, &c. paucis exponitur. *Cap. VII,* de legum patriarcha- 469.
lium duratione, diſtinguuntur iterum leges principales, quarum perpetua duratio aſſeritur, & minus principales cum republica Judaica tollendæ; Chriſto ſcilicet melius & efficacius quid in eorum locum ſubſtituente; unde enitendum, quæ libri clauſula, ut, quanto plus lucis nobis effulſit ex evangelio Chriſti, tanto uberiores & maturiores fructus veræ pietatis, juſtitiæ, & charitatis indies proferamus. Index ſubjunctus reſpicit cum volumen primum, ſive *Sanchoniathonis hiſtoriam Phœniciam*, tum ſecundum hoc noſtrum, quod *Origines gentium antiquiſſimæ* inſcriptum eſt.

METHODUS NOVA ATQUE UNIVERSALIS, computandi series figuratas & potentias quascunque numerorum naturalium: Autore G. FRID. RICHTERO.

Egregia sunt, quæ de computandis seriebus numerorum cum naturalium tum figuratorum, eorumque potestatum quarumlibet, in *Arte* sua *conjectandi* præcepit ac demonstravit Geometra incomparabilis, *Jacobus Bernoulli*: cujus etiam haudquaquam improbandum judicium videtur de eo quod *Wallisius* & *Bullialdus* in hoc argumento præstiterunt, magni sine dubio viri, sed in ambages oppido insignes delapsi. Quod cum præterire non possit virum Cl. *Naudæum*, nescio sane, qua is adductus ratione, viam Wallisianam etiam aliquot passus longius persequendam statuerit, addita, in *Miscellaneorum Berolinensium Continuatione II*, quam nuper recensuimus, ad demonstrationem *Wallisii*, de summa seriei infinitæ trium inferiorum potestatum numerorum naturalium, nova & consimili demonstratione, pro potestate quarta & quinta: nisi forte hoc propterea fecit, ut occasionem nancisceretur, ea commemorandi, quæ in doctissimo ipsius schediasmate deinceps sequuntur. Ceterum ista legenti mihi in mentem venerunt, quæ de potentiis numerorum naturalium, nec non de figuratis aliisque seriebus, earumque ortu & computatione, ante aliquot annos ipse meditatus sum & memoriæ causa in chartam conjeci. Quæ cum a Bernoullianis quidem differant, neque tamen minus, ut existimo, facilia atque universalia sint, non ægre laturos arbitror lectores harum rerum amantes, si methodum meam, quam potero brevissime, nunc exponam.

Si series naturalis, 1, 2, 3, 4 .... in semet ipsam ducitur, non tota in totam, sed terminus unus in unum, alius in alium, tertius in tertium, atque ita porro, oritur series naturalium duplicata, hoc est, series quadratorum sive secundæ potentiæ numerorum naturalium, 1, 4, 9, 16 .... sive $1^2, 2^2, 3^2$ .... Si vero series naturalium in semetipsam primo membro truncatam, (2, 3, 4, 5 ....) ista ratione ducitur, existit series dupla numerorum trigonalium, 2, 6, 12, 20 .... sive 1.2, 2.3, 3.4, 4.5 .... Porro si series natural.

in ſe ipſam primis duobus membris multatam, (3, 4, 5, 6 . . . .) eodem pacto membratim ducitur, ſit ſeries, 3, 8, 15, 24 . . . . cujus ſinguli termini ſunt quadrata unitate minuta. Cumque ſimiliter ſeries naturalium tribus, quatuor, quinque, pluribusve membris orbata, in ſe ipſam ſive integram ſive truncatam duci poſſit, non difficulter intelligitur, quam plurimas hoc modo generari ſeries novas, atque eas omnes, dummodo terminis infinitis conſtent, & numerus membrorum a ſerie naturalium demtorum finitus ſit, inter ſe plane æquales eſſe. Ducatur enim ſeries nat. A in ſeriem nat. B, membris quotcunque finitis *u* orbatam. Quo facto perſpicuum eſt, ſeriem hoc pacto genitam C compoſitam eſſe ex duabus aliis ſeriebus D & E, quarum utraque ad ſeriem totidem terminorum maximo æqualium, proportionem hactenus quidem incognitam, ſed finitam tamen habet. At ſeries terminorum infinitorum nu, ad ſeriem terminorum infinitorum n^2 proportionem habet infinite parvam. Ergo ſeries C = ſeriebus D + E, = ſeriei quadratorum E. Quod ſi ponere placet $u = x + 1$, vel $u = y + 2$, mutabitur ſeries quadratorum E in ſeriem trigonalem duplam, vel in ſeriem quadratorum unitate minutorum; atque ita porro.

A.	1,	2,	3,	4,	5, ...	n.
B.	u+1,	u+2,	u+3,	u+4,	u+5, ...	u+n.
C.	u+1,	2u+4,	3u+9,	4u+16,	5u+25	nu+nn.
D.	u,	2u,	3u,	4u,	5u	nu.
E.	1,	4,	9,	16,	25, ...	nn.

Jam ſi ſerierum iſto modo genitarum quælibet, ſive integra ſive uno pluribusve membris truncata, in ſeriem nat. ſive integram ſive truncatam eadem ratione ducitur, rurſus innumerabiles exoriri ſeries novas, easdemque æquales, dummodo terminis infinitis conſtent, neceſſe eſt: quas inter, præter ceteras, etiam ſeries nat. triplicata, hoc eſt, ſeries cuborum ſive tertiæ poteſtatis numerorum naturalium 1, 8, 27 . . . . ſive $1^3, 2^3, 3^3$ . . . . itemque ſeries pyramidalis, ſeu figurata tertii gradus, non ſimplex illa quidem ſed ſecupla, 6, 24, 60, 120 . . . . ſive 1. 2. 3, 2. 3. 4, 3. 4. 5 . . . . . locum habent: quarum illa naſcitur, ſi ſeries quadratorum, (1, 4,

 9 . . . .

9 . . . . .) in feriem naturalium integram ducitur; hæc, fi feries trigonalis dupla, (2, 6, 12, 20 . . . . . five 1.2, 2.3, 3.4, ...) per feriem natur. duobus membris diminutam (3, 4, 5, ...) membratim multiplicatur.

Similiter fi feries naturalium cum integra tum truncata, in feries modo inventas, nec non feries claffis II, (omnes enim feries hac via repertæ ad certas claffes referendæ funt, ita ut una claffis folam feriem naturalem, claffis altera feries primo loco demonftratas, claffis tertia feries proxime repertas, ceteræ ceteras complectantur;) fi igitur feries claffis II, cum integræ tum terminis numero finitis multatæ, in fe ipfas, aut in alias ejusdem claffis, cum integras tum diminutas, membratim ducuntur, denuo emergunt feries novæ quam plurimæ, ad claffem IV adfcribendæ, atque inter fe, dum infinitæ fuerint, omnino æquales: quas inter etiam locum habet feries naturalis quadruplicata, hoc eft, feries quadrato-quadratorum five quartæ potentiæ numerorum naturalium 1, 16, 81 . . . . five $1^4, 2^4, 3^4$ . . . . . & feries triang. pyramidalis, five figurata quarti gradus, non fimplex fed multiplex, 24, 120, 360 . . . . . five 1.2.3.4, 2.3.4.5, 3.4.5.6, ...

Nolo hæc nunc longius perfequi: fed, ut rem totam paucis complectar, illud faltim addo, quod, ductis feriebus quibuslibet claffis *c* in feries quascunque claffis *r*, novæ quæ fic nafcuntur feries ad claffem $c+r$ referendæ, atque inter fe, fi terminis conftent infinitis, plane æquales fint, quodque in qualibet claffe, cujus index fit *c*, inter alias feries etiam locum habeat feries poteftatum *c* numerorum naturalium, & feries figurata *compofita* gradus *c*; hoc eft, feries $1^c, 2^c, 3^c$ . . . . . atque feries huic ipfi æqualis, 1.2.3 . . . . c, 2.3.4 . . . . $c+1$, 3.4.5 . . . . $\overline{c+2}$, ... Ubi notandum, me illas feries κατ' ἐξοχὴν feries *figuratas compofitas*, vel etiam *configuratas* appellare, quæ methodo hucusque expofita producuntur: e quibus, ubi opus eft, etiam feries figuratas fimplices, earumque membra & membrorum fummas, facile reperire licet, dividendo fcilicet fingulos terminos per terminum primum. Ita enim e. g. feries figurata fimplex gradus tertii æqualis erit feriei figuratæ compofitæ, 1.2.3, 2.3.4, 3.4.5, ... divifæ per 1.2.3, $= \frac{6}{6}, \frac{24}{6}, \frac{60}{6} \ldots = 1, 4, 10 \ldots$ & feries figurata fimplex

plex gradus c æqualis reperietur ſeriei configuratæ $1.2.3 \ldots c$, $2.3.4 \ldots \overline{c+1}$, $3.4.5 \ldots \overline{c+2}$, ... diviſæ per $1.2.3 \ldots c$.

Cum ex iis, quæ hactenus commemoravi, ſatis conſtet, ſeries poteſtatum quarumque numerorum naturalium infinite continuatas, $1^2, 2^2, 3^2 \ldots 1^c, 2^c, 3^c \ldots$ æquales eſſe ſeriebus configuratis itidem in infinitum continuatis, 1.2, $\overline{2.3}$, 3.4, ... (hoc eſt, 2, 6, 12 ....) $1.2.3 \ldots c$, $2.3.4 \ldots \overline{c+1}$, $3.4.5 \ldots \overline{c+2}$, ... perinde nunc erit in determinandis harum ſerierum ſummis, ſive priores ſive poſteriores computandas ſumamus. Sumamus igitur poſteriores, quippe faciliores computatu, ſitque primo loco inveſtiganda ſumma ſeriei infinitæ A, $= 1 + 2 + 3 + 4 \ldots$ quæ licet ſit ipſa ſeries natural. tamen & inter ſeries poteſtatum & inter figuratas ex æquo numerari poteſt. Subſcribatur ei ſeries B, quam, brevitatis cauſa, *ſummatoriam* ſeriei A vocare fas ſit, quippe cum quilibet ejus terminus æqualis eſſe debeat termino reſpondenti ſeriei A, ſimul cum terminis præcedentibus ejusdem ſeriei in unam ſummam collectis.

Series A.	1,	2,	3,	4,	5.....
Series B.	1,	3,	6,	10,	15.....

Dico, ſeriem B oriri, ſi ſeries A per ſe ipſam multiplicetur primo membro truncatam, ac de nova ſerie hoc pacto genita C, ſive de ſingulis ejus terminis, ſumatur dimidium:

Series naturalis A,	1,	2,	3,	4	n.
Series nat. truncata,	2,	3,	4,	5	$n+1$.
Series C,	2,	6,	12,	20	$nn+n$.
Dimidium ſeriei C,	1,	3,	6,	10	$\frac{1}{2}nn + \frac{1}{2}n$

= ſeriei B.

Itaque membrum ultimum hujus ſeriei B, $\frac{1}{2}nn + \frac{1}{2}n = \frac{1}{2}nn$ (propter n ex hypotheſi infinitum) = toti ſeriei infinitæ A.

Sit porro computanda ſeries configurata C, 2, 6, 12, 20 .... (ſive 1.2, 2.3, 3.4, ... = ſeriei poteſtatum ſecundarum, $1^2, 2^2, 3^2, 4^2 \ldots$) Dico, ſummatoriam hujus ſeriei D, (2, 8, 20, 40 ....) oriri, ſi ipſa ſeries C membratim multiplicetur per ſeriem natu-

 ralem

ralem duobus primis membris truncatam, ac de nova ſerie hoc modo genita, E, ſumatur pars tertia.

Series computanda C,	2,	6,	12,	20	$nn + n$.
Series natur. truncata,	3,	4,	5,	6	$n + 2$.
Series nova E,	6,	24,	60,	120	$n^3 + 3n^2 + 2n$.
Series D = $\frac{1}{3}$ E,	2,	8,	20,	40	$\frac{1}{3}n^3 + n^2 + \frac{2}{3}n$.

Ergo membrum ultimum hujus ſeriei D, $\frac{1}{3}n^3 + n^2 + \frac{2}{3}n = \frac{1}{3}n^3$, (propter n infinitum) = toti ſeriei infinitæ C.

Atque hac via etiam ad ſequentes ſeries configuratas, earumque computationem, ordine pervenire proclive eſt. Sed pergo nunc ad magis univerſalia, oſtendamque, quo pacto ſeries figuratæ compoſitæ quæcunque, & terminis etiam numero finitis quotcunque conſtantes, una opera computari poſſint, nec non, qua ratione ex inventis ſummis ſerierum figuratarum, etiam ſummas earum ſerierum, quæ ex potentiis quibuscunque numerorum naturalium conſtant, & membra ſive infinita numero ſive finita quotcunque habent, methodo plane univerſali definire liceat.

Sit igitur computanda ſeries figurata compoſitâ quæcunque F, terminis quotcunque n conſtans, & gradus c: dico rurſus, ſummatoriam hujus ſeriei oriri, ſi ipſa ſeries F multiplicetur per ſeriem naturalem membris c diminutam, ac deinde ſingula membra novæ ſeriei G per $\overline{c+1}$ dividantur, hoc modo:

Series computanda F, $1.2.3 \ldots c,\ 2.3.4 \ldots \overline{c+1},\ 3.4.5 \ldots \overline{c+3}, \ldots\ n.\overline{n+1}.\overline{n+2} \ldots \overline{n+c-1}$.

Series natur. truncata, $c+1,\quad c+2,\quad c+3, \ldots\ c+n$.

Series nova G, $1.2.3 \ldots \overline{c+1},\ 2.3.4 \ldots \overline{c+2},\ 3.4.5 \ldots \overline{c+3}, \ldots\ n.\overline{n+1}.\overline{n+2} \ldots \overline{n+c}$.

Series G, diviſa per $\overline{c+1}$, $\frac{1.2.3 \ldots \overline{c+1}}{c+1},\ \frac{2.3.4 \ldots \overline{c+2}}{c+1},\ \frac{3.4.5 \ldots \overline{c+3}}{c+1} \ldots \frac{n.\overline{n+1}.\overline{n+2} \ldots \overline{n+c}}{c+1}$

Demonſtrandum eſt, hanc ſeriem noviſſimam eſſe ſummatoriam ipſius ſeriei F, quod ita doceo. Membrum primum $\frac{1.2.3 \ldots \overline{c+1}}{c+1}$

eſt

est $= 1.\,2.\,3\ldots c, =$ membro primo seriei F. Membrum alterum, $\frac{2.\,3.\,4\ldots c+2}{c+1}$ est $= 2.\,3.\,4\ldots\overline{c+1},\times\frac{c+2}{c+1} = \overline{2.\,3.\,4\ldots c+1,}\times(1+\frac{1}{c+1}) = 2.\,3.\,4\ldots\overline{c+1},+\frac{2.\,3.\,4\ldots c+1}{c+1} = 2.\,3.\,4\ldots\overline{c+1},$ $+1\;\,2.\,3\ldots c, =$ duobus primis membris seriei F simul sumtis. Porro membrum tertium, $\frac{3.\,4.\,5\ldots c+3,}{c+1} = 3.\,4.\,5\ldots\overline{c+2},\times$ $(1+\frac{2}{c+1}) = 3.\,4.\,5\ldots\overline{c+2},+\frac{2.\,3.\,4\ldots\overline{c+2},}{c+1} = 3.\,4.\,5\ldots\overline{c+2},+2.$ $3.\,4\ldots\overline{c+1},+1.\;2.\,3\ldots c, =$ tribus primis membris seriei F, in unam summam collectis. Denique membrum ultimum, $\frac{n.\,\overline{n+1}.\,\overline{n+2}\ldots\overline{n+c}}{c+1} = n.\,\overline{n+1}.\,\overline{n+2}\ldots\overline{n+c-1},\times(1+\frac{n-1}{c+1}) =$ $n.\,\overline{n+1}.\,\overline{n+2}\ldots\overline{n+c-1},+\frac{n-1.\,n.\,n+1\ldots n+c-1}{c+1} = n.\,\overline{n+1}.\,\overline{n+2}$ $\ldots\overline{n+c-1},+\overline{n-1}.\,n.\,\overline{n+1}\ldots\overline{n+c-2},+\overline{n-2}.\,\overline{n-1}.\,n\ldots\overline{n+c-3},$ & ita porro; quam quidem seriem nullam aliam esse quam ipsam seriem F inversam, satis patet.

Itaque summa cujuslibet seriei figuratæ compositæ, cujus gradus c, & numerus terminorum n, est $\frac{n.\,n+1.\,n+2\ldots n+c,}{c+1}$ & summa seriei figuratæ simplicis ejusdem gradus, & totidem terminorum, est $\frac{n.\,n+1.\,n+2\ldots n+3.}{1.\,2.\,3.\,4\ldots c+1}$ Quæratur e. g. summa 8 membrorum seriei pyramidalis, ubi primum membrum 1, $c=3, n=8$; eritque $\frac{n.\,n+1.\,n+2\ldots n+c}{1.\,2.\,3\ldots c+1} = \frac{8,\,9,\,10,\,11}{1.\,2.\,3.\,4} =$ $\frac{7920}{24} = 330.$

Restat ut expediam, quomodo ex cognitis numerorum figuratorum summis, summæ potestatum quarumlibet, & series earum

earum etiam finitæ quæcunque computari atque una formula generali comprehendi possint. Et de $\int n$ quidem, hoc est, de summa primæ potestatis, sive ipsorum numerorum naturalium, 1, 2, 3, 4 ... n, jam ex superioribus constat, quod sit $= \frac{1}{2} nn + \frac{1}{2} n = \frac{1}{2}(n.\overline{n+1}.)$ Cum vero terminus seriei figuratæ compositæ, ubi $c = 2$, indefinite sit $n.\overline{n+1} = n^2 + n$, & summa omnium terminorum istius seriei, sive $\int n^2 + \int n$, sit $\frac{n.\overline{n+1}.\overline{n+2},}{3}$ erit $\int n^2$, sive summa secundæ potestatis numerorum naturalium, $= \frac{1}{3}(n.\overline{n+1}.\overline{n+2}) - \int n$.

Pari ratione, cum terminus seriei configuratæ, ubi $c = 3$, indefinite sit $n.\overline{n+1}.\overline{n+2} = n^3 + (2+1)n^2 + 2n$, & summa omnium terminorum, a primo ad n usque, sive $\int n^3 + (2+1)\int n^2 + 2\int n$, sit $= \frac{1}{4}(n.\overline{n+1}.\overline{n+2}.\overline{n+3})$ erit $\int n^3$, sive summa tertiæ potestatis numerorum naturalium, ab 1 ad terminum n usque $= \frac{1}{4}(n.\overline{n+1}.\overline{n+2}.\overline{n+3}) - \overline{2+1}\int n^2 - 2\int n$.

Similiter reperitur, esse e. g. $\int n^6$, sive summam sextæ potestatis numerorum naturalium ab unitate ad n usque, $= \frac{1}{7}(n.\overline{n+1}.\overline{n+2}\ldots\overline{n+6}) - \overline{5+4+3+2+1}.\int n^5 - \overline{4a+3b+2c+d}.\int n^4 - \overline{3a+2b+c}.\int n^3 - \overline{2a+b}.\int n^2 - a\int n$; eritque hæc formula universalis, $\int n^c = \frac{1}{c+1}(n.\overline{n+1}.\overline{n+2}\ldots\overline{n+c}) - (\overline{c-1} + \overline{c-2} + \overline{c-3}\ldots\ldots + 1)\int n^{c-1} - (\overline{c-2}.a + \overline{c-3}.b\ldots\ldots)\int n^{c-2} - (\overline{c-3}.a + \overline{c-4}.b\ldots\ldots)\int n^{c-3}$, & ita porro; ubi *a, b, c, d* .... seriem summatoriam coefficientium membri immediate præcedentis, & quidem *a* terminum primum, *b* terminum 1 & 2, *c* terminos 1, 2 & 3, &c. illorum coefficientium significat. Itaque in membro $-\overline{4a+3b+2c+d}.\int n^4$ (quoniam membrum immediate præcedens est $-\overline{5+4+3+2+1}.\int n^5$) est $a = 5$, $b = 5 + 4$, $c = 5 + 4 + 3$, & sic deinceps. In membro autem sequente, $\overline{3a+2b+c}.\int n^3$, est $a = 4a$, (= termino primo membri præcedentis) $b = 4a + 3b$, $c = 4a + 3b + 2c$; atque adeo a, b, c .... in singulis membris alium habent valorem, qui tamen ex præcedenti valore facile determinari potest. Est igitur

$\int n = \frac{1}{2}(n.\overline{n+1})$

$\int n^2$

$ſn^2 = \frac{1}{3}(n.\overline{n+1}.\overline{n+2}) - ſn.$

$ſn^3 = \frac{1}{4}(n.\overline{n+1}.\overline{n+2}.\overline{n+3}) - \overline{2+1}.ſn^2 - 2.ſn.$

$ſn^4 = \frac{1}{5}(n.\overline{n+1}\ldots\overline{n+4}) - \overline{3+2+1}.ſn^3 - \overline{2a+b}.ſn^2 - a.ſn.$

$ſn^5 = \frac{1}{6}(n.\overline{n+1}\ldots\overline{n+5}) - \overline{4+3+2+1}.ſn^4 - \overline{3a+2b+c}.ſn^3 - \overline{2a+b}.ſn^2 - a.ſn.$

$$ſn^c = \frac{1}{c+1}(n.\overline{n+1}\ldots\overline{n+c}) - (\overline{c-1}+\overline{c-2}\ldots)\,ſn^{c-1} - (\overline{c-2}.a+\overline{c-3}.b\ldots)\,ſn^{c-2} - (\overline{c-3}.a+\overline{c-4}\,b\ldots)\,ſn^{c-3} - (\overline{c-4}.a+\overline{c-5}.b\ldots)\,ſn^{c-4}\ldots\ldots$$

Exemplis duobus finiam. Quæratur summa potestatum quintarum numerorum naturalium ab 1 ad 100, sive $ſ100^5 = \frac{1}{6}(100.101.102\ldots105) - \overline{4+3+2+1}.ſ100^4 - \overline{3a+2b+c}.ſ100^3 - \overline{2a+b}.ſ100^2 - a\,ſ100.$ Reperietur

$ſ100 = \frac{1}{2}(100.101) = 5050.$

$ſ100^2 = \frac{1}{3}(100.101.102) - ſ100 = 343400 - 5050 = 338350.$

$ſ100^3 = \frac{1}{4}(100.101.102.103) - \overline{2+1}.ſ100^2 - 2.ſ100 = 25502500.$

$ſ100^4 = \frac{1}{5}(100.101.\ldots104)\,\overline{3+2+1}.ſ100^3 - \overline{6+5}.ſ100^2 - 6.ſ100 = 2050333330.$

$ſ100^5 = \frac{1}{6}(100.101\ldots105) - \overline{4+3+2+1}.ſ100^4 - \overline{12+14+9}.ſ100^3 - \overline{24+26}.ſ100^2 - 24.ſ100 = 171708332500.$ Q. E. J.

Quæratur summa seriei infinitæ quartarum potentiarum ex numeris naturalibus, ab unitate incipientium, sive $ſn^4, = \frac{1}{5}(n.\overline{n+1}.\overline{n+2}.\overline{n+3}.\overline{n+4}) - \overline{3+2+1}.ſn^3 - \overline{2a+b}.ſn^2 - a\,ſn.$ Quoniam $\frac{1}{5}(n.\overline{n+1}\ldots\overline{n+4}) = \frac{1}{5}(n^5, + \overline{4+3+2+1}.n^4, + \overline{3a+2b+c}.n^3, + \overline{2a+b}.n^2, + an;)$ omnes vero quantitates, $\overline{4+3+2+1}.n^4$, $\overline{3a+2b+c}\;n^3$, $\overline{2a+b}.n^2$, an, itemque $\overline{3+2+1}.ſn^3$, $\overline{2a+b}\;ſn^2$, $a\,ſn$, (propter *n* hoc casu infinitum) respectu quantitatis n^5, infinite parvæ sunt, erit $ſn^4 = \frac{1}{5}n^5$, hoc est, summa seriei propositæ se habebit ad totidem terminos maximo æquales ut 1 ad 5.

JO. GEORGII AB ECKHART DISSERTATIO DE Apolline Granno Mogouno in Alsatia nuper detecto, qua Dii locales varii, Thermarum item Aquisgranensium, & Wisbadensium, nec non Colmariæ, Argentariæ, Argentorati, aliorumque Alsatiæ & Germaniæ locorum Antiquitates quædam breviter exponuntur.

Wirceburgi, typis Henrici Engmann, Typogr. Aulici, 1727, 4.
Plag. 3.

CUm mature Observationem illam *Mautourii* de Inscriptione nuper in Alsatia reperta, quam in Supplementis Tomo IX Sect. VII p. 325 sq. dedimus, cum Celeb. *Eckarto* communicassemus, ille mox nobis singularem hanc Dissertationem typis impressam ac Reverendissimo LOTHARIO FRANCISCO, Archi-Ep. Moguntino inscriptam transmisit, quam hoc loco integram describi, haud ægre laturos Lectores speramus.

I. Horburgi, quod oppidum in Alsatia ad Illum fluvium, Colmaria non procul, jacet, inventus nuper est Lapis Romanus, hac Inscriptione conspicuus:

APOLLINI GRAN
NO MOGOUNO
Q. LICINIUS TRIO
D. S. D.

Cl. Morellus Mautourius, vir variis jam ingenii monumentis editis celebris & membrum Academiæ Regiæ Numismatum & Inscriptionum Parisinæ omni laude dignum, aliquam ejus explicationem dedit, ab Illustri Domino de Corberon Præside summi in Alsatia Tribunalis primario ad hoc invitatus. Nobis in eandem paucula commentari placet.

II. Deos aliquando a locis certis cognomina recepisse, extra dubium est. MARTI CATURIGI dicata Ara ante aliquod tempus prope Heilbronnam ad Nicrum inventa est, quam brevi integram edemus; *Caturigum* vero urbs, nunc *Chorges* dicta, in Gallia Narbonensi versus Druentiam fluvium reperitur. Gruterus pag 55, num. 8, 9, geminas Inscriptiones profert, unam MARTI ET GENIO TALLIATIUM & alteram MARTI TALLIATIUM consecratas. Repertæ hæ sunt non longe ab arce *Dollendorf* in pago Rumstorf in Eifflia. Unde non adeo absone Crombachius vir doctus & Socius quondam Jesu in Historia Coloniensi inedita suspicatus est, ipsum *Dollendorfium* a *Talliatibus* veteribus incolis aut hos ab illo nomen trahere. MERCURIO ARCETIO, ARTAJO & ARVERNO inscripti lapides a Grutero exhibentur. HERCULES DEUSO a Sirmondo primum demonstratus est fuisse Deus localis *Tuitii*, quod olim *Castrum Deusonis*

fontis audiit, nunc vero *Deutz* vocatur. HERCULES MACUSANUS, cujus Lapis olim Westcapellæ in Selandia erutus est, non quidem nomen habet a *Magufo* Africæ urbe, cujus Plinius Hist. Natur. lib.VI, cap. 29 meminit; sed a *Macusa* vel *Mecusa* civitate, quam Geographus Ravennas lib. IV, cap. 26, ad Mosellam infra *Tullum, Scarbonam*que & supra *Ganniam* & *Treores* sive Treviros constitutam fuisse prodit. Macusæ huic exacte convenit situs duorum vicorum, in utraque Mosellæ ripa sibi oppositorum, qui nunc vulgo *Rothen-Macheren* & Kœnigs - *Macheren* dicuntur. Errant igitur & ii, qui *Westcapellam* Macusam olim dictam fuisse, testibus carentes, putarunt. DEUS LEHERENNUS apud Convenas Novempopulaniæ detectus apud Gauterum p. 1074. ENDOVELLICUS & MORITASGUS a Reinesio peculiaribus libellis expositi, BACURDUS, BELATUCADRUS, CAMULUS, TOGOTES & plerique a Sponio in Dissertatione de Diis incognitis producti eodem modo locales sunt. DEÆ MALVISÆ in lapide Coloniensi; MATRES & MATRONÆ AUFANIÆ apud Gruterum p. 90 num.11. GERUDATIÆ in Lapide in Provinciæ loco, S.Esteves dicto, effosso & a Sponio in Miscell. edito; GALLAICÆ Corunnæ in Gallæcia in lapide inventæ, apud Gruterum p. 90. VAPTHIÆ in lapide ad Rhenum detectæ; ASERCNEHÆ Odenhusii ad Rhenum; HAMAVEHÆ ad vicum Altorfium prope Juliacum erutæ; VACALLINEHÆ ad villam Amwiler non longe a pago, nunc *Vachlendorf* vocato; effosæ; RUMEHÆ in loco qui dicitur *Rumanheim*, non procul a Veteribus castris Romanorum repertæ, & in marmore Ecclesiæ Lovenessen, prope Emskircham ad Rhenum sitæ, melius ROMANEHÆ dictæ, nomina itidem sua a locis certis trahunt, ubi cultæ fuerunt. DEA NEHALENNIA in aliquot lapidibus in Selandiæ angulo, qua maxime in Oceanum excurrit, A.1647 reperta, peculiari studio a Boxhornio, Vredio & Keislero illustrata est. Sed nemo horum, ut puto, quæ illa demum fuerit, detexit. In Lapidibus laudatis Dea hæc modo sedet cum corbe pomis, piris aliisque fructibus repleto, ad dextram canem, ad sinistram alium corbem habens; modo pede sinistro proræ navis insistit; in aliis præsentatur cum calatho in manu sinistra, & foliis vitis hinc inde ad latus; in quibusdam ei canis adstat, aut Hercules, aut Neptunus cum Delphino & tridente vel gubernaculo; uni adsculptæ sunt victoriolæ cum palma; cornucopiæ quoque & arbor latis foliis ei adduntur. Clarum ex hisce est, hæc esse signa novæ coloniæ in litore maris institutæ, & ex cultura terræ & commerciis efflorescentis Statuo itaque, *Nehalenniam* esse loci nomen Batavicum atque idem significare ac nostrum *Neuland*, quo terras præsertim mari detractas & noviter detectas appellamus. *Neha* nostrum *neu*, novum, refert, & *land* aut vetus *lend* est *terra*, *ager*. Tutelaris regionis Dea inde *Nehalendia* & mollius, ore Romano, *Nehalennia* dicta est, quasi *Dea terræ novæ*. Germani deinde post expulsos Romanos eandem terram, quod mari circumflua esset, *Selandiam* vocarunt, Crombachius testatur, Woringæ ad Rhenum infra Coloniam lapi-

dem effossum & Blanckenhemium transportatum esse, qui hanc Inscriptionem habuit:

IN H. D. D.
DEAE REGIN.
VICANI SE
GORIGIENSES.

Segorigienses hic vocari putat *Woringenses*; ita vicus eorum *Sworigen* dictus olim fuisset; unde Romani literam *w* more suo in *g* convertentes *Segorigium* fecerint. *Dea Regina* igitur, cui *in honorem Domus divinæ* sive Augustæ Segorigienses Aram dedicarunt, culta fuit *Regini*, qui locus nunc *Reckendorf* dicitur & Woringam inter & Coloniam jacet, quod ille non observarat. Ex Itinerario quidem Antonini scio Treviris Coloniam tendenti *Bedavicum, Ausanam vicum, EGORIGIUM vicum, Marcomagum, Belgicam*, & *Tulpiacum* transeundum fuisse: ex quibus Bedavicus est *Bitburg* Luxenburgici Ducatus, *Ausana* quadrat in vicum *Oes* ad sinistram Gerolsteinii ad amniculum, qui in Kyllam influit, situm. *Egorigium*, corruptum in *Egoripium*, in oppido *Kerpen* quærendum est. *Marcomagum* restat in *Marmagen* vico. *Belgica* ubi fuerit, non patet. *Tulpiacum* hodie *Zulch* dicitur. Sed *Egorigium* hoc a lapidis *Segorigio* diversum esse ut existimem, congruentia nominum Woringæ cum Segorigio, & *Reckendorfii* cum *Regino*, ac utrorumque vicorum vicinia, facit.

Juliaci in columna Templi quadam legitur:

DEAE UNCIAE
QUINTINUS
QUINTINIANUS
QUINTUS
CANDIDUS.

Pro *Uncia* tamen, si SUNCIA reponatur, non refragor. Locus *Zons* ad Rhenum jacens *Suncium* nobis redderet. Sed Tacitus nobis indicat, Civilem Batavum Ubiis, ad fœdus secum contra Romanos ineundum persuasis, *Sunicos* etiam, ut eidem fœderi accederent, compulisse. Ergo interius habitarunt; & *Sunicium* vel *Suncium* Sunicorum vicus fuerit eo loco, ubi nunc in Ducatu Limburgensi vicus *Sunich* vel *Sinnich* cernitur. Coloniæ cum Virgines Ursulinæ prope S. Cunibertum A. 1674. novum Parthenonem conderent, Aræ aliquot inventæ sunt. Unius Inscriptio est:

DEAE HARIOSAE
H D. TI. ULPIUS.

Si Ducatus Clivensis oppidum *Orsoium* tam antiquum esset, ut ad Romana tempora ascenderet, illud Deæ huic cognomen fecisse potuisset. Nominis certe sonus optime congruit. In Bonnensis suburbio Dikircha Ecclesia Collegiata est, ad cujus lævum latus prope Sacrarium in muri quadrato lapide legitur:

APOLLINI LIVIO

CN.

CN. CORNELIUS
AQUILIUS NIGER
LEG. LEG. I. M. P. F.
ITEM. PROCONS.
PROVINCIAE GAL
LIAE NARBONENSIS. IT.
SODALIS HADRIAN.

Livium, locus, exponi hic potest de oppido *Linne*, quod Keyserswerdam inter & Ordingam in sinistra Rheni ripa jacet. Qua vero de causa Apollinem Livium *Aquilius Legatus Legionis primæ Minerviæ, piæ, fidelis, item Proconsul Provinciæ Galliæ Narbonensis, item sodalis Hadriani* Augusti coluerit, nondum patet.

III. Tot exemplis, quorum tamen plura reticui, inductus, censeo APOLLINEM GRANNUM MOGOUNUM a duobus locis, *Granno* nempe & *Mogouno*, appellatum esse. Aquas minerales & balnea calida Apollini sive Soli, quem eorum autorem Græci & Romani credebant, sacra fuisse constat. Cl. Mautorius idem recte observavit. Acidulis Romanos valde usos non invenio, thermis & balneis autem delectatos esse certum est. *Belunum* civitas in Marchia Tarvisina ferrifodinis claret, a quibus ei & a Celtis nomen inditum: nam *balain* Cambris adhuc *ferrum & chalybem* designat. Hic etiam thermæ celebres ab antiquo fuerunt, unde Aquilejæ & in vicinia Lapides non uni restant modo FONTI BELENO, modo APOLLINI BELENO dedicati. *Belenum* Noricis recte tribuit Tertullianus Apologet. cap. 23, quem *Belin* Herodianus lib. VIII, cap. 7, vocat. Hyoscyamus & solanum plantæ, quas Latini *Apollinares* nominarunt, Autor græcus Synonymorum Dioscoridi junctorum βιλινούντιαν & Apulejus de herbis cap. 4, *belinuntiam* appellant, ab Apolline Beleno; unde & nomen Germanicum *bilsen* forte deducendum est.

Granni igitur & *Mogouni* aquas etiam calidas scaturiisse non incongrue præsumitur. Velserus ideo vellet *Grannum* nominatum esse Apollinem ab *Aquisgrano*, urbe thermis celeberrima. Cl. Mautourium duo obstacula impediunt, quo minus huic sententiæ accedat. Primum est, quod Inscriptiones *Apollini Granno* vel *Grannio* dicatæ & a Grutero Velseroque productæ in longe dissitis ab Aquisgrano locis, Romæ nimirum, Muselburgi in Scotia, Enderaci prope Edenburgum, Brettæ in Dacia, & tandem in Diœcesi Augustana Phinnigiaci, Laulingæ & Faingenæ sint repertæ. Ast miles Romanus orbem terrarum perentrabat, & ex Belgio & Germania inferiori, ut necessitas & jussa exigebant, in Britanniam Scotiamque, in Germaniam & Daciam ibat. Unde etiam unam eandemque Legionem sæpius in diversissimis & longe invicem distantibus terris militantem invenias. Deorum Dearumque etiam localium, a quibus beneficiis se affectos credebant, memoriam ubique conservabant, iisdemque, prout occasio ferebat, monumenta erigebant. Quis Romæ quæreret *Dianam Arduinnam* ab Ar-

 duen-

duenna sylva inter Mosellam & Mosam fluvios extensa nominatam? interim tamen ibi sacerdos ejus vixit, eamque coluit, quod idem aut alius, qui eum constituit, in Arduenna felicem venationem exercuisset. Inscriptio hoc testatur in via Decia Salaria ad Septem balneas reperta, & apud Gruterum pag. 214 num. 3 impressa, quæ his verbis constat:

DIS MANIBUS.
Q. CAESIUS. Q. F. CLAUD
ATILIANUS. SACERDOS
DEANAE. ARDUINNAE
FECIT. SIBI. ET. SUIS. HERED.
IN. FR. P. XII. AGR. P. XV.
IIII. ID. OCT.
IMP. CAES. FLAVIO DOMITIANO VIII.
ET. C. VALERIO MESSALINO COS.

Eodem modo, qui a morbis ope thermarum certarum liberati erant, beneficii memores Apollini istius loci sive Deo thermarum præsidi, grati animi testimonium, ubicunque demum essent, exhibebant. Sic APOLLINI SIANO sacer lapis Lugduni in S. Petro, teste Grutero, reperitur; quem vix aliunde, quam a *Siantico* aut, ut Antonini Itinerarium scribit, *Santico* nominatum putes. Hodie est oppidum Carniolæ ad Sanam amnem, & vulgo *Saneck* dicitur. Sic Dei Noricorum *Beleni ædituum* Phœbitium, & Atticum Patera *sacerdotem Apollini Beleni* Ausonius in Profess. Burdigalensibus n. 4 & 10 celebrat. Eidem Claromonti apud Arvernos & Convenas Novempopulaniæ lapides dicati sunt. Propius tamen Aquisgrano *Apollinem Grannum* veneratum quoque esse, probat Lapis mutilus in vico Erp inventus & Blanckenhemium translatus, ubi magnus Inscriptionum Romanarum numerus, necdum ab antiquariis nostris satis lustratus, asservatur. Illi incisum est:

APOLLINI GRAN
NIO ATTIUS - - -

Non igitur obest, quod in terris procul dissitis Granni memoria inveniatur, nec ideo *Grannum* ab *Aquisgrano* distinguendum est.

IV. Alterum Cl. Mautourii obstaculum, quod nolit *Grannum* de *Aquisgrano* exponi, hoc est; putat Aquisgrani nomen recentius esse, & seculo decimo tantum apud Rheginonem & Luitprandum inveniri. Sed Annales seculi octavi & noni omnes eam jam palatio inclytam & veluti alteram in Germania Romam celebrant. Thermas tamen, ibi a Romanis excultas & curandis morbis adhibitas, a Francis in Belgium & Galliam irruentibus devastatas, nec postea per longum satis temporis spatium valde curatas esse, facile credo. Interea nihilominus vulgo *Aquarum* & *Granni* appellationem locus retinuit, ex quibus illa *Aquisgrani* tandem coaluit. Notkerus Balbulus in Vita Caroli M. prodit, creditum vulgo esse spectrum latere in calidis Granni aquis, & nocere iis se lavantibus. Pippinus tamen non-

nondum Rex, qui ibi ex Berta conjuge Carolum A.742 suscepit; unde locus ab eodem Notkero Caroli M. *genitale solum* vocatur, cum virtutem aquarum harum resciviffet, vulgi opinionem insuper habuit, & ibi primus ex suis lotus est, thermasque restituit, quas filius ejus postea magnifice excoluit. Ex eo Pippinus locum adamavit. Ejus jussu tunc aureum nummum AQVIS ab ERPONE MONETARIO cusum esse existimes, quem nobis Blancus ex Nummophylacio Regis Galliæ dedit. Nam monetarii, Majoribus Domus sic volentibus, nomina sua nummis inscribebant, ne Regum nomina nimis inclarescerent. Rex factus Pippinus Aquisgrani primum A. 765. Pascha, & deinde iterum aliud Pascha natalemque domini solenniter celebravit, ac hiberna habuit. Inter nummos p. m. Siegleri Consilii Ecclesiastici Wirceburgensis a Secretis & Academiæ Bibliothecarii, quos nuper summe Reverendus Godefridus Abbas Gotwicensis, antiquitatum Germanicarum æstimator, promotor & cultor inter paucos, sibi comparavit, inveni rarissimum Pippini Regis nummum AQVIS URBIS nomen ostentantem, cujus delineationem in Commentariis de Rebus Franciæ Orientalis proxime edendis dabo. Oportet igitur *Aquas Granni* vel *Grani* urbem jam diu ante Pippinum extitisse: neque enim tam parva temporis intercapidine urbem ibi a Pippino constructam esse credibile est.

V. Ignotæ originis nomina vulgus aut a vetustis, quos sibi pro lubitu fingit, heroibus, aut a dæmonibus derivat. A Romanis olim incultum Aquisgranum cana traditio ferebat, quæ vel ipsa antiquitatem non parvam loco adstruit. Romæ *Thermæ Neronianæ* admirabantur; quo factum, ut Aquisgrannenses a fratre Neronis Imperatoris, cui *Granni* nomen fuisse fingebant, conditas & nominatas esse nasutuli quidam rudi plebeculæ facile persuaderent. Adoptavit hanc fabulam Fridericus I. Imp. in Præcepto pro Aquisgranensibus emisso, eumque secutus est Engelhusius in Chronico edit. Leibnit. p. 991 & 1022.

VI. Alii, vulgari & veteri superstitione, rebus mirandis dæmones præsidere credentes, nomen thermas non ab heroë *Granno*, sed a *spectro Granno* habere opinati sunt, quod ibi se lavantes infestet. *Grant* spectrum olim in Anglia famosum, a Gallis forte & Britannis, Celtarum sobole, in posterorum notitiam delatum, ex Gervasii Tilberiensis Otiis Imperialibus concludo. Ibi enim Decisione III. cap. 62. de illo dicitur: *Est in Anglia quoddam dæmonum genus, quod suo idiomate GRANT nominant, ad instar pulli equini anniculi, tibiis erectum, oculis scintillantibus. Istud dæmonum genus sæpissime comparet in plateis, in ipsius diei fervore aut circa solis occiduum. Et quoties apparet, futurum in urbe illa vel vico portendit incendium.* Spectri hujus nomen cum Galli viciniique iis Belgæ apud se haberent, hereditarie etiam a Celtis acceptum, appellationem urbis *Granni* ob similem pene sonum facile cum hoc spectro confuderunt, & Granni aquis dæmonem alligarunt, licet ab optimo genio essent.

VII. Nominis tamen *Granni* originem vel ex Celtica vel Germanica lingua

lingua deducendam esse, nemo inficias ibit: ego in hanc sententiam imprimis inclino. Celtæ enim & Germani ante Romanos,& hi post eosdem Aquisgranum incoluerunt. Linguæ Celticæ reliquiæ apud Aremoricos seu Galliæ Britones, nec non apud Angliæ Wallos Cambrosque supersunt. Cambris vero & Wallis *gro* & *grajan*; Saxonibus vero *grant*, suburram, glaream, sabulum denotant. Conveniunt cum his vocibus Gallica *grave* & *gravier*, sabulum; *gravelle*, calculus,qui Germanice *griess* vocatur. *Vin de grave* iisdem Gallis appellatur vinum Burdigalense,quod ex solo arenoso ad Garumnam fluvium provenit. Vulgo pro *grave* dicitur *greve*, & hinc locus publicus, suppliciis scelerosorum destinatus, Lutetiæ Parisiorum ad Sequanam situs, *la Greve* vocatur; quia olim sabulo refertus erat. Galli quoque *pierre de grî* nominant lapidem arenaceum duriorem; & Walones Belgici voce *grev* pro *arena* aut *sabulo* adhuc utuntur. Radix omnium apud Saxones restat, quibus *gruen* est *comminuere*, & *grue* succus comminutione expressus. Hinc & Anglosaxonibus *furfur* dicitur *grata*, Italis *crusca*; & Saxonibus pollenta est *grütte*, Gallis vero *gruau*, quæ Germanis *grütze* enunciatur, quod comminutione granorum fiat. Nec arena aut sabulum aliud est, quam particulæ minutissimæ silicis comminuti, unde & igne fundi & in vitrum converti potest. *Aquisgrano* appellatio hinc deducta convenit, quia solum ejus sabulosum est magna sui parte, & collis ei adjacet satis magnus, qui puro sabulo constat. Hinc itaque illam olim *Grannum* vel *Granum* dictam esse verosimile est quam maxime. Retinebunt inde per me Aquæ Granni *Apollinem Grannum*, donec aliquis edoceat his certiora.

VIII. APOLLO MOGOUNUS non secus ac GRANNUS a thermis salubribus cognominatus est, quæ in loco quodam *Mogounum* dicto extiterunt. Ad sonum *Mogouni* nihil proximius accedit, quam nomen *Mogoni* fluvii Franconiæ, qui ex Montanis Fichtelis partim profluit, per Franconiam labitur, atque a Rheno ex adverso Moguntiæ recipitur. Hic fluvius Romanis jam notus fuit. Pomponius Mela eum *Mœnim*, Ammianus Marcellinus *Mœnium* vocant. Germani eundem contractius seculo IX & sequentibus *Moyn* nominabant; unde pagus *Moyngouue* dictus est, a Rheno prope Mœnum ad Sylvam Odenwaldicam usque extensus, in quam ipsam etiam sylvam aliqua sui parte intravit. Antiquissimis temporibus Mœnum *Mogonum*, *Mogunum* & *Mogounum* vocatum esse nomen *Moguntiaci* ostendit, quod jam Florus lib. IV cap. ult. habet. Hoc enim a confluentibus Mœni & Rheni desumptum est. Nomina quippe locorum in *iacum* apud Romanos exeuntia, Germanicam aut Celticam terminationem *ig* habuerunt. *Ig* particula appositiva descendit a veteri *igen*, quod Saxones jam *egen* & Germani *eigen* enunciant, & *pertinens* ad aliquid, *denominatum* ab aliqua re aut *proprium* significat. *Mogunt* vero, *mount*, *mond*, *mund*, atque ore Romano, *Mogon* & *Moin* vel *Moen*, os & ostium fluminis designat. Hinc variæ *Gemundæ* & *Mundæ* ad ostia fluviorum omnes sitæ in Mappis

Ger-

Germaniæ Geographicis reperiuntur. *Moguntiacum* igitur denotat urbem *ad confluentem Mœni* in Rhenum *pertinentem* sive ad *ostium Mœni* sitam. Ipsi huic fluvio nomen ab *ostio* inditum est; quia primi Rheni accolæ Germani, cum nondum in regionem sylvestrem & tunc temporis horridam, per quam Mœnus devolvitur, venissent, nec fluvium illum ulterius, quam prope *ostium* suum nossent, eundem ab ostio hoc suo denominare satis habuerunt, quod nomen ille postéa constanter retinuit. Hic fructus est studii Etymologici recte instituti non spernendus, ut vel ex nominibus fluviorum, sylvarum & locorum de antiquis incolis & statu regionum vetustissimo nec in literas relato, aliquatenus certi quid pronunciare, & in tenebris aliquantulum lucis subinde intercernere possimus. Ex præmissis vero sequitur, Germanos olim necessario *Moguntiacum* enunciasse *Moguntig*, *Moguntzig*, & tandem *Mogunz*, *Moynz*, *Maynz*, *Meintz*, originationis incerti, cum *mein* apud ipsos *falsum*, *perversum*, *dolosum* & *nequam* designaret, unde *meineyd* adhuc est *juramentum falsum* & *dolosum*; in eam delapsi sunt opinionem *Meyntz* sive *Moguntiacum* hinc esse derivatum. Hoc ipsis ansam præbuit eidem Moguntiaco conditorem dandi *Magum* quendam nomine *Nequam*. Hinc, & non alia ex causa, ortum est inter inimicos Moguntiæ scomma vulgare: *Moguntia ab antiquo nequam*.

IX. *Moguntiacum* & *Bonnam*, Floro teste, Drusus circa annum V. C. 745 munivit & pontibus junxit, per Rheni ripam quoque quinquaginta amplius castella direxit. Tunc etiam, aut non diu post, ut Legio Moguntiaci custodiæ destinata tutior esset, nec Germani usque ad Rhenum irrumpere possent, ingens vallum cum munimentis sive castellis necessariis a Rheno per inferiorem Comitatum Cazenelleboganum, Weteraviam & Hassiæ partem ductum est, cujus rudera adhuc superant, & *Pfalgraben*, sive fossæ palis sudibusque munitæ vocantur. Has valli Romani reliquias Winckelmannus in Historia Hassiæ impressa quidem, sed nondum publici juris facta, & in Descriptione Ordinis Periscelidis p. 129 descripsit; diu vero ante ipsum Nicolaus Persona in Tabula Geographica, cui titulus est, *Locorum Rheno adjacentium pars inferior*, easdem exacte delineavit. Quicquid intra hoc vallum jacebat terrarum, ad *Moguntiacum* pertinebat, & a Legione ibi collocata adversus irruentes barbaros defendebatur. Omnis itaque tractus ille *Moguntiacensis* vocari potuit. Reperiuntur in eo passim Inscriptiones Romanæ, nummi, urnæ, tegulæ Romanis nominibus inscriptæ, lampades & alia utensilia. Inscriptiones & statuas Moguntiaci detectas Huttichius peculiari libello, Gruterus & Auctor Topographiæ Electoratus Moguntini, aliique ediderunt. Aliquot, cum nuper fortalitiis urbs muniretur, denuo inventæ sunt, quas Reverendissimus & Celsissimus Elector, Apollo & Musarum protector nostri temporis indulgentissimus, mecum clementissime communicari jussit. Ex pluribus diffractis duas tantum hic proferam. Prima marmorea & spectabilis non parum prope Ecclesiam S. Albani, ubi nunc Fortalicium a S. Albano nominatum erectum

cernitur,& olim vetus Moguntiacum ſtetit,inventa eſt, & hæc verba inſculpta,eodem modo,quo ea ſiſto, oſtendit.

PRO SALUTE IMP. M. AV
REL - - - ANTONN
PII FELIC. IS - - - -
FORTUNA. E REDUCI
LEG. XXII. PR. PF. C. GENTI
IUS VICTOR VET. LEG
XXII. PF. MHM. NEGOT
IATOR. GLADIARIUS
TESTAMENTO. SUO FIERI
IUSSIT AD HS N VIII. MII.

Altera in diffracto lapide hæc exhibebat:

- - - II. PF.
- - - VODAL
- - - AQVILIF
- - - L. P. VICT
- - - EG. XIIII. EG.
LEG. XIII. GEM.
II. PRIM. P. F.
Q. STIP. XLV.
AN. LXX.

X. Jam ad *Q. Licinium Trionem* redeundum, qui ob valetudinem *Aquis Granni* reſtitutam *Apollini Granno* grates perſolvit. Idem, cum etiam *Moguntiaci* viveret, ſimile reſtitutæ ſanitatis ex aquis in agro Moguntiacenſi ſcaturientibus beneficium ſe accepiſſe credidit a *Fonte* vel *Apolline*, quem *Mogounum* vocat pro *Moguntiacenſi*, eodem modo, quo ſupra *Apollinem Sianum* pro *Sianticenſi* dictum vidimus, mollioris nempe enunciationis cauſa. *Mogounum* vero pro *Moguno* poſuit, ut vocalem *u* eo ſono, quo nos Germani illam pronuntiamus, exprimeret. Romani enim *u* ſimplex, Gallorum & Anglorum more, ut *ü* vel *i* obſcurum enunciabant; & quando ſonum Germanici *u* efferre vellent, *ou* ſcribebant, quod & Galli adhuc faciunt. Hinc in veteribus libris ſeculo IX, X & XI, Germanica lingua exaratis, obſervabis ad exprimendum noſtrum *u* ſemper *ou* poni. *O* vero hoc deinde vocali *u* ſuperimpoſitum eſt hoc modo, *ů*; unde in vulgari noſtra ſcriptura reſtat ſemicirculus huic vocali ſuperponi ſolitus aut circumflexus perpendicularis. Acidulis omnis ager Moguntiacenſis abundat. *Schlangenbadenſes* ab aliquo tempore frequentantur: & tepidas aquas etiam habent: *Svalbacenſes* notæ ſunt, *Selterſenſes* & *Carpenſes* nunc magis magisque inclareſcunt. Sed acidularum uſus, ut jam monui, apud Romanos non adeo frequens erat. Unde *Wisbada* occurrit, duabus circiter Moguntiaco horis diſtans & olim Præfecto Moguntiaci Romano ſubdita,

ta, nunc vero Idstenensium Principum oppidum & sedes. Hæc calidas egregie aquas præbet. Harum igitur usu Q. Licinius Trio altera vice curatus est, & eam ob causam etiam *Apollini Mogouno* gratitudinem suam in Lapide testatus est. Colonia Romanorum, quæ *Mattiacum* usque in Hassiam extendebatur, eamque urbem capitalem habuit, sequenti tempore, *Wisbadam* etiam recepit; unde Ammianus Marcellinus lib. XXIX cap. IV, suo ævo eam *Aquas Mattiacas* vocat. *Wisbada* vero summæ antiquitatis fuit, ut vel ex nomine *Usipetum* concludo. Tacitus eos jam in Germania inferiori offendit; sed nomen ipsorum, Romano ore enunciatum, Germanica dialecto *VVisipetes*, *VVisibades*, *VVisbader* sive *VVisbadenses* nobis reddit: qua ex re concludimus, eos dudum a Cattis pulsos alio se contulisse & sedes mutasse. Ne vero quis miretur Wisbadam ad Moguntiacum a Q. Licinio Trione relatam, cum seculo adhuc nono *Francofurtum*, multo longius a Moguntia distans, suburbanis Moguntiæ accenseatur.

XI. Transit denique Cl. Mantourius ad locum, in quo Lapis, *Apollinis Granni Mogouni* memoriam conservans, est inventus, ad oppidum nempe *Horburgum*: nec Beato Rhenano & Ortelio abnegat, eam olim civitatem & coloniam Romanam fuisse. Simul prælium cum Alamannis apud *Argentariam* commissum, cujus Ammianus Marcellinus lib. XXXI. cap X, & Orosius lib. VII meminerunt, in campis Horburgensibus depugnatum esse opinatur. Recte reprehendit Andream Schottum, qui, duplici memoriæ lapsu, dixerat, *Argentariam* nomen adhuc suum *in agro Lemovicino Argenton* retinere. *Argentonum* enim non in agro Lemovicino; sed in ditione Bituricensi situm est. *Argentonum* porro ingenti errore cum *Argentaria* confunditur; cum hæc Rhenum inter & Illam Alsatiæ amnem jaceat. Tandem commemorat, esse quosdam, qui super Argentariæ ruinis urbem *Colmariam*, seu, ut magis Latine vocatur, *Columbariam* exstructam esse velint, & ea quidem tempestate, qua Fridericus II Imperium seculo XIII in Germania tenuerit. Hoc certo constare putat, ista ætate idem oppidum ab Albano Volstenio Præfecto Alsatiæ, muris cinctum esse. Ego hasce in res posteriores non inquiro. Sed *Columbariam* longe ante Fridericum II Imp. celeberrimam & illam ipsam atque *Horburgum* ab Argentaria diversam fuisse, certus scio & demonstrabo.

XII. Ipsum *Columbariæ* nomen Romani aliquid spirat: sed qua ratione exigeres a siccis ævi inferioris scriptoribus, ut ejus mentionem peculiarem fecerint. In Itinerariis, quæ sub Antonini nomine habemus, non nominatur. Memini tamen eam sub regibus Merovingicis jam notam fuisse, licet author, apud quem hoc legi, jam non succurrat. Notkerus Balbulus in Vita Caroli M. lib. II cap. 5, fortitudinem & fidelitatem duorum nothorum *de genitio Columbrensi* celebrat. *Genitium* erat *gynecæum* sive locus, ubi ancillæ regiæ lanam linumque tractabant. *Columbaria* ergo sub Carolo M. ejusmodi gynecæum regium habuit. Gregorius IV Papa, cum A. 833 in Francia esset, ut Ludovicum Imp. cum filiis reconciliaret,

Columbariæ hoſpitium habuit, & ibi Privilegium Aldrico Cenomanenſi Epiſcopo conceſſit, quod Mabillonius in Analectis edit. recent. p. 298 ſeq. publicavit. Clauſula ejus eſt: *Data Coblambur VIII Idus Julii, Indictione XI feliciter in domino Amen.* Poſt hæc Columbaria, favore forte Ludovici I Imp. in familiæ Guelficæ poteſtatem venit. In Anonymo enim de Guelfis reperitur, S. Conradum Epiſcopum Conſtantienſem fratri ſuo Rudolpho patrimonium ſuum, quod a patre acceperat, *Altorf* nempe, *VVolfeſwende, Berge, Fronhofen cum ſuis attinentiis, & omnia ultra fluvium Stuzina ſita*, quæ hodie Monachorum Weingartenſium ſunt, *per concambium donaſſe;* & a Rudolfo recepiſſe *Eyſilingen, Andiluingen cum omnibus appendiciis ſuis, & in Alſatia COLMIR & infra Rhætiam Curienſem Amidis fluminis Lugenez;* quæ S. Conradus omnia Eccleſiæ Conſtantienſi contradidit. Ulterius antiquitatem Columbariæ non perſequor, cum hæc noſtro inſtituto ſufficiant, & manifeſte oſtendant, eam non demum ætate Friderici II Imp oppidum factum; ſed diu admodum ante locum ſatis quidem celebrem fuiſſe. Palatium fere Regium nominaſſem, ubi gynecæum regium fuit, & ubi Gregorius IV Papa hoſpitio exceptus fuit. Villam regiam minimum eo ævo fuiſſe, nemo inficiabitur.

XIII. Columbariæ aut Horburgi *Argentariam* quondam ſtetiſſe non credo. In Itinerario Antonini, cujus egregium mihi Manuſcriptum ſeculi noni ad manus eſt, cum in hac libris non abundante regione editione Suritæ deſtituar, *Argentoratum* quatuor vicibus nominatur. *Argentuaria* vero ſive *Argentaria* unica tantum vice occurrit in Itinere, quod *Mediolano per Alpes Apenninas Moguntiacum* duxit. Ab *Auguſta Rauracorum* incipiemus, & millia paſſuum addemus. Poſt eam ſequuntur: *Cariabete XII, Stabulis XIII, Argentouaria XII, Saletione VII, Tabernis XIII, Noviomago XI, Bormitomago XIV, Bouconia XIII, Moguntiacum XI.* Tabula Peutingeriana iter idem ſic delineat: *Auguſta Ruracum, Cambete VII, Argentouaria XII, Helellum XII, Argentorate XII, Brocomagus VII, Saletione XVIII, Tabernis XI, Noviomagus XII, Borgetomagus XIII, Bonconica XI, Mogontiaco IX.* Ex horum authorum collatione apparet, in millibus paſſuum ingentem differentiam eſſe, & in Itinerario certiſſime quædam inter Argentariam & Saletionem loca omiſſa. In Tabula Peutingeriana alia a modo nominata *Cambete*, VII millia paſſuum quoque adjuncta habens ab Auguſta Rauracorum, interius annotatur. *Auguſtam Rauracorum* eſſe vicum *Augſt* prope Baſileam ad Rhenum omnes conveniunt, & iis ego aſſentior. Quod ſi in ripa Rheni inde pergas, offendes vicum *Kembs*, qui *Cambetem* nomine ſuo non diſſimulat. Sed Itinerarii *Cariabete*, pro qua interius in Tabula etiam *Cambete* corrupte legitur, neceſſario eſſe debet vicus *Geierſpitzen* ad initium ſylvæ, *die Hart* vocatæ, ſitus. Is enim æquali ſpatio cum vico *Kembs* ab Auguſta Rauracorum diſtat. Vox ipſa *Geierſpitzen*, ſi ſibilos, Romanis inſuetos, omittas, ſonum fere *Cariabetis* exhibet. *Stabula*, quæ Anonymus Ravennas lib. IV cap. 26 *Stafulon* vocat, reſtant

restant in *Stuffelfelden* vico peramplo ad amnem Thuram, Sennenam oppidum inter & Ensishemum existente. Hinc Argentaria distat XII millibus passuum. Congruunt iterum, quod ad nomen attinet, vici magni *Ober-Hercken & Nieder-Herken* sive *superior & inferior Herckena.* Ex *Argentaria* Germanis vulgari pronunciatione *Hercken* facillime fieri potuit, Latina terminatione solum dempta; cum illi olim aspirationem amarent, & *a* vocalem, more Romano & Anglicano, ut *æ* pronunciarent, cujus rei vel mille exempla in promptu sunt. Vici itaque hi, ad Illam prope oppidum S. Crucis constituti, in ruinis veteris Argentariæ ædificati fuisse videntur. Sequitur *Helellum* ab *Illa* seu *Ella* fluvio sine dubio sic dictum; quod reperio in viculo *Ell*, per fluvium Illam ab oppido Benfelda separato & nunc adeo tenui, ut non nisi a piscatoribus inhabitetur. Anonymus Ravennas hoc Helellum *civitatem Alajam* nominat. Ferunt Alsati, in viculo Ella *Mercurii templum* olim stetisse, quod S. Maternus destruxerit: ut vel inde locum antiquissimum esse comprehendas. Ellâ *Argentoratum* exacte XII millibus passuum distat, quod sententiam nostram magis confirmat. Ab Argentorato *Brumptum* oppidum, ad Soram amnem jacens, VII millibus passuum iterum discretum est, & *Brocomagum* Veterum nobis sistit, in quo omnes Geographi recentiores consentiunt. *Selz* oppidum Electoris Palatini ad Rhenum est *Saletio* Romanorum; a Brumpto enim, sive Brocomago XXIII millibus passuum remotum est. *Tabernas* ad Rhenum oppidum *Zabern*, Episcopi Spirenses sedes, nobis reddit. A Tabernis *Noviomagum* usque XII millia passuum ponuntur, quod in *Spiram* quidem urbem Episcopalem convenit: ad amnem tamen Spirensem, *Speierbach* vulgo dictum, situs est vicus *Neuhofen*, qui Celticum *Noviomagi* nomen Germanice exprimit. *Magus* enim multorum Celticæ locorum terminatio, omnium confessu, *habitationem* aut *mansionem* designat: & *Hof* apud nos idem significat: *neu* vero *novum* est. *Borgetomagum* vel *Bormitomagum* esse nostram *Wormatiam*, nemo diffitebitur. Anonymus Ravennas eandem jam *Gormetiam* appellat, cum W Germanorum exprimere vellet, nec tamen posset; quod idem Romani per *B* extulerant. *Boncouica* sive *Bouconia* circa *Oppenhemium* fuit, a quo ad Moguntiacum usque novem circiter millia passuum habentur. His ex locis *Noviomagum* Anonymi Ravennatis tempore jam destructum & in vicum conversum fuit; in propinquo vero *Spira* surrexit, quam ille *Sphiram* nominat. *Argentaria* quoque in geminos vicos mutata erat, quos cum Ravennas non nosset, locum longe ab Argentorato dissitum, cum Argentorato commiscuit: *Argentaria*, inquiens, *quæ modo Stratisburgo dicitur*. Hæc in medium afferenda fuerunt, ut constaret, *Argentariam* veterum neque in *Columbaria*, neque in *Herburgo* quærendam amplius esse.

Illa de cætero fluvius olim *Ella & Alsa* dictus fuit, ut ex *Helelli* sive *Ellæ* olim civitatis, nunc viculi, nomine apparet, quam, ut vidimus, Ra-

vennas *Alajam* vocat. Magis hoc idem ex appellatione *Alſatiæ*, *Eliſatiæ* & *Heliſatiæ*, quæ *accolarum Illæ*, *Ellæ* vel *Algæ* regionem verbotenus ſignificat, confirmatur. Quod ſi jam conſideres, Helvetiis & aliis barbaris populis conſuetum eſſe, ut literam caninam plerumque per *l* efferant, & *Kilche* pro *Kirche* pronuncient, *almer* ex *armario* faciant; ut Galli *ARVERNIAM* in *Alverniam* & vulgare *Auvergne*; *tempora* in *temples*; *peregrinum* Itali in *pelegrino*, qui & Germanis *pilgrim* eſt; *arborem* in *albero*; Hiſpani vero *parabolam* in *palabra*, *papyrum* in *papel*, *arbitrium* in *alvedrio* mutant: concludere hinc licet, *Illam*, *Allam* vel *Algam* olim *Argæ* nomen Celticum habuiſſe, & inde adſitas ei civitates *Argentariam* & *Argentoratum* dictas eſſe. In terris, quas olim Celtæ tenuerunt, plures fluvii ſimili nomine inſigniti reperiuntur. In Alſatia ipſa amnis *Ergers* vel *Argens* per Ehenhenium fluit & prope Grafenſtadium Illæ miſcetur; In Helvetia *Ergena* Sanam influit, *Ergers* vero labitur in Rhenum; *Argenus*, Gallice *Arguenon* vocatus, per Britanniam minorem currit; *Argenteus* fluvius, vulgo *Argens*, prope Forum Julium in Mare Mediterraneum exit. Alios jam omitto, cum ex his ſatis pateat, Celtas hoc nomen variis fluviis indidiſſe. *Argentoratum* primo pronunciatum fuiſſe *Argentoractum*, conformi urbis *Carpentoractis* enuntiatione, ſuſpicor. *Toractus* vero prodiit ex barbaro *triectus*, *trectus*, *triactus* & *tractus*, quod ex *trajecto* factum eſt. *Triectus* pro *Ultrajecto* ad Rhenum in Regum Merovingicorum & Pipini Carolique M nummis ſæpius occurrit. Et *Maſtricht* inde eſt *Moſæ trajectus*; ac *Ultrajectum*, denotat *ulteriorem trajectum*, reſpectu nempe Trajecti Moſæ. *Argentoratum* itaque ſignificabit *Argæ trajectum*, ut *Carpentoracte*, ab authore forte, *Carbonis trajectum*, in cujus vicinia ſcilicet Carbo, quiſquis is demum fuerit, amnem, *la Nasque* vulgo dictum, trajecit & ponte ſtravit. Germani deinde, abjecta priori vocis *Argentorati* parte, & retenta poſteriore, quæ eſt *toratum*, urbem hanc, muro caſtellisque munitam, *Tratisburg* & *Trazburg*, hoc eſt, *caſtrum Trajectus* nominarunt. Simili modo Galli ex Carpentoracte *Carpentras* fecerunt. Hinc tandem, ſibilo præfixo, *Strazburg* & *Strasburg* prodiit, quo nomine jam vulgo venit. Nam a via militari, quæ nobis *ſtraſſe* & Saxonibus *Strate* audit, eam ſic dictam eſſe, probari non poteſt. At objiciet aliquis, *Argentoratum* non poſſe ab *Algæ trajecto* dici; quia *Arga*, ſeu, ut vulgo dicitur, *Illa* eo loco, ubi urbs hæc conſiſtit, non amplius *Illa*, ſed *Breuſcha* vel *Bruſcha* vocatur. Sciendum itaque eſt, *Breuſchæ* nomen Celticum eſſe & *rupturam* ſignificare. *Breg* Cambris adhuc eſt *ruptio*, quod ut *breſch* enunciandum eſt; unde & Galli *breche* pro *ruptura muri* vel *valli* habent. Buchananus Hiſt. Scot. lib. II ſcribit: *Apud Scotos a DRIX, quod* veprem *ſignificat, declinatur DRIXAC, & a BRIX, quod* rupturam *indicat, BRIXAC, quod nunc Galli pronunciant BRISSAC. Quod enim* brix *Scotis dicitur, id Galli nunc* breſche *appellant nullo diſcrimine in vocum ſignificatione. Scriptura, ut diſcrepet, in*

cauſa

causa est, quod veteres Scoti & adhuc universi Hispani X litera pro duplici SS utebantur. Itaque veteres Galli a Brix *Cenomanorum oppidum BRIXIAM nominarunt, & a BRIXIA rursus BRIXIACUM, quod vulgo BRISSACUM.* Brissacum vero in veteribus Itinerariis Romanis mollius *Brisiacum* scribitur, & nomen sortita est inde, quod ædificata esset in loco, ubi Rhenus continenti plures particulas abruperat & insulas fecerat. A *Brisiaco* porro regio adjacens adhuc *Brisgovia* appellatur. Non aliunde *caligæ* Saxonibus & Belgis *broeck* & Celtis *braccæ* nominatæ sunt. Exhibent enim vestimentum in duas partes divisum, sive disruptum, ut super pedes inductum, lumbi eo concludi possint. Iidem Saxones *bruk* & Germani *brüech* locum paludosum & variis scaturiginibus rivulisque disruptum & scissum appellant. Unde *broekel* & barbaro-Latine *brogilum*, Gallice olim *breuil*, est lucus vel spatium non magnum, irriguum & arboribus consitum ante vicum, in quo majores nostri olim sacra faciebant, atque etiam consilia capiebant: qualis quoque Venetiis fuit illa area, quæ nunc inde adhuc *broglio* dicitur. *Brocken* Germ. est frustum sive fragmentum panis. *Brust* iisdem *pectus* denotat, & ita vocatur, quod in pectore costæ quasi disruptæ videantur & distinguantur. Omnia veniunt a Germanico *brechen*, rumpere, frangere. Et ipsum Latinorum *frangere*, si *n* ἐφελκυστικὸν tollas *fragere* sonat & a *brechen* factum esse videtur. *Bruscha* inde vel *Breuscha* est *ruptura* sive *disruptio Argæ* vel *Illæ*, ejusque nomen subintelligi debet. Eo enim loco, quo Illa *Breuschæ* nomen recipit, fluvius in diversa brachia sive amnes disrumpitur quasi & separatur, quorum majus *Breuscha* audit. Cum vero in Illam ab initio divisionis hujus suæ amnis ex montanis Vosagi profluens cadat; idem inde etiam *Breuschæ* nomen accepit, quod illapsus ejus aquarum Illam veluti ad istam separationem coegisse videretur. Ab effectu itaque ostii sui Breuscha dictus est integer, ut Mogonus sive Mœnus a solo suo ostio vocatus est. Hanc Symbolam Cl. Mautourii expositioni Lapidis Horburgi reperti addere volui, quam, Lector benevole, ut boni consulas, rogo.

DE EPISTOLIS A JO. HEVELIO PARTIM, partim ad ipsum scriptis adhuc ineditis Narratio epistolica ad J.B.M. missa Petroburgo a J. P. KOHLIO, Prof. Acad. Petrob. Publ.

Accipe hic Vir Celeb. in parva quasi a me tabella depictum, *Hevelio* quod Autori, *Delislio* conservatori debemus, superioris seculi illustre monumentum. Est hoc commercium illud epistolare, quod Hevelio, ut nosti, Astronomo sui temporis celebra-

bratiſſimo, cum Viris non eruditionis tantum laude, ſed & natalium ſplendore illuſtriſſimis quondam interceſſit, cui perpetuo cum blattis ac tineis certandum fuiſſet, niſi Clariſſ. Deliſle, de ſcientia Aſtronomica dudum ampliſſime meritus, Heveliano-rum operum egregius æſtimator, illud ſibi vindicaſſet, qui A. 1725, cum per Germanium iter faciens, & ad nos tendens, Geda-num perveniſſet, hoc cimelium cum alio Hevelii autographo manuſcripto, obſervationes omnes, quas in vita unquam habuit, continente & quatuor in forma majori Voll. conſtante, centum aureis ſibi comparavit, eo quidem animo, ut nec aliis ejusdem uſum invidendum putaret. Mecum igitur egit nuperrime, ut toto hoc opere, cujus autographum benevole mecum communicavit, diligentius perluſtrato, quæ generatim de eo monenda aliisque ſcitu fortaſſe non injucunda putarem, ad Te perſcriberem, publicis, ſi tibi ita videretur, Eruditorum Actis inſerenda. Quod quidem officium eo alacrius in me ſuſcepi, quod & illi acceptam, nec Tibi ingratam hanc fore operam præviderem.

A fatis libri ut exordiar, manuſcriptorum unum eſt, quæ beatus Hevelius noſter, ut erat ingenio non ſolum excellenti, ſed & labore pro communi re ſuſcepto plane admirabili, ſi ſuperaſſet, parata jam prelo, edidiſſet. Nam & ipſe in epiſtolis hoc ſæpe ſuis indicat, & alterum commercii hujuſce epiſtolaris teſtatur exemplar, quod nullo alio quam ut typis exſcriberetur, conſilio Hevelii ipſius manu deſcriptum a Doctiſſ. *Deliſle* & ipſum poſſidetur. Ex iis item eſt manuſcriptis, quæ, cum funeſtum illud oriretur Hevelianæ domus incendium, rapaces furum manus, ac ſævientes flammas evaſerunt: quod ut ex aliis epiſtolis compluribus, ex illa quam ad Cl. *Pfautzium* veſtratem, quocum frequens ipſi commercium interfuit, epiſtola colligitur, quam ferme integram primi Actorum Eruditorum anni menſis primus, in opere Heveliano ipſo decimus & quintus Tomus exhibet. Varia hæc epiſtola, de editis ineditisque Hevelii ſcriptis, notatu digna exhibet, reſpondetque litteris *Pfautzii*, quibus ipſum ad epiſtolas ſecum commutandas partim excitat, partim ut ſuum aliquod ingenii ſpecimen in prima ſtatim Actorum Lipſienſium parte exſtare patiatur, petit. Ad opus ipſum ut revertamur, ſeptendecim Tomis

majori

majori in forma constat. Nam, etsi Hevelius modo duodecim, modo tredecim, modo quatuordecim tantum voluminum ipse meminerit, reliqua tamen postea accesserunt. Præ cæteris raritatem quod operi conciliat, nulla epistolarum non autographa, eaque ipsa, quam primo composuit, manu exarata conspicitur. Pleræque adeo concinnæ sunt maculisque puræ ac illibatæ, ut nemini non legenti pateant. In nonnullis tantum a Mersenno Ravioque scriptis, qui nescio quod obscurum pingendi litteras genus adamarunt, impedimento sunt contorti implexique syllabarum ductus, quo minus omnia statim intelligas. De cætero plusquam quadraginta annorum labor est. Prima namque his tomis comprehensa anno superioris seculi circiter quadragesimo: postrema octogesimo quarto aut tertio scripta est. Unde quanta sit copia epistolarum ultro citroque missarum, facile intelligitur: certe vix quenquam reperias inter eruditos, cui tam immersum simulque fructuosum fuerit cum viris præstantissimis commercium. Et magnam quidem in his partem constituunt epistolæ Keplerianæ editioni quondam ab Hevelio, qui manuscripta ejus omnia possidebat, destinatæ, sed nunquam editæ: quæ quatuor aut quinque fere occupant volumina. In animo habuisse Nostrum epistolas has suas omnes evulgare, supra diximus, & litteræ ad Clar. Rabenerum Tomo XIV reperiundæ docent, ubi consilium sibi esse scribit, Principis cujusdam Viri auspiciis sumptibusque non modo *Uranographiam, globos cœlestes*, correctos & auctos, *prodromum Astronomicum* cum *catalogo fixarum* triginta annorum &c. cum aliis scriptis, sed & Epistolas suas edere cum clarissimorum istius seculi virorum responsionibus, XV voluminibus in folio (eo namque tunc temporis solum excreverant) comprehensis. At præter alia impedimenta mors ipsa intervenit, quæ de edendis hujusmodi epistolarum tomis consilium autoris spemque hominum fefellit. In lucem igitur exiere nonnisi sequentes: Epistola ad Laurentium Eichstadium *de observatione eclipseos lunaris A. 1649*, alia ad Petr. Gassendum & Ismael. Bullialdum *de eclipsi solari A. 1682*; alia ad Joh. Bapt. Ricciolum *de motu Lunæ vibratorio A. 1654*; alia ad Nucerium sive De Noyer, Poloniæ Reginæ a Secretis, ut & Henricum Oldenburgerum, quarum illa *de utriusque*

luminaris defectu, hæc *de cometa* 1672 viſo, ſcripta eſt. Et ne excerpta quidem ex hoc univerſo epiſtolarum opere hactenus quisquam dedit. Quæ enim, vivente adhuc Hevelio, Clariſſ. Vir Johannes Ericus Olhoffius, Hevelii cognatus, excerpta ex epiſtolis Illuſtrium & Clariſſimorum Virorum (qui libri index eſt) ad Joh. Hevelium perſcriptis, judicia de rebus Aſtronomicis ejusdemque ſcriptis exhibentia Hagæque 1683 in 8vo edita, publicavit, nonniſi ea depromunt epiſtolarum loca, quibus vel ob præclaram rerum Aſtronomicarum ſcientiam, vel ſingularem in obſervando curam ac vigilantiam aliasque virtutes ab aliis Hevelius laudatur. Nam nec alio ſpectabat Clariſſ. Viri, cujus ipſe librum manu autoris ſcriptum apud Clariſſ. Delisle vidi, labor, quam ut Hevelii ſui famam adverſus Hookii, aliorumque eam obſcurare conantium, injurias defenderet. Theſaurum vero merito vocaveris has Epiſtolas, rebus ad Matheſin pertinentibus, præcipue Aſtronomicis, Opticis, Mechanicis, in quibus ſingulis excelluit, longe inſtructiſſimum. Sed & Phyſica ac Chronologica, politica, & imprimis ad hiſtoriam litterariam ac vitam & fata Eruditorum cognoſcenda utilia non pauca hic offendes. Ita de literis ad Pfautzium etſi ipſe teſtetur, nihil in iis præter ea quæ ad Aſtronomiam, Geometriam, Opticam, Chronol. Mechan. & Phyſicam ſpectant, comprehendi, jucunda tamen lectu ſunt, quæ e. g. de Joh. Capellano, cujus haut paucæ ad Hevelium commearunt epiſtolæ, elegantiſſimo gallico ſermone ſcriptæ: de Caſſino item, Hugenio aliisque paſſim, imprimis in Bullialdi epiſtolis, memoriæ prodita leguntur. De Maria quidem Cunitia, Aſtronoma ſui temporis celeberrima ſcriptisque incluta, tam multa habent mariti Æneæ a Leven ad Hevelium datæ litteræ, ut vel integræ vitæ ipſius contexendæ ſufficiant. Ita multa paſſim ac limatiſſima vel doctorum de Hevelii, vel ipſius Hevelii de aliorum libris cum editis tum ineditis, novisque inventis, judicia inveniuntur. Multa & vitam Hevelii ipſam reddere poſſunt illuſtriorem, immo vel ad vitam ejus integram conſcribendam ſufficerent. Cum plerumque intra Aſtronomiæ, Opticæ, Mechanicæque limites ſe continuerit, de reliquis, ut a Ravio Prof. Upſalienſi, & Wasmuthio Kilonienſi de Chronologicis quæſitus rebus, reſpon-

ſionem

ſionem modeſte declinavit. Epiſtolæ vero Oldenburgii, Heinſii, Bartholini, Zamelii &c. rerum Phyſicarum & variæ eruditionis ſunt pleniſſimæ. Unius alteriusve epiſtolæ formam ac characterem propius ſi cognoſcere deſideras, epiſtolis Bullialdi nihil invenies amœnius, nihil argutius. Iisdem cum Leibnitzii (cujus una tantum adeſt) Kircheri, Gaſſendi, Walliſii, Merſenni, Hugenii, Vinaceſii Kochowskii, Eichſtadii, Linemanni &c. Epiſtolis nihil doctius & elaboratius. Numerum multitudinemque epiſtolarum ad Hevelium datarum ſi ſpectare velis, Bullialdi, Nucerii, Roliſii, Capellani &c. primas tenent; ſi doctrinam, Hugenii, Caſſini, Roberoalti paucorumque aliorum: ſi elegantiam denique puritatemque ſtili, Bartholini ſine dubio, Heinſii, Hugenii, puriſſimi ſane ſcriptoris Oldenburgeri Epiſtolæ. Ad dictionem Hevelii ipſam quod attinet, non adeo quidem ornata ac culta ea eſt, nec ſic comparata, ut non rigidas interdum puritatis latinæ cuſtodum cenſuras incurrat: plana tamen eſt, perſpicua & ab omni (quod caput eſt) affectationis vitio aliena. Tali, inquam, ſtilo epiſtolas exaravit, qualis epiſtolam imprimis decet, brevi, ſimplici ac perſpicuo. Unde ſive ad Reges ac Principes, ſive ad Miniſtros ſtatus, utpote ad Colbertum aliosque, ſive ad Epiſcopos aliosque dignitate celebres Viros ſcribat, τὸ πρέπον ſtudioſiſſime obſervat. Nam & Poloniæ Reges Michael & Joh. Sobieſcus (cujus ſcutum inter ſidera collocavit) & Daniæ Rex Chriſtianus & Rex Galliarum Ludovicus & Elector Brandenburgicus Fridericus Wilhelmus & Holſatiæ Princeps Fridericus, Magni noſtri, quem Dii ſervent! Caroli Friderici pater & Megapolitanorum Princeps Guſtavus Adolphus & Lubecenſis Epiſcopus, hæreditarius Holſatiæ Princeps Johannes, cujus manuſcriptam hic vides latinam in Tomo I epiſtolam, & Magnæ Hetruriæ Dux Leopoldus, cujus plurimæ epiſtolæ Italico ſermone contextæ adſunt, Epiſcopi denique, Abbates, Purpuratique plurimi & ſummorum Principum Miniſtri, ut Colbertus, Hevelium epiſtolis ſuis cohoneſtarunt, vel manu ſcriptis integris vel ſua certe ſubſignatis manu. Quibus ut ingens decus operi accedit, ita in univerſum ſatendum eſt, neminem fere omni orbe Mathematicum aut Aſtronomum illo tempore exſtitiſſe, qui non Hevelium compel-

lare in delitiis habuerit. Quo fit ut multæ etiam hic legantur Epiſtolæ exoticis linguis, Ethruſca, Gallica, Italica, Anglica, Belgica, conſcriptæ. Nec unquam officio ſuo in reſcribendo defuit Hevelius, quod vel ex hoc opere patet, in quo ſingulis eruditorum Epiſtolis ſubjunctæ ſunt reſponſoriæ, eæque in rebus imprimis Aſtronomicis tam prolixæ, ut integri tractatus vicem ſubire poſſint, quales ſunt pleræque, ad Bullialdum, Eichſtadium & Gaſſendum ſcriptæ. Nec cum quibus, aut cui religioni addictis hominibus commercium iniret, multum erat ſollicitus. Æque enim familiariter Pontificiis, Jeſuitis maxime, quorum plurimi amicitiam ejus admodum optabant, ac ſuæ religionis hominibus utebatur, a diſputationibus de religione prorſus abſtinens. Unde a Kochanzkio, vel alio neſcio quo Jeſuitici ordinis ſocio, gibboſo quodam, dudumque exploſo ſyllogiſmo tentatus, & ad Pontificia pellectus ſacra, nihil aliud reſpondit, quam ſe hanc ſibi legem jam pridem indixiſſe, ut res religionis omnes in commercio ſuo epiſtolari ſeponeret. Ceterum occaſionem ſcribendis his litteris cum alia dedere, tum ipſius Hevelii Opera Aſtronomica, omnem latura ætatem, quæ vel Principibus Viriſve illuſtribus offerebat, vel adverſus quorundam objectiones dubiaque, Hookii imprimis Angli, quocum acris illi contentio de Aſtronomicis inſtrumentis interceſſit, Hugenii, Oldenburgeri defendebat. Nec paucis ſcribendis anſam dedit triſtiſſimum incendium, quo ipſo abſente domus ejus una cum rebus pretioſis fere omnibus, Aſtronomico maxime apparatu egregio, pauculas intra horas conflagravit, quo flebili caſu commoti plures, etiam antea ipſi ignoti, litteras, communem luctum teſtantes, ad eum miſere. Nec paucas ipſe literas ad Reges Poloniæ & Galliæ alioſque Principes, apud quos aliquem ſe gratiæ tenere locum noverat, in hac calamitate dedit, quibus opem eorum ſubſidiumque imploravit. Ceterum cum expediat forte nomina eorum cognoſcere, cum quibus illi commercium fuit, non alienum duxi eorum hic Indicem dare, ordine alphabetico digeſtum. Sunt vero iſta: *Academia Oxonienſis*, ut & *Cantabrigienſis*, *D. Acacia*, Varſaviæ degens; *Valerianus Alembeck*, Med. Doct. Conſil. Leopoldin. S. R. M. Secretar. & Medicus Dantiſc.

Schuants

Schuants Baner, Suecus, Gubernator Uplandiæ, Comes *de Rostaing Burg*, Gallus, *Erasm. Bartholinus*, Doct. Med. & Prof. Havniens. *Stephanus Baluzius*, Bibliothecæ Colbertinæ tunc præfectus, *Beauplan*, *Martin. Bernhardi*, *Constantin. Berndt*, Rostoch. Mathemat. Hevelii cognatus, *de Bethune*, Gallus, (quem ex literis Acaciæ Marchionem fuisse intelligo) *Mich. Behem*, Secret. *Bernerius*, Gallus, (Gallice *Bernier*) *Carolus le Besque*, a consiliis secretis & thesauro Regis Galliæ, *Joh. Barth. Bentzius*, *Ericus Blesendorff*, *Fr. Joh Bilstein*, Carnoviens. Vicarius, *Jacob. Barnenis*, Philos. ac Medic. Doctor Elbingensis, *P. Bourdelot*, Archiater Reginæ Sueciæ, *Abrah. Boddens*, Amstelod. *Borastus de Boory*, (von Boostelі) *Henr. Bœclerus*, M. *Frid. Bütherus*, *Mich. Bürich*, Ecclesiast. Dantisc. M. *Andr. Brummer*, Lips. *Georg. Brandt*, Theol. Doct. & Mathes. Profess. Marpurgens. *Ismael Bullialdus*, *Tit. Liv. Burattinus*, *Anshelm. Brunettus*, *Georg. Buseginus*, *Caramuel a Lobkowiz*, Abbas Monferratensis, denominatus Misiæ Episcopus, *Thom. Caravesius*, Canonicus in Veteri Zamoscia, *Arnold. a Campio*, *Joh. Domin. Cassini*, Lector Primarius Astronom. in Archi-Gymnas. Bonon. post Societ. Regiæ Parisiens. membrum, *Christian. Cassius*, *Joh. Capellanus*, *Clermann*, *Andr. Cnöffelius*, Doct. Medic. & Archiater Reg. Polon. *Christoph. Colerus*, Bibliothecar. Vratisl. *Barthol. & Israel Conradi*, e Soc. Jes. *Joh. Comenius*, *Andras Cellarius*, (autor Harmoniæ macrocosmicæ) Illustriss. *Colbertus*, magnus Hevelii patronus, *Andr. Concius*, Prof. Math. Regiomontan. *Christoph. Cock*, Anglus, *Sebast. Marbre Cramoisie*, *Petrus Crügerus*, Prof. Mathes. Dantisc. Hevelii Præceptor, M. *Joh. Jac. Cramerus*, Prof. Theol. & Pastor Dantisc. *Guil. Croun*, Med. Doct. Socius Reg. Soc. Angl. *Albertus Curtius*, *Andr. Cressefus*, *Joh. Casimir. a Denhoff*, Abbas claræ tumbæ, *Henr. Doog*, *Christ. Frid. a Donau*, *Joh. Duræus*, Elbingæ Anglic. Ecclesf. Sacerdos, *Laurent. Eichstadius*, Med. Doct. Stetinens. *Joh. Sigism. Elsholz*, Med. Doct. & Elector. Brand. Medicus, *Frid. Elert*, *Ernestus*, Dux Jul. Cliv. & Mont. *Vincent. Fabricius*, *Joh. Fabritius*, *Joach. Frisch*, Gymnas. Thorun. Professor, *Ludov. Wilh. Fanton*, *Bened. Figken*, *Christ. Filit*, *Reinhold. Fischer*, *Georg. Fhelavius*, *Joh. Flammstedius*, *Martin. Fogelius*,

Med. Doct. Hamburg. D. *Formond, Dav. Frölichius, Bernh. Fullenius, Erasm. Francisci*, D. *Franckenberger, Georg. Funccius, Petr. Gassendus*, Præpos. Eccles. Dinciens. *Thom. Gale*, Societ. Londin. Secretarius, *Gaston* Dux *Aurelian. Joh. Carolus Gallet, Gemsky, Jonath. Goddardus*, Med. Doct. Angl. (al. & *Godherd*) *Ægid. Franc. de Gottinger*, Comes *Magnus de la Gardie*, Suecus, *Matth. Gloskofsky, Nic. Goldmann, Gorsfinsky, Christianus, Grüneberger, Griffenfeld, Gusmeier, Mich. Anton. Hacki*, Romæ Notar. Apostol. *Gerbrand, Hajo*, Med. Doct. Dant. *Sam. Hartlibius*, Anglus, *Edmund. Halleus*, (al. *Egmond*) *Timoth. Halton*, Univers. Oxoniens. Vice-Cancellarius, *Phil. Jacob. Hartman, Paul. Heigel, Rotger. Hemsing, Theod. Hesel, Joh. Heysig*, Prof. Upsal. *Christ. Hendreich*, Elect. Brand. a Consiliis, *Nic. Heinsius*, M. *Joh. Herbinius*, Legato Suec. a concion. aulic. *Phil. de la Hire*, Mathem. Profess. Regius, *Gerh. Himselius*, Med. & Phys. Revaliens. Gymnasiique ibid. Profess. Mathem. Extraord. *Benj. Horn, Christian. Hugenius, Israel Jasky, Joh. Abrah. Ihle*, Astronomus Lipsiens. *Joh. Fell*, Theol. Prof. & Procancell. Oxon. *Joh. Jonstonus*, Doct. Lesnensis, *Joh. Kemmerling, Ludov. Keplerus*, Joh. Fil. Med. Doct. & Practicus Regiomont. *Christ. Kilich. Mich. Kirstnerus*, Med. Doct. Gymnas. Hamb. Prof. *God. Kirchius*, Astron. Lips. *Athanas. Kircherus, Casp. Kirchmeyer*, Prof. Witteb. & Colleg. Natur. Curios. Socius, *Adam. Adamandus Kochanšky*, e Soc. Jes. *Köningk, Cypr. Kunner, Joach. Lamberti, Joh. Bapt. Lantinus*, in suprema Divionensi Curia Senator, *Dan. Laus, Mich. Val. von Langren*, Mathemat. & Geograph. Bruxellens. *Mich. Langius*, Prof. Mathem. Havniens. *Ambros. Langemantel*, Canon. Augustan. *Elias a Leonibus*, hæreditar. in Hohngiersdorff, *Theodorus Lövenstein*, Soc. Jesu, *Godof. Guil. Leibnitzius, Christian. Longemontanus, Jacobus Maglabechius*, Nunc. Sed. Apostol. *Anton. Magliabecchius*, Bibl. Flor. *Casp. March*, Prof. Mathem. & Doct. Med. Rostochiens. M. *Andr. Marquardus*, Witteb. *Christ. Marggravius le Menetiel, Nicolaus Mercator*. Havn. *Ulr. Clem. Michaelis, Theodor. Moretus*, Jesuita Vratisl. *Germinianus Montananus*, Bonon. *Frid. Möllerus*, Medic. D. & Practic. Stetinens. *Marinus Mersennus, Joh. Mochingerus*, Theol. & Prof. Eloqu.

Eloqu. Dant. *Joh. Georg. Mœresius*, Schol. Petr. Paul. Gedanens. Rector, *Philipp. Müllerus*, Greiffenhagius, Proposit. Berolin. *Joh. Müllerus*, Mathem. Prof. Hamb. *Jonas Moor*, Episc. Angl. *Joh. Morian Morstein*, Magn. Thesaur. Reg. Polon. *Hier. Mrocze*, Soc. Jes. *Barthold. Nibusius*, Soc. J. M. *Stanislaus Niewicski*, Prof. Acad. Zamoscensis, *Christ. Nottnagel*, Prof. Mathem. Sup. Witteb. *Petrus de Noyer*, (*Nucerius*) Polon. Reginæ Secretarius, *Adamus Olearius*, Gottorpiens. Bibliothecarius, *Jacob. Oiselius*, *Henric. Oldenburgerus*, Reg. Societ. Lond. Secretar. *Oberbeck*, *Joh. Erich Olhoff*, *Phil. Jacob Oswaldus*, Liber Baro ab *Ochsenstein*, S. Reg. Maj. ut & Imperatoriæ Viduæ Eleonoræ aulæ Mathemat. M. *Christian. Ollery*, *Pastorius ab Hirtenberg*, *Christ. Pfautz*, Prof. Mathes. Lips. *Petr. Petitus*, *Perraltus*, *Dan. Papebrochius*, *Christ. Pelargus*, *Christ. Philippi*, *Joh. Picard*, *Joh. Georg. Pichel*, *Christ. Plas*, *Piet*, *Joh. Pleitner*, *de Plues*, *Joh. Placentinus*, *Joh. Pomerescius*, *Georg. Prætorius*, *Carolus Quintinus*, *Rynetanus*, (vel *von Raynit*) *Christ. Ravius*, Exbibliothecarius palatii Holmiens. & Profess. Upsaliens. *Joh. Gebhard Rabener*, Referendar. Magdeburg. *Joh. Rakolupsky in Racolup*, Eques Hungarus, Phil. Mag. & civitat. Zascolska Senator. Mag. *Julius Reichelt*, Astronom. Argentor. Consiliar. Elect. Brand. *Andr. Reyher*, Rector Gothanus, *Joh. Bapt. Ricciolus*, *Ægid. Persona de Roberval*, *Rolefius*, vero nomine *Lubniecky*, eques Polonus, *Olaus Rudbeckius*, *Rosmeyer*, *Joh. Gerh. Rulandt*, *Sigism. Rakoczi*, Princeps Transylvaniæ & Comes Siculorum, *Andr. Sarnowsky*, *Joh. Andr. Schall*, Præses supremi tribunalis Mathematici in Sina Pekingi, *Michael Strauch*, Math. Prof. *Joh. Ernest. Schmieden*, *Gothofr. Schmidt*, *Jac. Schnitzerus*, *Joh. Slacitius*, *Ægid. Strauch*, *Joh. Stanislaus Stonsky*, *Christ. Schaubruck*, *Godofr. Schultze*, Doct. Uratisl. *Christ. Schultz*, *Claudius Francisc. Milliet de Schales*, e Societ Jesu, cujus opus, inscriptum : *Cursus seu Mundus Mathematicus*, universam Mathesin tribus tomis complectens, hic delineatur, *Stanisl. Solsky*, *Sam. Skit*, *Joseph. Securius*, *Steph. Spleissius*, Schaffhus. Gymnas. Rector, *Barth. Sardi*, *Joh. Adolphus Tussius*, *Joh. Teuerlein*, *Valentin. Thilo*, Eloqu. Profess. Regiomontanus, *Joh. Henr. Thim*, *Joh. Petr. Titius*,

Jacob

Jacobus Usserius, Episc. Arm. *Valerianus Magnus*, Frater Capuc. *Jacobus Valesius*, in Delphinatu Quæstor, *de Vaubrevil, Vincent. Viviani, Fortunatus Vinacese, Voogdius*, Geometra Amstelod. *Christ. Vogel, Nic. Vogel, Joh. Wallisius*, Mathes. Profess. Oxon. *Sethus Wardus*, Prof. Math. Bodlejanus, deinde Episcopus Oxoniensis, *Wasmuth*, Prof. Lingu. Or. Kilon. *Erhardus Weigelius*, Mathem. Prof. Jenens. *Joh. Wiesel, Witzga*, Episcopus Warmiens. *Joh. Phillp. Wurtzelbauer, Bernhard. Zefferin*, e Societ. Jesu in Univers. Viennensi Philos. Profess. & missionis Sinicæ Procurator, M. *Joh. Jacob Zimmermann, Godofred. Zamelius*, Elbing. *Georg. Zobel, Nicol. Zucchius* Jes. &c.

Habes hic, Vir Illustris ac celeberrime, eorum fere omnium (perpaucos namque obscurioris nominis viros prætermisi) quos inter & Hevelium colloquia erudita mixta sunt, catalogum. Quorum vero ad alios quam Hevelium epistolæ non paucæ hic conspiciuntur, nomina consulto omisimus. Quo pertinet e. g. *Francisci Barzini*, Florentini, Professoris Matheseos, Epist. Responsor. ad quæstionem Marchionis Clementis Vitellii de apparit. novi Phænomeni; *Germin. Montanari* alia ad Magliabecchium, hujusque generis plures, quas epistolæ modus enarrari non patitur. Paucula tantummodo ex opere ipso afferam specimina: ut ex his laciniis de integra veste liceat conjecturam facere.

Tomus igitur primus singulare hoc habet, quod præter epistolas ad commercium ipsum pertinentes & Dantisci ab illo in officio jam constituto scriptas, alias etiam, jam ante in itinere ex Gallia, Belgio, Anglia &c. ad Petrum Crugerum maxima ex parte datas, complectatur. Quæ tamen epistolæ reliquis non adjunctæ, sed in fasciculum ab autore fortasse ipso collectæ separatimque in vestibulo sunt positæ; in quibus etsi eruditi nihil, varia tamen vitam Autoris attingentia continentur. Sunt vero ita maculis omnia liturisque plena, ut pauca lectori pateant. Neque enim pure hic ab illo descriptæ, sed ut in chartam primo ille conjecerat, habentur. In tomo ipso contenta epistola Bullialdi ad Hevelium, de *Claramontio*, qui de Caucasi altitudine librum scripsit, hoc fert judicium: *Philosophum esse pulvere peripatetico conspersum totum, & oculorum tenus oppletum, ad lumina cælestia cæcutire.*

Heve-

Hevelius ipse in epistola ad Hartlibium de scriptis *Crügerianis* scribit: *in viduæ manibus versari Astronomiam magnam & parvam, Geometriam, Geographiam, Chronolog. animadversiones in Landsbergium cum calculo omnium Ecclipsium a Landsbergio in Astronomia ejus nimis quam false & insidiose exhibitarum, opus item magnum Astronomicum, quod tamen ultimam autoris manum non receperit: cujus tabulas ad id spectantes, Gedanenses appellatas, omnes se possidere*, ait, *cum reliquis Crügeri, publicatu dignas.* Varia quoque passim in hoc Tomo de scriptis *Tychonianis* ejusque vita sunt inserta. De *Burdelotio* sic Bullialdus: *Burdelotius Medicus Parisiens. qui hactenus in domo Principis Conderi vixerat, ejusque filii Principis Enguienensis præceptor fuerat, a Sueciæ Regina advocatus in aulam illam proficiscitur.* Tomo IV noster de Chr. Hugenii patre, *Filius*, inquit, *est Viri illustris Constantini Hugenii, qui Principibus Auriacis ab intimis expeditionibus & secretis consiliis fuit, omnium artium amatoris, ita ut ipse sculpturam calleat, adhuc hodie Hagæ in summo honore in palatio egregiæ architecturæ a se fabricatæ versatur.* Locum hic quoque ob suam elegantiam meretur epigramma illud Titii in Hevelii laudem compositum:

Quicquid Albasenius, quicquid Galilæus & illi
Sideribus noti tot tenuere Viri,
Hevelius tenet unus, & hos quod fugerat omnes
Hic videt, in superos gnarior ire domos.
Ille novos Lunæ, populis mirantibus, orbes
Pandit & æthereis dat sua jura plagis.
Subjiciant terras alii victricibus armis,
Ingenio cœlum subdere majus erit.

Tomo XIV epistolam continet *Schefferianam*, hæc inter alia proferentem: *Succinum picis fossilis esse genus censeo, cujus venæ lateant in fundo maris. Idem a natura sua constipari credo, motuque maris ejici in littus. Hactenus est creditum, non nasci nisi circa Borussiam, sed & hic in Suecia reperiri verissimum est, ad insulæ Biorkov nominatæ littora in lacu quodam, cujus aqua dulcis est. Ut pereat eorum sententia, qui a salsugine maris censuerunt condensari.* Paulo post hæc habet: *Quædam*

animalia hic albescere hyberno tempore, ejus recipere priorem colorem verissimum. Vidi ipse habuique lepores, circa hiemis vernique initium dimidia parte albos dimidia sui coloris, media hieme non vidi nisi albos.

Sed modus tandem ponendus est Epistolæ; Tu vero hoc quidquid est recensionis indiciique de opere Heveliano, benevolis, ut soles, manibus complectere: omniaque in posterum etiam officia a me exspecta. De Clar. Delisle Collega meo plurimum æstumando, hoc amplius Tibi habeo polliceri, quascunque forte ex commercio hoc litterario epistolos, aut si quæ alia desideres, lubentissime promtissimeque se tecum communicaturum. Vale. Dat. Petropoli 20 Decemb. 1726.

D. CHRISTFRIDI WÆCHTLERI, JCTI, Responsio ad Præfationem a JO. ALBERTI Periculo suo Critico præmissam.

POstquam superiori Mense p. 495 de Viri Cl. Jo. Alberti Periculo Critico egimus, restat, ut nonnulla etiam capita præfationis expendamus. Nam reliqua transmittemus eo libentius, quo plura eorum, quæ circa articulos sat graves monueramus antea in Actis, vellicare non sustinuit in hac præfatione Dn. Autor. Talia tunc occurrebant ad *Matth. XX, 23, Marc. III, 21, & XI, 13, Joh. XVII, 3, Rom. VIII, 7, c. VIII, 15 & c. VIII, 26, Rom. XIX, 10, 1 Cor. II, 9, 1 Cor. XV, 29, Philipp. II, 6, 7, Coloss. III, 15, Hebr. VI, 4 & c. X, 22, Epist. Judæ, v. 7, Apoc. XIV, 13.* Nunc Clemens Alexandrinus *Matth. V, 6* διψῶντες τὴν δικαιοσύνην, exposuit ἕνεκα τῆς δικαιοσύνης, &, διὰ δικαιοσύνην, Lib. 4 Stromat. Respondet Noster, *Clementis nulla est autoritas; quia mystice passim scribit.* Atqui in re Grammatica eo non delabemur. Sed & Demosthenes διὰ posuit pro ἕνεκα, περὶ τοῦ στεφάνου, ἐπεὶ διά γε ὑμᾶς αὐτοὺς, πάλαι ἂν ἀπολώλατε. Clemens autem de profanis, quos scriptores tamen omnino legerat, hic parum fuit sollicitus. Loquitur enim exemplo Pauli, ἡμεῖς μωροὶ διὰ Χριστὸν· καὶ (διὰ Χριστὸν) πεινῶμεν καὶ διψῶμεν, *1 Cor. IV, 10, 11*, adeoque etiam διὰ τὴν δικαιοσύνην τοῦ Χριστοῦ. Et Matthæus casum quar-

tum

tum retinuit, τὴν δικαιοσύνην, quomodo post eum Suidas, & ante utrumque LXX, ἐδίψησέ σε ἡ ψυχή μου, *sitivit te anima mea.* Hi vero iterum, quomodo in fontibus repererant. Adde *Ps. LXII, 2 & XLII, 3.* ἐδίψησεν ἡ ψυχή μου τὸν Θεὸν, i. e. πρὸς τὸν Θεόν. Ubi Phavorinus præterea ex alio autore, quem non nominat, subjecit, διψῶ τοὺς λόγους, f. 520, Ed. Basil. & 216 Venet. 1712. Sed & supplendum esse hiatum Suidæ animadvertit Gatakerus, *de stylo N. T. c. 20*, quem nondum sanavit, ac forte nec vidit apud Gatakerum Küsterus, f. 611 Tom. I. Nam eruendus ibi est scriptor ille, cujus verba de amore Dei præclara citantur. Ad *Marc. VI, 5*, non quærebatur, an δύνασθαι apud Scholiasten Homeri, qui MSC. extat in Academia Lipsiensi, sit idem ac *velle?* Itaque nec testimonium illius potuit a nobis vocari in dubium. Distinguit hæc duo pluribus Philosophus apud Suidam f. 632 Tom. I. *Act. I, 18.* mirum est, neminem Criticorum, qui omnia tentant, quæ bono sensui non repugnant, incidisse in πνιγεὶς a πνίγω, & nollent ideo audaciæ accusari; nam ipsimet non aliter conjecturas suas credunt esse commodas, quam si codicum autoritate firmarentur. Ac vidimus, Nostrum eodem modo tales hic ambabus ulnis amplecti. Recte autem dicitur πρηνὴς γενόμενος, sicut recte dicitur de Joanne baptista, ἐγένετο ἄνθρωπος ἀπεσταλμένος παρὰ Θεοῦ, *erat homo missus a Deo, Joh. I, 6.* τοῦ δὲ Ἰησοῦ γενομένου ἐν Βηθανίᾳ, *Matth. XXVI, 6,* καὶ ἐν τῇ οἰκίᾳ γενόμενος, *Marc. IX, 33.* Herodianus de Maximino, ἐν ἀκμῇ τῆς ἡλικίας γενόμενος, *cum esset in flore ætatis, Lib. VI, 8, 2, Rom. VIII, 20,* ἡ κτίσις ὑπετάγη ἐπ' ἐλπίδι. Non respicit Noster, hæc ita connecti; quod nobis sufficit: nudum autem sonum phraseos in se, facile Theognidi permittimus. *Rom. VIII, 37,* ὑπερνικῶμεν, ait idem, se non negasse, in ὑπὲρ esse emphasin, sed hoc tantum, in hac voce *hoc loco* eam quærendam, quam illi tribuit Cyprianus, Beza, & eruditissimi Belgæ, meer dan overwinnaers. Atque hoc ipsum diximus putidum. Nam & Schlichting. ad *Philipp. II, 9,* f. 203 dixit, quia sufficiens vocabulum requiri non potuit, ὑπερύψωσε, *superexaltavit*, repertum fuisse. Priczeus ad *Luc. VI, 38,* ὑπὲρ illud ibi, & 2 *Cor. VII, 4,* & *Rom. VIII, 37, intense modum rei & mensuram auget.* Jo. Boisius vero adscri-

psit integrum locum Casauboni, & approbavit p.201. *1. Cor. III, 23* & *1 Tim. IV, 8.* credit noster, se satis excusatum, quod non rem, sed solam iterum phrasin, solumque sonum respexerit, *1 Cor. VIII, 10, οἰκοδομηθήσεται, ad edendum de idolothytis, tuo exemplo, ad rem illicitam scilicet, ædificabitur infirmus.* Scandalosam hanc sententiam putabat, & hinc contra rationem omnem, Pauli locum esse corruptum Tanaquillus Faber, h. e. contra analogiam scriptorum sacrorum, qui ædificationem semper in bonam partem & ad gloriam Dei usurpent. Vidit ergo Cl. Clericus, autoritatem scripturæ ex alio textu sacro tuendam, ubi eadem vox simili sensu occurrat, *Malachiæ* inquam, *III, 14, 15.* Ibi peccatores pessimi jactant temere, ædificationem suam atque prospera quæque ipsis evenisse, etiam quum Deo non serviissent. Ex abundanti adjecit locum Plauti, ubi recte dicitur, adolescentem animi impotentis accepta magna pecuniæ summa abusurum esse ad exædificandam suam jam inchoatam ignaviam, i. e. perniciem. Noster autem de re tota, *refutavit sententiam Fabri Cl. Clericus, adducto Comici Trinummo, ubi dicitur,* exædificare ignaviam. Dixi contra, in causa scripturæ textum scripturæ apud Malachiam non debuisse dissimulari, solius Plauti facta mentione. Nego etiam, Plauti locum Fabro satis fuisse ad mutandam sententiam de loco Paulino. Instat: *maluisse omittere Malachiam; quia non satis appositus videbatur.* Eundum vobis igitur est ad judicium Cl. Clerici. Reliqua verba monstrant, *ædificare* etiam alibi in sacris dici de impiis, stylo mundi, de bonis vero sensu prorsus divino. *2 Thessal. I, 3* εὐχαριστεῖν. Nondum deseruit Noster opinionem Phrynichi, nullum τῶν δοκίμων scriptorem usurpasse hoc verbum. Atqui Hœschelius, cujus notas laudat p. 88, ipsius Diodori Siculi locum Lib. 1, c. 91 protulit, εὐχαρίστως διακεῖσθαι πρὸς πᾶν τὸ εὐεργετοῦν. Commendat ibi Ægyptios, quod ὑπὲρ τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους ament gratam mentem, appellatque τὴν ἀμοιβὴν τῆς χάριτος, *retributionem.* Debebat ergo Hœschelius Phrynichi censuram fortius retundere. Idem etiam Diodorus de Celtis, eos τὰ χαριστήρια τοῖς Θεοῖς προσφέρειν, Lib. 4, c. 32. Josephus nomen Judæ fratris Simeonis & Levi, εὐχαριστίαν, *gratiarum actionem*, reddit, Lib. 3, Antiqu. c. 2, §. 5. Sæpius etiam χαριστήρια repetit, Lib. 6, c. 1,

Lib.

Lib. 9, c. 10. Lib. 2, contra Appion. §. 5. Ἐυχαριστοῦμαι, ex Areopago affert Budæus apud H. Stephanum, Thomam Magistrum omitto; ejus enim strictura ex Phrynicho sumpta est. Glossæ, & Grammatici sæpe ad libros etiam sacros, frequentissime tamen ad Gentiles provocant, & præclara fragmenta Veterum, hodie alibi non extantium, conservant. Suidam voluisse Ἐυχαριστίας etymon loco congruo operis sui inserere, nequit dici. Extat autem ea vox in dialogo, de quo ante, f. 105, & fabulam adeo, Suidæ intrusam, ipsa prodit. Confessionem tamen fronti appositam ceu genuinam admittimus; hanc enim repetit Suidas circa finem operis, f. 687, Tomi III. *Χριστὸς, Christus, Dominus, & Deus noster.* Hæc fuit illius confessio, pro modo tenebrarum sui seculi. *Hebr. XI, 37.* fatetur Dn. Alberti, se neque in Cyrillo Hierosolymitano invenisse, quod illi tribuit Millius, ἐπρήσθησαν, neque Gatakerum consuluisse, qui sibi soli hoc inventum lectionis vindicat. Conjecturam Nostro propriam ideo non allegavi, quia sibi non constat, sed fluctuat. Receptam lectionem omnium Codicum consensu roborari, credimus tantisper Bezæ & Millio. Si itaque omnes conjecturæ, quibus Codices non favent, audaces sunt, quid fiet hic tuæ, Dn. Alberti, & tot aliorum conjecturis? Ἐπρήσθησαν Gatakeri a peritissimis Viris admissum nondum est, neque etiam ἐπυρώθησαν Bezæ: imo Millius plane omisit, & Cl. Clericus nihil definit. *1 Joh. II, 22.* Primam annotationem cum strictura Erasmi Schmidii, quam volebam vindicare, nunc præterit Noster. Alteram de non-ente, aliquo antichristo, mallet adhuc defendere, saltem Grammatice. At vero p. 471 simpliciter dixerat, ἀντίχριστος exponitur, qui est ἐναντίος, deinde etiam, qui talis non est, sed se plane gerit pro Christo & vice illius. Hunc vocat vicarium & instar. Quæro, *cui usui sit ista crisis?* etiam grammatica tantum, coram facie gementis Ecclesiæ? *nulla enim hic apparet necessitas.* Ecce verba p. 13. Scimus ἀντίλυτρον, ἀντίτυπον, & plura, ubi τὸ ἀντὶ notat ἴσον, in ἀντίχριστος autem nunquam τὸ ἴσον. Hesychius, Ἄντυξ, ἅρματος περιφέρεια. Ἄντυπος, ἴσος, ὅμοιος, ἢ ἐναντίος. Hunc ordinem retinuit etiam Phavorinus, f. 212. *Ed. Basil.* sed ut multa interjiceret. Ex iis autem hæc exhibet tantum editio recentior Veneta f. 93. Ἄντυξ, λέξις λέγεται — ἢ πύ-

χεως. Scribe, πήχεως. Reliqua omittuntur omnia, καθ' ὃ σημαινόμενον ἄντυχα χορδῶν Εὐριπίδης φησὶν ἐν Ἱππολύτῳ. Quo pertinet *v. 1189, & verba Scholiastæ.* Deinde sequuntur verba Homeri *Iliad. ζ. v. 117, 118,* quæque ibi prolixe repetuntur, etiam Eustathii, usque ad ista, ἡ δίκη Θεȣ̃. Et jam demum pergit Phavorinus f.213. *Ed.Basil.* Ἄντυπος, ἴσος. Si Editor Venetus ipsa adeo sphalmata prioris editionis diligentissime castigavit, vix potuit lacunam hanc prætervidisse. Vidissetque eam haud dubie etiam Dn. Alberti, & annotasset p.62, si erat ad manus.

IL QUADRIREGIO, O POEMA DE QUATTRO Regni, di Mon Sgre Federico Frezzi, Vescovo di Foligno; pubblicato dagli Accademici Rinuigoriti, &c.

hoc est,

FRIEDERICI FREZZI, EPISCOPI FULGInatis Poema morale de quatuor regnis, cura Academicorum Fulginatium, qui Rinuigoriti dicuntur, iterum vulgatum.

Tomi II.

Fulginii, typis Pompeji Campanæ, 1725, 4.

Alph. 4 pl. 10.

QUi habere sua fata libellos primus dixit, non temere profecto, sed ex re atque experientia quotidianis fere exemplis comprobata pronuntiavit. Videas enim licet libros, dum recens exeunt, insigni cum plausu acceptos, præterlapso temporis aliquo spatio contemni, negligi, & ad tinearum blattarumque pabula relegari; alios vero, parum a coævis antea æstimatos, a posteris demum ex situ & squalore protractos mirifice extolli atque a multis cupidissime versari. Idem expertum est fatum quod manibus tenemus *Friederici Frezzi* poema morale, *de quatuor regnis* inscriptum. Vix illud sub artis typographicæ auspicia typis excusum prodierat, cum, intercedente triginta annorum intervallo quinquies, manifesto certe plausus, quo dignum istius ævi hominibus judicabatur, indicio recuderetur. At vero, duobus illis, quæ post venerunt, seculis, & quod excurrit, oblivione sepultum quasi, & ab hominum eruditissimorum, etiam in ipsa Italia, notitia remotum delituit, ut *Ludovicus Jacobillus* in *Catalogo Scriptorum Umbriæ* p. 102, ubi, ex titulo saltim, judi-

judicans, commentarium hoc poema esse in biblicos *quatuor Regum* libros scripsit, insigni hoc soloecismo literario sibi nec visum unquam librum istum, ne dum inspectum satis indicaret. Debere igitur hoc patriæ suæ, debere orbi literato existimantes *Academici Fulginates*, qui *Rinuigoriti* appellari voluerunt, animum ad recudendum suis curis egregium hocce literarum post barbara secula paullatim renascentium atque Poeseos Italicæ monumentum adjecerunt. Duobus autem tomis integrum opus absolvi clarissimis placuit editoribus. Primus, post præmissam ad *Benedictum* XIII, P. M. dedicationem, ipsum *Poema* exhibet, præter sex editiones pridem typis exscriptas, ad quinque Codices MStos accurate collatum, quorum quatuor diversæ lectiones ad marginem, quinti ad calcem tomi rejectæ conspiciuntur. De ipso Poemate id tantum monemus, esse illud moralis argumenti, in quatuor libros distributum; quorum primus, regnum amoris, secundus regnum Satanæ, tertius regnum mundi & vitiorum, quartus deniq; regnum virtutis amœnissimis fictionibus poeticis adhibitis describit: autoremque utile dulci commisturum docere voluisse, quî homo superatis debellatisque omnis generis vitiorum monstris in veram sese libertatem, quæ in virtutis solum possesfione est, asserere debeat: feliciter quoque ipsum adeo instituto suo defunctam esse, ut proximum, præstantissimorum arbitrorum judicio a *Dante*, cujus exemplum ante oculos habuit potissimum, locum inter Italos Poetas promeruerit. Secundus tomus Syllogen opusculorum comprehendit, a variis autoribus concinnatorum, quibus via ad expeditiorem poematis intellectum sternitur. Primo loco occurrunt *Angeli Guilielmi Artegiani*, Regentis Augustiniani & Academici Rinuigoriti *annotationes* ad aliqua poematis loca illustranda compositæ. Sedulo hic annotantur ex Poetis tam antiquis Latinis, quam Italis recentioribus, quos imitatus est ille, loca parallela; varia ex Mythologia veteri explicantur uberius, rationibus quoque interdum philosophicis vel confirmantur, vel explanantur etiam obscurius posita. Sequuntur *observationes historicæ Justiniani Pagliarini*, itidem Academici Fulginatis, quibus indigere hoc Poema illarum autori visum est; quod plurima ibi omnis ævi eruditorum hominum, ab ingenio illustrium, illorum maxime, qui poetæ nostro σύγχρονοι seculi XV sub initium vixerunt, fiat mentio. De his itaque variæ observationes in medium proferuntur, atque ex eorundem vitis illæ potissimum enarrantur circumstantiæ, quarum respectu vel laudandos vel culpandos sibi esse illos Frezzos existimavit. Urbium etiam Italiæ præcipuarum, quarum meminit haud raro Poeta, descriptio luculentior passim exhibetur, earundemque origines ex remotissima antiquitate repetuntur; quod præcipue p. 140--147 de patria utrique communi Fulginio prolixe factum est. Tertium opusculum, *explicationes vocum quarundam minus vulgarium* inscriptum & ab Autore *Joanne Baptista Boccolini* ejusdem Academiæ sodali Alphabetico ordine dispositum, mere criticum est, ac dictiones haud paucas Poetæ usurpatas ad orthographiæ, analogiæ, etymologiæ leges & variarum dialectorum consuetudines, usum itidem illius temporis atque hodiernum inter se collatum, nec minus præstantissimorum autorum exempla examinat, ac *Du Cangii* sæpius *Glossarium* & *Menagii origines linguæ Italicæ* corrigit atque confutat. Quarto denique loco *Petri Canneti* Abbatis de Congregatione Camaldulensi *dissertatio* com-

comparet *Apologetica*, separatim etiam excusa, Poema hoc vero suo autori vindicans. Varia illa continentur momenta cognitu jucunda: quare præcipua inde excerpemus. §. III de sex *Quattriregii* editionibus, quæ [illegible] forma omnes maxima excusæ recentissimam hanc antecesserunt, & raro admodum hodie conspiciuntur, disputat. Et mirum hic videtur autori, non tantum *Mich. Maittairio*, quod *annales* ipsius testantur *typographici*, ne unam quidem illarum cognitam aut inspectam unquam fuisse, homini scilicet extero; sed & ipsos Italos, qui historiæ typographicæ condendæ operam commodarunt, *Orlandum* præcipue, ne verbo quidem innuisse uspiam, quod aliquam ex illis usurparint oculis. Tanto majores hinc gratiæ referendæ sunt ab eruditis doctissimo Cannetto, rerum harum curiosis, quod defectum hunc supplere ipsi placuerit. Prima *Perugiæ* A. 1481 characteribus, quos Gothicos appellant, exscripta ex officina *Stefani Arns*, Germani, prodiit; cujus exemplum *Bibliotheca* olim *Bigotiana* teste Catalogo p. 48 asservavit. Observat simul, jam & *Perugiam* illis Italiæ civitatibus accensendam esse, quæ primis fere ab artis typographicæ inventæ annis libros a suis civibus excusos ostentant, & typographum illum, in annalibus typographicis nunquam adhuc memoratum, itidem inferendum esse; nisi forte idem ille sit cum *Stefano Arndes*, quem *Lubecæ* 1493 fol. *Biblia cum glossis Lyrani atque aliorum* vulgasse *Maittairii* testimonio constat. Secunda editio *Bononiæ* 1494 per *Magistrum Franciscum de Ragazonibus*; tertia *Venetiis* 1501 per *Magistrum Petrum de Pavia* typis editæ prodierunt. Secutæ sunt duæ aliæ, quarta sine loci mentione 1508 per *Petrum Pancinum de Pescia*, quinta *Florentiæ*, typographi nomine atque anno non designatis. Sexta denique *Venetiis* 1511 in lucem exiit; cujus cura, pariter non adscriptum legitur. Recensitis ita editionibus impressis, ad quorum exempla præsens confecta est, §. VIII--XII de MStis etiam Codicibus Cl. *Cannetus* verba facit; notitiam posthæc aliquam ipsius autoris, quantum quidem habere potuit, brevissimis tradit. Fuisse scilicet illum ex ordine Prædicatorum, Theologiæ Magistrum & Provinciæ Romanæ Provincialem, Episcopum postea A. 1403, a Bonifacio IX, P. M. Fulginii constitutum, Ecclesiæ patriæ commodis per tredecim fere annos optime prospexisse, Concilio porro Pisano A 1409 Constantiensi itidem 1415, quo adhuc durante Constantiæ diem supremum obierit, interfuisse. Neque mirum cuipiam videri posse in utroque Frezzum partes suas tam egregie explevisse; si noverit, totum se Conciliorum studio ipsum addixisse, & inter Dominicanos fratres, dum adhuc Fulginii commoraretur, *Academiam* aliquam *Conciliorum* instituisse, quæ hoc fine coaluerit, ut in dirimendis, quæ in Conciliis definiri solent, capitibus tam doctrinæ quam morum atque rituum controversis, ad veterum Conciliorum œcumenicorum, Nationalium atque Provincialium normam invicem se exercerent. Quæ quidem res tanto magis Cannetto memorabilis visa est, quanto minus in antiquiorum temporum monumentis de tali instituto quicquam reperiatur, quod hodie in una quavis fere disciplina usu maxime receptum, insigne plane commodum istius generis societatibus in amplificandis scientiarum terminis inesse quotidiana experientia commonstret. Reliqua dissertationis pars Frezzo Autori hoc Poema operose vindicat, & Italorum quorundam, qui *Nicolao* alicui *de Malpiglis* illud tribuendum esse censuerunt, sententiam prolixe refellit.

)(o)(

ACTORUM ERUDITORUM,

Quæ Lipsiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. IX Sect. IX.

EPISTOLÆ ROMANORUM PONTIFICUM, & quæ ad eos scriptæ sunt, a S. Clemente I usque ad Innocentium III, quotquot reperiri potuerunt &c. Studio & labore Domni PETRI COUSTANT, Presbyt. & Monach. Ordin. S. Benedicti e Congregatione S. Mauri.

Tomus I,

ab Anno Christi LXVII ad A. CCCCXL.

Parisiis, apud L. D. Delatour, A. U. Coustelier &c. 1721, fol. maj. Alph. 10 pl. 2½.

QUi Acta Conciliorum, quæ a Christi Nativitate ad nostra subinde tempora in orbe utroque coacta fuerunt, integris iisdemque Regiis, ut plerumque dicuntur, Collectionibus complexi sunt, iis simul Pontificum Romanorum Epistolas Conciliis miscere, servatoque temporis ordine, suo singulas anno, quo scriptæ fuerunt, exhibere, solenne fuit, quem morem præter Philippum Labbeum & Gabrielem Cossartium, sequutus etiam est, qui novissime Tomos Conciliorum in Gallia vulgavit, Vir Cl. Johannes Harduinus. Primus omnium, qui Pontificum Romanorum Epistolas seorsim collegit, Dionysius fuit, Abbas Romanus, cognomento exiguus, cujus postea exemplum imitati ex recentioribus sunt, labente Seculo XVI, Antonius Cardinalis Carafa, Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, & Antonius de

Aquino, quorum hic labori successit eundemque absolvit, qui prelo fere maturus, morte illius interruptus fuerat. Multa vero cum essent, quæ in hac Editione desiderabant eruditi, post illorum labores Petrus Coustantius, Presbyter & Monachus Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri, opere denuo suscepto, Pontificum Romanorum Epistolas, simul cum iis, quæ ad eos scriptæ fuerunt, a Clemente I ad Innocentium usque III, secundum temporum ordinem dispositas, ad veterum Codicum fidem recognitas, præviisque admonitionibus, Notis & Dissertationibus illustratas, opere quidem præsenti exhibere, constituit. Et sistitur hic primus Epistolarum Tomus, Pontificum nempe illorum, qui ab anno Christi LXVII usque ad XL Seculi quinti in Sede Romana successionis serie se invicem exceperunt. In prolixa illa huic præmissa Præfatione excutienda sibi sumsit Cl. Autor capita varia, tribus potissimum, in quas abit Præfatio, partibus. In prima illarum, qua de Pontificis Romani autoritate differit, Ecclesiæ suæ hypothesi unice indulgens nihil non agit, quo Ecclesiam Romanam a sede ibidem Petrina dignitatem Primatus accepisse, ejusque Episcopum militantis in terra Ecclesiæ caput, atque adeo Petri Vicarium esse, probet, quam etiam sententiam tanto quidem lubentius ei relinquimus, quanto magis in aliorum opiniones scrupulose inquirere, ab instituti nostri ratione alienum hucusque fuit.

Parte Præfationis secunda exponendum suscipit de antiquis Canonum Collectionibus argumentum. Hinc §.1 de antiqua Collectione agit, quæ apud Græcos ante Concilium Chalcedonense & post viguit, ubi, an etiam apud Latinos illa recepta fuerit? quæ & qualis ejus conditio fuerit? postquam descripsit, erroris postulat Cl. Justellum, qui Ecclesiæ Universæ Codicem illum dixit, quem in fronte Bibliothecæ Juris Canonici Veteris vulgavit, adductisque rationibus, si *Canonum Codex, qualis in Ecclesia Græca medio Seculo sexto obtinuit*, ille inscriberetur, titulum hunc aptum congruumque ipsi fore, probare, conatur. §. 2. De antiquis Canonum Codicibus in Occidente adornatis, nominatim de Collectione in pervetusto Exemplari Corbejensi asservata, differit; §. 3 de Codice Canonum ad calcem operum S. Leonis in novissima

Edi-

Editione vulgato; §. 4 de antiqua Collectione literis exarata Longobardicis; §. 5 de ampliori Collectione ex duabus praecedentibus, Longobardica & Quesnelliana, praesertim conflata; §. 6 de Collectione Dionysii Exigui; §. Item 6, ut legitur numerus, qui errore typographi bis fuit retentus, de vulgato Codice Canonum Ecclesiae Africanae; §. 7 de Collectione Cresconiana; §. 8 de Collectione, quam Hadrianus I Papa Carolo M. tradidit; §. 9 de antiqua Conciliorum & Pontificiarum Epistolarum Collectione apud Hispanos recepta; §. 10 de Collectione Isidori Mercatoris; §. 11 de peculiaribus, quas Thessalonicensis, Arelatensis, Romana, Ecclesiae in suos usus servabant, aliisque id genus pluribus Canonum & Epistolarum Collectionibus. Sequitur Pars tertia, de Pontificiarum Epistolarum Editionibus, quae sui potissimum instituti rationem, & quid in hac nova Editione praestitum fuerit, abunde exponit Autor Cl.

Jam cum ad ipsum opus progredimur, praevia de proximis B. Petri, Apostoli, successoribus, Dissertatione, brevibusque in Linum & Cletum animadversionibus, Pontificum Romanorum Epistolae, genuinae illae & sincerae, cum iis, quae ad eos scriptae fuerunt, juxta annorum seriem in eo leguntur, a S. Clemente, cujus binae ad Corinthios Epistolae in fronte illius comparent, usque ad Xystum, nominis hujus III, qui a trigesimo secundo ad quadragesimum Seculi V annum sedem Romanam gubernavit. Non vacat hic referre, quot & quales Epistolae ab unoquoque illorum Pontificum, qui per quatuor Seculorum haec intervalla ipsi praefuerunt, scriptae fuerint; tantum id nobis relictum est, ut, quem potissimum conficiendae novae huic Editioni laborem impenderit, quibusque subsidiis instructus ad eam accesserit Vir doctus, edisseramus. Scilicet primam officii sui partem existimavit, revolvere scrinia Bibliothecarum, monumenta hinc & inde diffusa scrutari, & quicquid e re sua fore credidit, sive jam editum, sive ineditum, studiose describere. Hinc praeter exaratos manu Codices, copiosam suppellectilem ipsi praebuerunt libri typis excusi, imprimis illorum, qui post emissam in vulgus Cardinalis Carafae & Antonii de Aquino Editionem Romanam, revocandis in lucem veterum scriptis operam dederant. Ita usui ejus inservierunt Baronii An-

nales, Sirmondi opera, Tomi Conciliorum, Ecclesiarum Historiæ cum Spicilegiis, Analectis, Miscellaneis, Collectionibus aliis. Cum jam indigesta eorum, quæ ad rem faciebant, moles extaret, & suo quæque ordine selecta essent, nihil prius, nihilque antiquius fuit Autori Cl. quam ut de repurgando a nævis & erroribus textu eodemque, quantum fieri posset, antiquo nitori restituendo laboraret. Huc faciebant Codices MS. quorum bene multos ad manus habuit, quibusque usus est adeo prudenti consilio, ut, quæ una maximique momenti Criticorum lex est, suo eos momento plus ponderaverit, quam numeraverit, plus qualitati, quam numero tribuerit; hinc si qua Collectionum interdum pugna fuit, eas imprimis sequutus est, quæ ad Pontificum, quorum Epistolas continebant, ætatem propius accedebant; si quando textus manifestis erroribus scatuit & defuit MSS. autoritas, eum emendavit ex conjecturis, quæ si ratione niterentur tantum probabili, satis duxit Vir doctus, ad oram libri rejectas relinquere lectoris judicio; si evidenti & solida, textui etiam eas inserere, religioni haud sibi duxit, apposita iterum ad marginem nota, quæ emendationis lectorem commonefaceret.

Hæc quamvis egregiam omnino laboris partem faciant, non tamen faciunt omnem. Erant nempe in Pontificum Epistolis obscura multa, multa abstrusa, hinc difficilia intellectu, multæ ambages cæteraque id genus, quæ aut moram lectori, aut fastidium afferre poterant. Quare ne a lectione deterreretur, præter admonitiones Epistolarum fronti præfixas, notas & animadversiones Noster subjecit, quæ rebus aut dubiis confirmandis, aut illustrandis obscurioribus inservirent. Primum namque in iis Epistolæ cujusvis, quam exhibet, fidem & γνησιότητα, cum in falsi suspicionem venit, adstruxit, ad quorum deinde Codicum fidem recognita, quo præcipue tempore scripta fuerit, indicavit, variantes præterea lectiones e libris tum manu scriptis, tum excusis, collectas adjecit, & quare illarum alteram præstantiorem altera habuerit, abunde exposuit. Animadvertas etiam in iis animadversionibus illustrata varia antiquitatis Ecclesiasticæ capita, obscuriora nempe fidei dogmata, hæreticorum ævi illius errores, disciplinæ obsoletos & a nostris hodie diversos ritus, in quibus omnibus aliis-

aliisque compluribus explicandis dum suam desiderari passus non est Cl. Autor industriam, fieri non potuit, quin aliquanto longius interdum animadversiones productæ fuerint, quod tamen non prorsus ingratum erit rerum illarum studiosis, cum primis iis, quibus datum non est, ipsa adire Patrum, Conciliorum & Hist. Ecclesiasticæ Scriptorum adeo vasta volumina, aut lectione eorum defatigari. Porro, ut eo facilius de Epistolarum ordine constet, juvat nosse, quo die & anno unusquisque Pontificum initium sedendi, quo vivendi finem fecerit. Atque hoc intelligitur ex disquisitione peculiari, statim in limine singulis Pontificibus præmissa, brevi quidem, sed quæ illustrando huic argumento sufficere potest. Hanc disquisitionem sequuntur sinceræ Pontificis Epistolæ, cum iis quas accepit ab aliis, in quarum utrisque disponendis temporis & annorum ordo servatus. Quæ ad nullum aut ordinem, aut annum revocari poterant, uti revera erant, eas ad calcem aliarum rejecit, præfixo ad paginæ oram, *incerti temporis*, lemmate, quibus e vestigio successit Epistolarum, quæ non extant, notitia, quarum fragmenta, ordo, ætas & argumenta, quoad ejus fieri potuit, sedulo annotata leguntur; notitiam hanc decretorum censura excipit, quæ Pontificis, cujus Epistolæ proxime præcedunt, nomine circumferuntur.

Quam temere olim impositum fuerit orbi christiano Epistolis, quas vel styli quædam similitudo, vel hominum ignorantia, vel fraus impostorum Pontificibus affinxit, nemo, vel tacentibus nobis, ignorat. Prudentis hinc erat scriptoris, spurias separare a genuinis; ita servatum Editori Cl. qui subdititias ad Tomi hujus calcem ablegavit, indignas certe, quæ pari cum genuinis ordine incederent, notam inussit singulis, censuræ rationem dedit, & quo consilio, quo tempore mentitus illas impostor fuerit, solicite indagavit. Silentio etiam prætereundum nobis non est, tritum illum longoque usu receptum Epistolarum quarumque numerum in hac nova Editione nec servatum fuisse, nec servari potuisse; etenim cum alio, quam temporis ratio exigebat, ordine hactenus digestæ legerentur, & præterea recens inventis proprius suus inter alias vindicandus esset locus, non potuerunt non alio illæ in hoc opere ordine comparere & numero, quam qui receptus antea

probatusque fuerat vulgatarum Editionum Autoribus. Tandem qua Epiſtolarum interpretationes, tam Græcas, quam Latinas, monendum adhuc eſt, Romanos Pontifices ſuas non alio, quam Latino ſermone exaraſſe Epiſtolas, iisque Latinis ad Græcam Ecclesiam Græcam addidiſſe interpretationem; viciſſim vero apud Græcos mos ſatis frequens obtinuit, ut quas ad Pontifices Epiſtolas darent, eas Græcas darent & in Latinum translatas. Epiſtolarum Græcarum nihil tota, quanta eſt, Editio Romana continet, tantum Chriſtophorſoni, aut veteris cujusdam interpretis verſionem Latinam; hic vero ex fontibus ipſis datur hauriendi occaſio; revocata nempe fuere, quoties fieri potuit, exemplaria avthentica, & ſuæ quibusque adjectæ interpretationes, Græcæ & Latinæ, ea tamen lege, ut, ſi qui errores in illis occurrerent, ii aut in animadverſionibus indicati fuerint, aut plane emſi expunctique lectionibus ad avthenticon caſtigatis ceſſerint. Acceſſerunt duo, rerum & verborum alter, alter locorum Scripturæ, Indices, præmiſſus eſt eorum, quæ hoc Tomo continentur, ſyllabus. Atque in his verſatur præclarus ille labor Editoris Prænobiliſſimi, cui nec vires, tanto ferendo oneri pares, defuerunt, nec auxilia Illuſtrium Excellentiumque Virorum, ad quorum Bibliothecas facilis ipſi acceſſus patuit, quorumque præſidio Codicum optimæ notæ, maximam partem Colbertinorum, Regiorum, & Vaticanorum facta ipſi fuit copia. Qua vero grata animi ſignificatione illorum ſibi bene volendi ſtudium agnoſcit Autor Cl. ea certe modeſtia de ſuo ipſius labore, quem eruditis probatum iri, dubium non eſt, ſentit, ea etiam æquitate, quæ ex aliorum ſcriptis aut ſolerter inventa, aut accurate disputata in ſuos uſus tranſtulit, ſua cuique tribuit, alienus ab inficeto illorum more, qui aliorum operas alto ſupercilio deſpicientes, nonniſi quæ ſua ſunt, arroganter & magnifice prædicant.

M. HARTWICI BAMBAMII, ECCLESIAST. Petro-Paulini, Apparatus Enthymematico-Exegeticus, Obſervationes ſacras exquiſitiores comprehendens.

Hambur-

Hamburgi, apud Jo. Wolffg. Fickweiler & C.W. Brandt, 8. Alph. 2 pl. 18.

Operæ pretium se facturum esse existimavit Pl. Rev. Autor, si præcipua, quæ ad intelligendum sacrum Codicem faciunt, & in celebrium Evangelici cœtus doctorum & interpretum scriptis extant, in peculiarem librum ex enthymematibus & observationibus constantem cogeret, cum iisque, qui studium in arte exegetica ponunt, communicaret. Etsi autem in hac *priori* operis parte ejus institutum sit, enthymemata, cum generalia, tum specialia, quæ ad librorum linguæque V. T. naturam pernoscendam faciunt, sistere, in sectionis tamen *primæ C. I* utriusque Testamenti librorum scopum, qui sit Christus, sensum, rationem & adminicula interpretandi declarat, & *C. II* quædam ex Grammatica, Logica, Topica & Rhetorica affert, atque varia sacri Codicis loca illustrans, docet, & *Marc. III, 21*, τὸ ἐξέστη subjectum esse populum, & ערבים *Exod. XII, 6*, ideo mediam vesperam notare, quoniam dualis forma sæpius medium significet. Sectio *secunda* enthymemata Mosaica comprehendit, in quibus primum Mosen Pentateuchi Autorem, omnium scriptorum primum & quidem θεόπνευστον, nec hominem simplicem fuisse, sed sapientem, & prodigia fecisse, imo esse Prophetarum oceanum, ex quo & res & argumenta & loquendi modos alii petierint, demonstrat; tum ex Mosis libris & gentiles multa deprompsisse, & pios tempore N. T. viventes multum utilitatis capere, & dogmatum veræ religionis systema confici posse adstruit; post ex iisdem constare docet, eandem esse religionem Mosaicam, quæ nunc est Christiana, & summum Numen verum sui cultum, ubi imminutus fuerit & dilapsus, novis patefaciendis modis, imprimis Urim & Tummim, quod sit lex divina, restaurasse; deinde secundum eosdem libros de nominibus divinis, de Deo uno, de S.S. Trinitate, de Messia, de creatione, de lege, de Evangelio, aliisque fidei articulis differit; & ad extremum in exponendo dicendi genere, quo Moses usus est, versatur. Hinc sectione *tertia* ad libros utriusque fœderis Historicos transit, & varia de genealogiis, de nominibus personarum, de ratione describendi res gestas, de loquendi modis, quibus Historici usi sint, de factis sanctorum, de revelationibus divinis, de

de comminationibus & promiſſionibus, de religione, de providentia Dei, de miraculis, de pœnis, de impiorum ſceleribus & conatibus, de piis eorumque vitæ actionibus, dolorum perpeſſionibus & precibus, de Eccleſia ejusque doctoribus, de magiſtratu, de morte, de reſurrectione mortuorum, & quibusdam ritibus ut & formulis, eos exprimentibus, profert. In ſectione *quarta* ad Jobi librum pergit, & pro obſervationibus ad eum intelligendum facientibus, ſpecimen Theologiæ Jobicæ, B. Hinckelmanni veſtigia legens, exhibet, atque dogmata fidei de Theologia & religione, *C. I*, de Deo & operibus divinis, de creatione, de Angelis, de homine primo, & de providentia, *C. II*, de imagine Dei, de peccato, & de libero arbitrio, *C. III*, de Chriſto & redemptione, *C. IV*, de gratia Spiritus S. applicatrice & quidem vocatione, illuminatione, regeneratione, converſione, juſtificatione & ſanctificatione, *C. V*, denique de lege & Evangelio, de cruce, de Eccleſia, & de noviſſimis, *C. VI*, ex ejus oraculis confirmat. Tum ad Pſalmos ſe convertit, & obſervanda in eorum lectione ſectione *quinta* producens, autores illorum ſecundarios, diſtributionem, ordinem, poeſin, titulos, nexum, argumenta, tempus, quo compoſiti, lectorum animos, ſcriptorum affectus, dicendi genus, loca de Deo & Meſſia, verba translata, figuras & loquendi modos conſiderat, atque imprimis execrationes carnis & illegitimas ab iis, quæ ſunt Spiritus S. itemque delectationem exitii impiorum carnalem, a ſpirituali diſtinguit, & juſtitiam Dei valere ejus gratiam & miſericordiam, annotat. Suppeditaturus ſectione *ſexta* χειραγωγίαν emphaticam ex ſolis Pſalmorum libris docet, emphaſes eruit Art. I ſecundum artem Grammaticam ex vocum formali ſignificatione, derivatione, formatione, ſcriptione, genere, numero, caſibus, modis, temporibus, copulatione, paragoge, pleonaſmo, enallage, & hypallage; Art. II ſecundum Criticam ex antiquis Hebræorum ritibus, antiquitate profana, proverbiis & ſolennibus veterum formulis, item ope concordantiarum, accentuum, antiquarum verſionum atque uſus vocabulorum apud Rabbinos & Talmudiſtas; Art. III ſecundum Rhetoricam ex affectibus tropis & figuris; & Art. IV ſecundum Logicam ex enunciationum partibus & affectionibus. In ſectione *ſeptima* ea tradit, quæ interpretantem Proverbia, Eccleſiaſten

ſiaſten & Canticum canticorum Salomonis juvare poſſunt, & oſtendit Pſalterium Salomonis Græcum eſſe ſuppoſititium, in Proverbiis Meſſiam peculiariter dici ſapientiam, & conditionem piorum atque impiorum perpetuo ferme ſibi opponi; Salomonem ideo Eccleſiaſten ſcripſiſſe, ut conjunctionem cum Deo ſummum eſſe hominis bonum demonſtraret, eundemque ob nonnulla ejus loca non dextre intellecta in numerum ſcepticorum male referri; in Cantico canticorum autem nomen JEHOVAH vel ELOHIM ideo non extare, quia Salomonis inſtitutum fuerit, ſuaviſſimam inter Filium Dei & cœtum fidelium conjunctionem verbis translatis, figuris & ſimilitudinibus imprimis deſponſatorum deſcribere, tametſi negari nequeat, JAH, quod idem ſit ac JEHOVAH, c. VIII, 6 legi. Veniens ſectione *octava* ad Enthymemata Prophetica, primum Prophetarum nomina, diviſiones, revelationes, quæ iisdem variis modis & certo tempore obtigerunt, & etiam interdum terribiles obſcuræque fuerunt, vaticinia ratione & argumentorum & complimentorum ſeu eventuum, geſtus & facta exponit, tum eorum tranſitum ab uno argumento ad alterum, formulasque loquendi varias affert, deinde quomodo iidem de Deo, de Meſſia, de beneficiis divinis, de Eccleſia & de calamitatibus agant, declarat, quibus poſtremo pauca de Jeſaiæ, Jeremiæ & Malachiæ ſcriptis ſubjicit. Cum hæ obſervationes ſint variæ & multiplices, nec ordine debito ſemper diſpoſitæ, & præterea multa trita & communia contineant, eæ unicuique merito ad perlegendum relinquuntur, ut ex iis, quæ ſibi ſint uſui, petere poſſit.

DE ERRORE IN ÆSTIMANDO MOTU compoſito Schediaſma G. F. R.

I. QUod corpus, duabus viribus & directionibus impulſum, deſcribere diagonalem parallelogrammi eodem tempore debeat, quo latus aliquod deſcripſiſſet, ſi alterutra vi & directione ſola fuiſſet impulſum,* effatum eſt Mathematicorum, Mechanicorum, Phyſicorumque recentiorum, quo vix aliud reperies propter ampliſſimum uſum nobilius. De cetero novi adhuc

neminem, qui illud justæ alicui dubitationi obnoxium, ideoque restringendum ac limitandum, censuisset; quod hoc loco paucis efficere conabor.




Fig. 1. *II.* In corpus quiescens *a* incurrant duo corpora alia, *A* & *B*, directionibus & celeritatibus ejusmodi, ut, quo tempore corpus *a* ex *a* ad *F* perveniret, si a solo corpore *B* impelleretur, eodem, a solo corpore *A* impulsum, ex *a* ad *D* promoveretur, quæro, quæ futura sit celeritas & directio corporis *a*, post duplicem illum motum simul impressum? Fallor, aut sine hæsitatione respondebunt plerique omnes, celeritatem illam & directionem quæsitam corporis *a* exponi a recta *aN*, quæ est diagonalis completi parallelogrammi *aDNF*. Sed hoc in universum & sine conditione hauequaquam verum esse, facile demonstrare licet. Nam positis, e. c. $A = B$, & $aF = aD$, anguloque FaD infinite parvo, ita ut aN sit $= aD + aF = 2\,aF$, sequeretur ex doctrina memorata, corpus a duobus corporibus æqualibus & conjunctis altero tanto celerius propelli debere, quam ab alterutro, pari celeritate & directione separatim incurrente; quod legibus motus omnino repugnat, juxta quas celeritas corporis impulsi duplicatur, si corporis impellentis celeritas, non vero si massa ejusdem duplicatur. Sed ordine res explicanda est. Quare lemmatis loco præmitto propositionem sequentem.

Fig. 2 & 3. *III.* In corporibus non elasticis, vel quæ saltim ut non elastica

con

considerantur, (quod hoc loco, simplicitatis causa, secure facere possumus,) si corpus aliquod A in aliud quiescens a, celeritate Aa incurrat, facto $aC. AC :: A. a$, hoc est, reperto communi centro gravitatis amborum corporum, C, exponet Ca celeritatem, corpori a ab incursu corporis A acquisitam. Si vero idem corpus A, eadem celeritate Aa, incurrat in corpus a non quiescens, sed vel minori quadam celeritate, v. g. aD (fig. 2) in eadem linea recta præcedens, vel data quavis celeritate aD (fig. 3) directe sibi occurrens, facta $D(A) = Aa$, ut D sit punctum concursus, ad quod eodem tempore corpora A & a, celeritatibus commemoratis, ex (A) & a pervenire possint, factoque $a(C).(A)(C) :: A. a$, hoc est, reperto communi centro gravitatis (C) amborum corporum a & A, in punctis a & (A) constitutorum, exponet $a(C)$ partem illam celeritatis, quæ celeritati priori corporis a, propter incursum corporis A, vel adjicietur vel detrahetur, prout scilicet motus amborum corporum vel conspirantes fuerint vel contrarii.

IV His præmissis ita pergo: Si corpus aliquod in a positum duabus viribus simul impellitur, hoc pacto, ut vires illæ plane nec conspirent nec contrariæ sint, id est, ut lineæ directionum aG & aE angulum rectum comprehendant, atque ut eam inter se vires proportionem habeant, quæ est inter ipsas illas rectas aG & aE; dico, rectam aK, quæ est diagonalis completi rectanguli $aGKE$, utique exponere directionem & celeritatem corporis a, post duplicem illum impulsum. Nam quoniam duo motus impressi nec conspirant nec contrarii sunt, ob eamque rem se mutuo nec juvant nec impediunt, hinc tempore dato, quo corpus a ad punctum G vel E motu simplici perveniret, idem etiam motu composito, a parallela aE ad parallelam GK, (quarum distantiam metitur recta $aG = EK$) atque simul a parallela aG ad parallelam EK, (quarum distantiam metitur ipsa $aE = GK$) hoc est, ab a ad K, pervenire debet. Verissima igitur hac quidem ratione est propositio, qua de agimus. Unde etiam sequitur, justissimam esse motuum illam & virium resolutionem, cum, *descripto circa rectam quamlibet aK, ut diagonalem, rectangulo quocunque, velut aGKE, motus a recta illa expositus, in duos alios a lateribus rectanguli exponendos, resolvi posse*, docetur. Sed videndum nunc Fig. 2.

 est,

eſt, an eodem modo ſe res habeat, ſi corpus aliquod, duabus viribus, ex parte vel conſpirantibus vel contrariis, impellitur. Quod cum vel plane ſimul & uno temporis puncto, vel ſucceſſive fieri poſſit, ita nimirum, ut altera vis prius agat, altera deinceps; de utroque caſu ſeparatim diſpiciendum erit.




Fig. 2.

V. Si corpus aliquod *a* ſucceſſive impellitur duabus viribus, ex parte conſpirantibus, ita ut rectæ *a F*, *a D*, quæ virium directiones & proportionem exponunt, angulum quemcunque acutum *F a D* comprehendant, & vis *a D* prius agat in corpus *a* quieſcens, deinde vero vis *a F* accedat, demiſſo perpendiculo *FH*, & completo rectangulo *a G F H*, reſolvatur vis *a F* in duas alias, quæ nec conſpirent nec contrariæ ſint, puta in *a G* & *a H*, & fiat *a C* = *a H*; porroque aſſumto pro lubitu in recta continuata *D a A* puncto *A* (dummodo *A a* major ſit quam *a D*) fiat *a C. C A* :: *A. a*, hoc eſt, aſſumatur maſſa corporis *A* & diſtantia ejusdem a puncto *a* ejusmodi, ut *C* ſit commune centrum gravitatis amborum corporum *a* & *A*. Quo facto perſpicuum eſt, corpus *A*, celeritate *A a* in corpus *a* impingens (ſi utrumque corpus ut non elaſticum, & *a* ut quieſcens conſideratur) imprimere illi debere celeritatem *a C* = *a H*. Quoniam vero corpus *a* non quieſcit, ſed jam aliunde impreſſam habet celeritatem *a D*, fiat *D (A)* = *a A*, & *a (C). (C) (A)* :: *a C. C A* :: *A. a*. Ita *a (C)*, cui æqualis fiat *D E*, exponet celeritatem, quam corpus *A*, celeritate *A a* = *(A) D* in corpus *a* (quod celeritate *a D* progreditur) impingens, ipſi communicare debet. Quapropter, completo rectangulo *G a E K*, exponet diagonalis *a K* directionem & celeritatem corporis *a*, duabus viribus *a F* & *a D* impulſi, itemque directionem ac proportionem vis, quæ una

idem

idem præstitisset, quod duæ illæ $a F$ & $a D$ effecerunt. Quod si algebraice rem explicare placet, sit $a H = a C = m$, $a D = v$, $(A) D = A a = V$; erit $A C = \frac{a m}{A}$, $(A) a = V - v$; $E D = a (C) = \frac{A V - A v}{A + a} = m \frac{A v}{A + a}$. (*Artic. III.*)

VI. Si A respectu a, atque adeo v respectu V, quantitates infinite parvæ sunt, hoc est, si massa corporis A infinite parva, & velocitas ejus, pari sed inversa proportione, infinite magna assumitur, evanescente $\frac{A v}{A + a}$, erit $E D = a H = m$. Quo pacto $a K$ erit diagonalis completi parallelogrammi ex $a F$ & $a D$, & propositio, qua de disputamus, vera. Alias enim, ut corpus a moveri per diagonalem commemorati parallelogrammi possit, præter vires $a F$ & $a D$, adhuc alia vi opus est, tali ac tanta, ut propter ejus accessum perinde se res habeat, tanquam si sine ea corporis A celeritas relativa esset $A a = (A) D = V$, sed celeritas absoluta $A D = A (A) + (A) D = A a + a D = V + v$; tunc enim $E D$ erit $= a C = a H = m$, ut ante.




Fig. 3.

VII. Si corpus a successive impellitur duabus viribus ex parte contrariis, ita ut rectæ $a F$, $a D$, quæ virium directiones & proportionem exponunt, angulum quemcunque obtusum $F a D$ constituant, & vis $a D$ prior agat in corpus a quiescens, deinceps vero vis $a F$ accedat, demisso perpendiculo $F H$ ad rectam $a D$ utrinque continuatam, & completo rectangulo $a G F H$, resolvatur vis $a F$ in duas alias $a H$ & $H F = a G$, quæ nec conspirent Fig. 3.

 neç

nec contrariæ ſint, & fiat $aC = aH$; porroque, aſſumto pro lubitu in recta aA puncto A, fiat $aC. CA :: A. a$, hoc eſt, aſſumatur maſſa corporis A, & diſtantia ejusdem a puncto a, tali ratione, ut C ſit commune centrum gravitatis amborum corporum a & A. Quo facto corpus A, impingens celeritate Aa in corpus a quietum, communicare illi debet velocitatem $aC = aH$. Quoniam vero (per hypotheſin) corpus a non quieſcit, ſed jam aliunde impreſſam habet celeritatem aD, fiat $D(A) = aA$, & $a(C).(C)(A) :: aC. CA :: A. a$. Ita $a(C)$, cui æqualis fiat DE, exponet eam celeritatis partem, quam corpus A, velocitate $Aa = (A)D$ progrediens, in corpore a, celeritate aD ſibi occurrente, conflictu ſuo deſtruet. Quapropter, completo rectangulo $GaEK$, exponet diagonalis aK directionem & celeritatem corporis a, duabus viribus aF & aD impulſi. Sit $aH = aC = m$, $aD = v$, $(A)D = Aa = V$; erit $ED = a(C) = m + \frac{Av}{A+a}$. Ceterum hic eadem valet obſervatio, quæ paullo ante depromta eſt. (*n. VI.*)

VIII. Videndum nunc, quid fieri debeat, ſi duæ vires, non ſigillatim & ſucceſſive, ſed ſimul & eodem temporis puncto, corpus aliquod, & quidem directionibus ex parte vel conſpirantibus vel contrariis, propellant. Exempli loco proponatur corpus a (fig. 1) in quod duo corpora, A & B, directionibus Aa, Ba, una impetum facere concipiamus, ſitque vis A ad vim B, ut aD ad aF. Quæratur eadem methodo, quam hactenus expoſui, recta ED, hoc eſt, ea pars velocitatis, quæ corpori a, directione & celeritate aD propulſo, juxta eandem directionem, propter alteram vim ex parte conſpirantem vel contrariam, vel accedit vel detrahitur; ſimiliterque etiam quæratur recta FO, hoc eſt ea pars velocitatis, quæ corpori a, directione & celeritate aF propulſo, juxta illam ipſam directionem, propter alteram vim ex parte conſpirantem vel contrariam, vel accedit vel detrahitur. Erectis ex E & O perpendiculis OM & EM, in puncto M concurrentibus, ductaque Ma, dico, hanc ipſam eſſe rectam quæſitam, quæ ſcilicet exponat directionem & celeritatem corporis a, poſt duplicem illum motum a viribus A & B ſimul impreſſum. Demonſtra-

strationem non puto difficilem, ideoque eam addere supersedeo.

IX. Atque jam satis apparere arbitror, quid hucusque erratum sit in nobilissima illa Mathematicorum & Physicorum propositione, de *æstimandis motibus compositis*, quibusque limitationibus laudata propositio opus habeat. Reliquum est, ut de iis demonstrationibus breviter disquiram, ex quibus sequi crediderunt summi viri, effatum suum esse omnino in universum, & absque conditione verissimum. Ac plerisque visum fuit, demonstrationem, quam ipse supra attuli, *(n. IV)* adeo generalem esse, ut non solum ad eum casum, cum duæ vires impellentes, propter angulum rectum a directionum lineis comprehensum, prorsus nec conspirant nec contrariæ sunt, sed & ad casus quosvis alios æquo jure pertineat. Alii vero, quod intelligerent, dubitari non sine ratione de vi istius demonstrationis adeo absolute & generatim conceptæ posse, novam sunt commenti, eamque paullo magis operosam; quæ est hujusmodi: Si corpus *a*, inquiunt, in recta *a D* motu æquabili progrediatur, & interea illa ipsa recta *a D*, (qua excedere corpus nequeat) motu non minus æquabili, sibi semper parallela, secundum directionem *a F*, ex loco *a D* in locum *FN* deferatur, sitque velocitas corporis *a* ad velocitatem lineæ *a D*, ut *a D* ad *a F*, completo parallelogrammo *a D N F*, cujus diagonalis sit *a N*, erit hæc vera linea, a corpore *a* motu composito descripta. Atque hoc facile demonstratur, quippe haut dubie verissimum. Sed quod sequitur æque promte concedendum non videtur. Cum corpus *a*, inquiunt, ideo in recta *a N* deferatur, quod præter motum proprium participet quoque de motu loci sui seu rectæ *a D*, & motus ejus ex utroque compositus sit, hinc si idem, vel aliud quodvis corpus, quacunque ratione, duos motus, secundum directiones *a D* & *a F*, simul impressos habeat, sintque motus illi, vel vires a quibus producuntur, ut istæ ipsæ lineæ *a D* & *a F*, (ita nempe, ut alterutra vi sola impulsum corpus, tempore dato, rectam *a D* vel *a F* describeret,) erit etiamnum diagonalis *a N* vera linea, a corpore dato, motu illo composito, dato tempore, descripta. Fig. I.

X. Siccine vero omnem sublatam dubitandi rationem censeamus? Mihi sane non videtur; id quod tamen bona cum venia

præ-

præstantissimorum virorum dictum velim, qui aliter judicant. Causa, cur dissentiam, ex superioribus facili negotio colligenda, hæc est. Nego perinde esse, sive ipsam rectam *a D*, quam inhærens corpus *a* dato tempore percurrit, motu æquabili & eodem tempore, ex *a D* ad *F N* deferri imaginemur, quacunque demum vi ad id efficiendum opus sit, sive aliam vim quamlibet certam ac definitam (velut incurrentis corporis *B*) quæ sola scilicet suffecisset, ad corpus *a* quiescens, eodem tempore dato, ex *a* ad *F* propellendum, substituamus. En differentiam: Vis quæ defert totam lineam *a D*, tanta est, ut corpus *a*, dato tempore, non modo juxta directionem *H F*, a parallela *a D* ad parallelam *F N* perducat, sed ut simul etiam motum corporis juxta directionem *a D* tantopere augeat, ut ad celeritatem *a D* accedat celeritas $aH = DR$; quo pacto corpus *a* ab *a* ad *N* deferri omnino necesse est. Contra vis corporis incurrentis *B* ita se habet, ut celeritati *a D*, corporis *a*, addat celeritatem *D E*, minorem quam *a H*, nisi massam illius corporis *B* infinite parvam, & velocitatem ejusdem, inversa proportione infinite magnam constituamus. Major igitur est vis prior quam posterior. Atque ut hæc illi æqualis fiat, nova quædam vis cum ea conjungenda est, talis ac tanta, quam supra (*n. VI*) definivi. Vel ita pronuntiare debemus: *Corpus* a, *celeritate & directione* a D *progrediens, motu composito describet rectam* a N, *si vel ipsa* a D, *dato tempore ad* F N *deferatur, vel vis quædam* B, *juxta directionem* a F *applicetur, quæ eundem effectum producere valeat, quicquid demum præstitura esset, si sola corpori* a *quieto applicaretur*. Quo pacto verum quidem erit effatum, sed haut scio an nullius usus.

XI. Edidit superiori anno Tractatum de potentiis mechanicis *(a Treatise of the Mechanical Powers)* Vir doctissimus, *Andreas Motte*; in quo propositionem nostram, de definiendis motibus compositis, propter infinitum ejus usum, non quidem explicare aut limitare, sed nova quadam demonstratione confirmare conatus est. Recensuimus libellum ipsamque demonstrationem in Actis nostris, Mense Augusto hujus A. 1728; quo lectorem ablegatum volo. Nunc illud saltim dico, Virum optimum in demonstratione sua id assumere, quod æque certum vel dubium

vide-

videtur, quam ipsum theorema demonstrandum. Qui dubitat, an corpus *a* directione & celeritate *aD* progrediens, propter accessum novæ vis, juxta directionem *aF* applicatæ, eodem tempore a parallela *aF* ad parallelam *DN* pervenire debeat, quo absque hac nova vi ab *a* ad *D* pervenisset, is profecto non minus dubitabit, an, positis iisdem de cetero conditionibus ut prius, ductaque per *D* recta quavis alia quam *DN* (quæ scilicet non sit parallela ipsi *aF*, sed vel ad eam convergat, ut *DK*, vel ab ea divergat,) an, inquam, corpus *a* ad lineam illam citius vel tardius pervenire debeat, quam absque vi *aF* ab *a* ad *D* pervenisset. Nec sufficit, quod dicit Autor, hoc posterius inde evidens esse, quoniam vis *aF* cum vi *aD* conspiret in protrudendo corpore *a* ad lineam convergentem, velut *D*K, & quoniam contrario modo se res habeat in linea divergente. Concedo enim assumtum; connexionem nego. Immo vero nihil dubito, quin ipse Vir præstantissimus, si hæc legerit, qua ipsum ingenuitate esse arbitror, mecum sit sensurus. Nam quicquid etiam dicatur pro explicanda & stabilienda propositione nostra primaria, illud certum est, corpus *a*, directione & celeritate *aD* progrediens, accedente novo impulsu corporis incurrentis *B*, (tali ac tanto, qui solus suffecisset ad idem corpus *a*, in quiete constitutum, directione & celeritate *aF* propellendum) celeritatem & directionem *aK* acquisiturum, ac proinde non citius, sed eodem tempore a recta *aF* ad convergentem *D*K perventurum esse, quo sine illa vi nova ab *a* ad *D* pervenisset; etiamsi negari nequeat, vim utramque, *aF* & *aD*, ad pellendum corpus *a*, rectam *D*K versus, aliquantum conspirare. (*n.V.*) Fig. 1.

XII Non memini, me alias demonstrationes theorematis controversi, præter eas, quas protuli, legisse. Igitur nihil habeo quod addam. Quicquid autem hactenus disserui, & quicquid inde concludi potest, intelligentium arbitrio atque ulteriori inquisitioni submitto.

DE REDIVIVO SANGUINE D. JANUARII, Episcopi & Martyris, præcipui Patroni civitatis & regni Neapolitani, Tripertitum Opus, Autore P. JO. DOMINICO,

MINICO PUTIGNANO, e Societ. Jesu. Pars prior de sanguine ebulliente.

Neapoli, typis Antonii Mutio, heredis Michaelis Aloysii, 1723, 4. Alph. 1 plag. 3½.

CElеberrimum toto terrarum orbe, quod Neapolitani jactitant, D. *Januarii* miraculum, quadraginta circiter annos, & quoties per statas solemnium dierum vices licuit, coram veneratus Rever. Autor, *Jo. Dominicus Putignanus*, cujus hic verbis potissimum loquemur, illud summum simul Romano-Catholicæ fidei beneficium præsentissimumque in obfirmandis Catholicorum animis munimen secum ipse reputavit. Cum enim notæ istæ veræ religionis, quas Romanenses vulgo defendunt, vitæ sanctitas, Martyrum sanguis, præsagiorum cœlestium delibationes, cujuscunque generis miracula, naturæ totius potestatem excedentia, non modo adhuc intra Ecclesiam Romanam edita, sed in omne porro ævum edenda animo ipsius obversarentur; incurrente in oculos Januarii sanguine, evicerunt: *unum sufficere Martyrem Januarium, qui præstantissimas has notas* Christi Ecclesiæ, in Davidica turri repræsentatæ, *inscriberet, vulgaret, latissimeque energetica Apostolorum virtute funderet.* Ne autem privato tantum judicio circumageretur, &, pietatis quanquam specie, falleretur Autor, rem hanc gravissimi, ut putat, argumenti expendendam duxit, ut genuinam miraculi rationem ostenderet, & neque miraculum olim desideratum, neque in præsenti abesse demonstraret. Quapropter Philosophos cum antiquos, tum nuperos, Theologos item in hoc pulvere multo exercitatiores, magnaque autoritate florentes, consuluit, horumque lucubrationibus diu multumque pensitatis, causam, quam præ manibus habuit, justissimam perutilemque arbitratus, in hoc tandem consilium adductus est, ut publici juris faceret, potissimumque religionis negotium, quod singulos obstringit, aliquos, si quo modo fieri posset, pertraheret, uno hoc teste in acerrimum assertorem educto. Et consilii quidem sui fructum uberrimum cepisse, vel in ipsa operis contrectatione sibi persuasum habuit, ut senile otium, quamcunque studiorum rationem, in unam religionis tesseram conferret, quam e potiore ejus-

dem

dem religionis vinculo ſanguine ipſo inſcriptam maluiſſet. Partitus autem eſt opus ſuum, ſecundum notarum differentiam, in tres partes, quarum prima ſanguinem miraculoſe ebullientem exhibet, cujus perſpicua luce religio vera a quacunque alia ſecernatur, atque in venerationem ſui rapiat. Pars altera è miraculoſa hac ebullitione divinam præſagiorum venam trahet, quæ nullibi certius ſtatuitur, quam ubi vera religiò jus ſuum dominationemque exercet ampliſſimam. Tertia demum ſanguinem ipſum exhibebit, eximiæ ſanctitatis, quam in Januario exprimit, encomiaſten, quò ſanctiſſimi hujus Martyris conſtantia abunde colligi queat. Quoniam vero alienum non exiſtimat, ſtatim in limine operis monere, quod ſibi optime conſtet, cum hoſtibus negotium geri, &, quod pace quorundam dictum vult, ut plurimum obſtinatiſſimis, qui nec ratione nec autoritate flectantur, ſed ceteris in conatus irritos verſis ad ſcommata & cachinnos ſe laſſi tandem recipiant, ut vel hac parte iſtud fidei Romanenſis munimen proſternerent, affirmare non dubitat, fruſtra hoc prorſus fieri, eosque craſſe fallere fallique inexcuſabiles, dum calumnias illorum memoria omnium retro temporum refellat, Eccleſia Dei ſemper quippe miraculis fulta, & incrementa non exigui momenti adepta, licet tantum abſit, ut Sectarii per præjudicia adverſus Romanam Religionem a parentibus tanquam lacte ab incunabulis inſtillata & per ætatis gradus tenaciſſime infixa & promota id admittant, ut potius in miraculis oppugnandis ſtudium quoddam bene merendi habeant collocatum. Præcipue eos circa Januarii ſanguinem hos impudentiſſimos conatus quotidie evomere, conqueritur, quandoquidem nemo ex heterodoxis ſcriptoribus reperiatur, quin prodigioſam ejus ebullitionem protinus in cauſas mere naturales ableget, cum tamen in hoc miraculo longe diſpar ſit conditio ac in ceteris, quæ ex ſcriptorum partim judicii infirmitate, partim fabulandi ſtudio, ſeculorum etiam ruditate, oppugnentur, & nihilo ſecius ingenia circa illud ad philoſophandum convertantur, atque oculorum fidem ad incorruptam dijudicandi palæſtram provocent, id quod Autor illis, qui e borealibus regionibus adveniant, de religione diſſentientes, imprimis tribuit. Hac occaſione mentionem una injicit nobilis cujusdam Angli, minime veriti, lucubrationem quandam familiaribus

ſuis oſtentare, ebullientis ſanguinis miraculum proſternentem, qua vero viſa, hominisque arrogantia & inanibus diſſerendi fundamentis deprehenſis, *Putignanus* noſter eundem inanitati ſuæ relinquendum ſatius duxit, quam peculiarem aliquam apologiam attexere. Nec prætermittit aliorum, ut ipſi audiunt, Novatorum circa idem prodigium in vulgus diſſeminata, quæ non minus ſtimulos operi addiderunt, quoniam, licet totus fere orbis Chriſtianus ejusdem miraculi magnitudine tutus hæreticorum ſcommata contemnat, in tenues quippe mox abitura auras, egregiam tamen illam moderationem in tantum probandam cenſet, quousque non in rerum cœleſtium diminutionem animarumque perniciem vertatur. Quapropter, cum in hoc miraculo infirmando pallio philoſophico contecta ſæpe prodeat impietas, obſtringi dicit ſe aliosque, ut nativam vitio faciem aperiant, illudque aggrediantur ſtatim & repellant, hancque cauſam eſſe, cur hic juvet experiri, ſanguinis ebullientis beneficium non e naturæ ſinu profectum, nec arcanis Philoſophiæ fodinis conditum, ſed cœlitus collatum, & ad divinæ beneficentiæ venam referendum, prodigiumque genuinum eſſe, qua re mature perſpecta, Novatores ipſos philoſophantes ſolide compendiaria quadam via ad orthodoxam religionem perduci poſſe exiſtimat, nihilque magis exoptat.

Lib. I. His præmiſſis, ipſum laborem aggreditur, quem Libro primo viginti & quatuor capitibus abſolvit. Oſtenſurus igitur ante

C. I. p. 1-8. omnia, D. *Januarii* ſanguinem mirum in modum ſolvi, commemorat, eſſe in templo maximo Neapolitanæ urbis ſacellum *Januario* nuncupatum, *theſaurum* vulgo dictum, in quo ejusdem ſanguis & caput pone aram maximam aſſerventur. Illum ſanguinem, pergit, contineri duabus ampullis e vitro, ſubſtantia ſubtilibus, ſpecie tamen & magnitudine diverſis, quarum altera, major nempe, fundo & ventre ampla eſt, amplioremque incluſam tenet ſanguinis maſſam, minor vero in cylindrum ferme efformata faſtigium verſus ſenſim declinat, ac minus aliquanto ſubſtantiæ ejusdem continet, ut vaſculum inane pateat, præter certas quasdam ſacri cruoris guttas per latera vaſculi incruſtatas, & eliquationi alterius, cum occurrit, reſpondentes. Hic ſanguis hermetice obſignatus & ſeorſim oblatus, ab humore quodam concreto lapide-

pide-

pidescente potius quam coagulato nihil abesse, at capiti admotus, sive e regione sive oblique, dummodo nullum corpus interjaceat, solvi, subsilire, ebullire & efferri traditur. Non tamen una eliquationis forma & ratio est, quia sæpe confestim ad primum capitis congressum, interdum etiam, sed raro, antequam caput accesserit, se fundit, imo sæpe bullæ quædam in superficie ebullitionem præveniunt, & mox insecuturam animis suspensis indicant. Pariter interdum totus se explicat, interdum dimidiate tantum, grumis quibusdam innatantibus vel subsidentibus. Si tempus spectes, fit ut plurimum celerrime, aliquando etiam subsistit hæretque, velut ambiguus, per horarum minuta, per integras nonnunquam horas, quin imo per plures dies obduruit interdum, & exorantibus beneficium negavit. Quod ad colorem attinet sanguinis, solutus ille subniger apparet, vel concolor mixto corpori, in obscurum e rubeo vergenti; at sæpissime eliquato tanta perspicuitas adest vivaciorque adspectus, ut in flavum omnino desinat. Et hæc omnia Autor noster non ex aliorum fide, aut ex veterum monumentorum autoritate depromta exhibet, sed luce meridiana clarius hoc prodigium esse supponit, utpote quod habeat tot testes, quot intuentes cives exterosque, qui plerumque statis diebus summo mane in sacello adsint, sanguinem durum videant, & cum e capitis regione in summo altari ponatur, propius ad ampullas accedant, oculos animumque in illis defigant, & prodigiosam ebullitionem advertentes in summam admirationem, quin & in lacrymas, non fœminæ tantum, sed ipsi cordatiores viri rapiantur, adeo, ut per totam urbem de hac ebullitione sermo, & ad templum maximum undique concursatio civium instituatur. Ne vero prodigium istud in abusum migraret, legibus cautum est, ut certis tantum diebus, & quidem primo loco XIII Kal. Octobris, recurrente Martyrii a *Januario* tolerati memoria, dein die Dominico Kalendis Maji propiori, quo tempore ossa Martyris Puteolano agro Neapolin translata, & prior solutio sanguinis facta creditur, & tandem XIII Kal. Januar. ob servatam A. MDCXXXI ab exitio, quod Vesuvii igneus torrens minatus erat, urbem, publice exhiberetur, aliis tamen occasionibus, ut cum calamitates publicæ, bella, pestilentiæ flagellum, annona, procellæ, & alia mala ingruant,

gruant, non susque deque habitis. Et hic sanguis idem ipse statuitur, quem pia fœmina quædam ex opinione cultorum ejus eo ipso forte die, quo *Januarius* capite minutus fuit, in duabus phialis, sive mavis, in quacunque alia utrisque capaciori materie excepit, & licet corpus *Januarii* non semel ad externas sedes traductum sit, nunquam cum capite extra Neapolitanum pomœrium, ad breve quamvis tempus, amotum, communissima incolarum consensio testatur.

C. II p. 8--11. Nec est in hujus sanguinis eliquatione, ut, qui Autori nostro heterodoxi dicuntur, ad latentes causas, ad illusionum species, aut dæmonum versutias temere provocent, vel e Catholicis nonnulli, ne vulgi vestigia terant, ad naturæ vires miraculum revocent, & quidem tanquam insuetum, non vero tanquam divinum quiddam spirans admirentur; siquidem Putignanus noster causam *Januarii* tam obfirmato animo agere annititur, ut non calamo tantum, sed usque ad sanguinem veritatem prodigii propugnandam censeat.

12—18. Hinc de miraculi natura & differentia generatim fuse differit, monens, miraculum ex D. Thomæ aliorumque Patrum & Theologorum sententia mirum opus innuere, quod causarum naturalium vim prætergrediatur, & autorem proximum, Deum optimum, norit. Quod vero ad miraculi differentiam spectat, in medium affert, duplicem Theologos varios statuere, nempe miraculum quoad substantiam, & miraculum quoad modum, alios vero quadruplicem, quorum doctrina etiam Autori arrisit. Quare primo loco expendendum sumit miraculum quoad substantiam, quod simpliciter pureque acceptum excedit facultatem naturalem omnem, & duplex ipsi est, vel positivum, cum mirum aliquod peragitur præter causarum naturalium conatus omnes, quale quid in Solis statione tempore Josuæ, & in mortui ad vitam revocatione observandum, vel negativum, cum efficacia ipsa rei naturalis ad agendum aptissima divino imperio perinde ac quibusdam frænis retinetur, quo rubum ardentem & fornacem Babylonicam igne suo socios Danielis non lædentem refert. Succedit altera miraculi differentia ratione materiæ, cum ejus intuitu absque divina virtute fœtus produci non posset, rei cæteroquin substantia causis naturalibus congrua, quæ aquis contradictionis in deserto illustrat. Tertiam mira-

miraculi differentiam suppeditat modus & quæcunque qualitates aliæ rem circumstantes, quibus præter naturæ ordinem immutatatis divina virtus emicat, communemque omnium admirationem sibi conciliat, quo ex ejus mente mundatio Naamanis in Jordane & restitutio oculorum in cœco a Servatore præstita spectant. Postremi tandem generis miraculum e fine derivatur, cujus vi, quamvis adessent cetera ad efficaciam intra naturæ cancellos evocandam, quam longissime tamen eadem distare, divinæ providentiæ legibus patet, quemadmodum exemplo ignis ab Elia ad consumendum sacrificium cœlitus advocati demonstrare satagit. Non uno tantum aut altero ex hisce gradibus solutum D. *Januarii* sanguinem muniri, sed omnes admittere & singulis probari, Autor nunc porro contendit. Primo enim miraculum quoad substantiam hic fulgere, ex eo colligit, quod sanguis ille nulla extrinsecus excita causa, nullamque communionem cum ceterorum hominum sanguine post mortem concreto habens, se ipso solvatur, & effervescat perinde ac in venis olim, annis mille & plus quam ter centum, quoties libeat, vicibus præfinitis vel innumeris, dimidiate tantum, aut integra sui substantia, rutilantiori coloris flamma, vel subpallida, facieque tandem ridente vel tristi, non vi aeris, quia ille citius vitrum fracturus, quam lapidescentis sanguinis soluturus esset portionem, neque caloris beneficio, quippe qui corpus non solvat nisi cereum & sua natura humidissimum, concretum vero sanguinem vel inspisset, vel in pulverem dissolvat, vel ad luti morem exsiccet, minimeque intra mensem Decembrem, Aquilone maxime spirante, sanguinem excitare posset, quod tamen experientiæ adversetur, imo neque capitis congressu, qui, licet exigatur, tamen influxum in ebullitionem sanguinis non præbeat, quoniam alias sequeretur, positum e regione mortui hominis caput semper idem præstare posse, id quod nullo exemplo comprobatum. Multo minus ad arcanam virtutem, quæ Sympathetica est, tutum effugium patere, pergit, quoniam, si illa statuenda, capitis congressus naturali virtute propterea ebullitionem excitaret, quod spirituum congeriem in sanguinem immitteret, qui concitatus fermentesceret, & duritie seposita confestim emollitus exsiliret; alium modum facile non dari. At quinam spiritus

C.IV, p.18–25.

V, p.25–31.

ex

ex capitis cranio, vetustate pæne consumto, carie exeso, omnibusque viribus nudato, produci possent? Et annon omnis virtus Sympathetica præpediatur, quoties alieni corporis interponatur repagulum, ut proinde sanguinis ampulla arcte occlusa, spirituum confluentium cursum retineret & distraheret, quo, nedum fermentescere, ne levissime quidem sanguis excitari posset? Ne-
C. VI. que objiciendum, cum sanguis continuo rigeat, simul ac in cele-
p. 31-35. britate Mensis Maji ex recepta consuetudine meridianis ad prandium destinatis horis, & sacello tum cultoribus fere vacuo, sacra lipsana velo obducerentur, exinde satis superque apparere, sanguinem D. *Januarii* rationem succini, quod facultate sua tenuissimo licet velo interjecto privatur, habere, & adeo effluvium aliquod intercipi, unde e capite ad sanguinem confluxus eat redeatque, quoties locus liber relinquatur. Namque sanguinem *Januarii* compluribus cultoribus non raro interpositis mutuo forte capitis conspectu privari, & tamen nihilominus ebullitionem tueri, & solutum perseverare. Hinc, quod dicto tempore ille momento obdurescat, in divinam voluntatem causam refert, unicumque Dei consilium esse, Autor statuit, ad quod eo rectius expediundum putat asserendum, energiam cœlestis ebullitionis præsentiæ capitis tum physicæ, tum etiam ad id muneris æque conducenti, quam moralem appellat, alligatam esse, & adeo miraculi hujus conditionem requirere, ut per id tempus volutus sanguis in duritiem re-
VII, 35-40. deat, ne præsentia moralis desideretur. Tandem quoque negat, ad facultatem Sympatheticam ulterius propugnandam experimentum sane mirum, si verum, de sanguine profluente ex homine occiso ad homicidæ præsentiam in subsidium vocandum esse, siquidem D. *Januarii* sanguis non, ut ille, e venis, & ad dies aut mensem unum, multo minus ad vindictam paratus, sed e corpore jam eductus & lapideus, nec non post complura secula superstes, ad cœlestia beneficia elargienda promtus ebulliat, & ea propter cum sanguine e cadavere violenta manu interemti nullum habeat
VIII, 41-49. commercium. His fuse circa miraculum quoad substantiam in ebullitione sanguinis D. *Januarii* semet exerens disputatis, secundo etiam probare conatur, miraculum hic emicare ratione materiæ, & quidem præcipue hac via, ut lectori proponat, in ea

san-

ſanguinis fæce arida, exſicca, ſqualente, tophum æmulante, antequam ebulliat, tam inſignem repente mutationem quoad motum & fluxilem morem, ut & quoad colorem, intra naturæ ſinum ſuccedere non poſſe, cum ex Philoſophorum unanimi conſenſu a privatione ad habitum haud unquam naturalis detur regreſſus. Porro etiam demonſtrandum ſibi ſumit, miraculum eſſe ebullitionem ſanguinis D. *Januarii* ratione modi & circumſtantiarum, ubi inter alia imprimis hæc urget, hanc ebullitionem non quibusdam moræ gradibus, particulis ſemper aliis poſt alias diſſolutis, ſed plerumque ad capitis præſentiam quam citiſſime fieri, quin & ſæpe hanc præſentiam antevertere, interdum quoque durum & immotum perſtare ad horas plures diesve, ut adſtantium vota quaſi laſſare videatur. Ex quibus aliisque in medium allatis evincere ſtudet, *Petrum Molinæum*, erraſſe admodum, & temere philoſophatum eſſe, ſcribentem, nil facilius eſſe, quam calcem in lagenam injicere, quæ ſic bullas excitet, ut inde fervor fieri exiſtimetur. Quarto etiam in eo laborat, ut demum ad liquidum deducat, miraculum hic etiam radiare ratione finis, non proximi quidem, ſed ejus, quem providentia divina aliunde reſpiciat. Huic enim utrumque injurioſum eſſe, & ſtatuere, ebullitionem iſtam hominum arte prodire, quia nemo adhuc tale quid exhibere potuerit, quod ſanguinem *Januarii* eliquandi morem referat, & ſibi aliisque perſuadere, ope pravorum ſpirituum eam effici, quandoquidem dæmones admiranda certe, non autem vera miracula patrare queant, nec, quod ad auguſtiorem cultus divini propagationem, ſuum vero damnum & exitium maxime cedat, ipſi facile promoveant, quicquid Molinæus ex impedita ebullitione præſentibus hæreticis ad id tuendum inferre velit, quaſi nempe hi impuri ſpiritus coram pio homine a præſtigiis ceſſare conſueverint. Cur vero capitis præſentia ad miraculum eliciendum ut plurimum requiratur, hanc difficultatem ita tollere, & ſacri cruoris hoſtes, qui inde Sympatheticam poteſtatem, & adeo naturale quid intercedere colligant, profligare ſibi videtur, ut moneat, caput modo ut inſtrumentum divinæ voluntatis ſuſpiciendum eſſe, & ex eo, quod ad id muneris promoveatur, æque minus ullam influxus neceſſitatem ſecum trahere, ac Moſis pulſationem petræ in elici-

C.IX. p.49—56.

C.X, 57-65.

C.XI, 65-[illegible]

endis ex eadem aquis, aut buccinorum cantus in expugnatione urbis Hierichuntinæ, sed ejusmodi quid decernere ejus esse, cujus edere ipsum miraculum, utpote qui efficacissime & velit &
C. XII. possit. Quare hoc miraculum Romano-Catholicæ fidei munien-
p. 71–80. dæ pariterque amplificandæ robur cumulatissime præstare addit, dum Deus doctrinam veram prodigiis firmare nunquam defatigetur, & Christus Ecclesiæ suæ miraculorum potestatem promiserit, quod vero cum a religione Romanensium dissidentes hæretici inficientur per impios conatus, quibus sanguinem D. *Januarii* petant, hoc illos reportare mercedis adstruit, ut sanctissimus Martyr eos arceat a miraculi hujus aspectu, adeo, ut præsentibus iis in sacello præpeditum sæpe prodigium & inchoatam ceteroquin satis ebullitionem repente subtractam constet. In cujus rei gratiam memorat exemplum novissimæ memoriæ, quod nimirum A. MDCCXIX, supremo tunc regni administratore, Comite *Ulrico Daun*, proceribus, compluribusque militiæ tribunis & ducibus, interque eos multis Lutheranæ, quam vocat, sectæ asseclis ex Alemannia stipato, die sexto Maji, in solemni celebritate, accedente, sanguis D. *Januarii* nullum effervescendi signum dederit, protractis etiam longius, quam suetum fuerit alias, precibus. Qua de causa primores e sacerdotibus & Nobilibus, verentes, ne hæreticorum præsentia miraculosa ebullitio impediatur, Pro-Regem exoratum accessisse dicuntur, ut pro sua autoritate eos omnes submoveret, eoque annuente, atque his nondum omnibus digressis, ebullitionem momento temporis & numeris omnibus absolutam eluxisse, ut plures ex ipsis Lutheranis ducibus ad festivas multitudinis voces regressi, & admissi, præ veneratione prodigii fleverint, eoque miraculo, si famæ credendum, ad fidem
XIII, 81-88. Catholicam fuerint conversi. Ostendit vero Autor porro, hanc prodigiosam ebullitionem etiam aliis affinibus per orbem Christianum miraculis muniri, qualia sunt, quæ evenisse perhibentur in Oriente cum sanguine *Euphemiæ* virginis & Martyris, item *Glyceriæ*, alius Martyris sequioris sexus, nec non S. *Severi*, Ravennæ Episcopi, S. *Nicolai*, Myrensis Episcopi, S. *Teresiæ*, Institutricis Ordinis Carmelitici ex utroque sexu, S. *Walburgæ*, virginis Eystadii in Germania, *Julittæ* Martyris ex Basilii testimonio, S.

Fran-

Francisci Assasiatis Romæ, ut & in urbe Neapolitana, S. *Præcursoris* in templis D. Gregorii, Armeniæ Pontificis, & D. *Ramitæ* vulgo dictæ, S. *Stephani*, Protomartyris in æde D. Gaudiosi, S. *Patritiæ*, in templo eidem virgini sacro, D. *Laurentii*, in templo illi dedicato, & S. *Pantaleonis*, Martyris apud S. *Francisci de Paula* Patres in Ecclesia S. *Ludovici* Galliæ Regis, quæ liquationes omnes fidem *Januarii* sanguini robustiorem conciliare, & miram consensionem fateri Putignano videntur. Producit dein testimonium Martyrologii Romani & summorum Pontificum argumenta de hac miraculosa ebullitione, quibus inter alia etiam hoc interserit, Cardinalem & Archiepiscopum Neapolitanum, *Franciscum*, e Ducibus Vibonensibus, *Pignatellum*, A. MDCCXIX a Clemente XI R. P. obtinuisse, ut sub ritu duplici in Ecclesia, civitate, & diœcesi Neapolitana celebraretur *Januarii* patrocinium pro incolumitate urbis ab incendio Vesuviano sæpius, & potissimum A. MDCXXXI vindicatæ. Subjungit etiam probatissimorum ipsi Virorum judicium, *Matthæi de Afflicto*, Neapolitani, Autorum theatri vitæ humanæ, *Hieronymi Herculanii*, *Joannis Francisci Pici* Mirandulani, aliorumque, una cum publicis monumentis, tabulis æri incisis, vel marmoreis insculptis, perque urbem, templa, nobilium curias, D. *Januario* nuncupatis. Ex his autem præstructis fundamentis arguit Autor noster, nullum justæ excusationi locum esse reliquum ejusdem hostibus, cum adsit consensio populorum maxima, sapientum & scriptorum in omnigena literatura illustrium autoritas, temporum cana vetustas, insitarum probationum nexus supra naturæ potestatem deductus, hisque gemella alia. Quæ quoniam ipsi pro miraculi veritate expensa sufficiunt, annectit insuper quædam, quæ, licet non eadem propemodum certitudine, nec eadem omnium fide recepta, nihilominus proferre e re lectoris judicavit. Hæc inter vero primum locum sibi vindicat dissertatiuncula: an *Januarii* sanguis in phialis sejuncta ebullitione nihilominus prodigiosus dicendus sit? Id quod Putignanus noster affirmat, ex ea imprimis ratione, quod post tot ætates priorem consistentiam sacer cruor integram & ab omnibus communis corruptionis calamitatibus indemnem servet, quod natura sanguini aliorum hominum præstare

[Marginal notes: C.XIV. p. 87---93. — XV, 93--99. — XVI, 99-139 — XVII, 109---116. — XVIII, 116---121.]

 stare

C.XIX. p. 12;---127. ſtare nequeat. Excipit hanc diſſertatiunculam alia de miranda ſanguinis in minori ampulla (quæ unde ortum habuerit, cum in principio una tantum affuerit phiala, teſtibus vel ipſis antiquioribus D. *Januarii* imaginibus, illum ipſum unam phialam manu tenentem ob oculos ſiſtentibus, latere fatetur,) mutatione quoad colorem, perſpicuitatem, intumeſcentiam, aliaque hujus notæ, quæ Autori A. MDCCXXII, ab Eccleſiæ Neapolitanæ Canonico, *Petro Marco Gyptio*, ad Aræ maximæ crepidinem deducto, XX, 127-134. coram cernere licuit. Tranſit dein ad ulteriorem miraculoſæ ebullitionis luſtrationem, & quidem, ex ea parte, qua miracula alias in duplex genus abire ſoleant, dum nonnulla a ſolo Deo omnem virtutem, quanta quanta eſt, in ſe experiantur, nonnulla ab eodem Moderatore imperium, a cœleſtibus vero miniſtris praxin, uti Noſter aſſeverat, ebullitionem ſanguinis citra ſpirituum cœleſtium miniſterium divinæ ſolius poteſtatis opus cenſendam, & in priori miraculorum claſſe reponendam eſſe, haud ſecus, ac primi parentis Adami procreationem, & proximam impii XXI, 134-139 cujusque hominis inſtaurationem ſalutis. Nec operæ eum piget, quam in demonſtrando prodigio circa ſanguinis collectionem impendit, multis verbis exaggerans, illam eodem martyrii die circumfremente adſtantium hoſtium multitudine factam, licet de colligente apud priſcos ſcriptores altum ſit ſilentium, donec opinio invaluerit, piam quandam fœminam Neapolitanam, vel in vicinia ortam, hac maſcula virtute præditam fuiſſe, ut tale facinus aggredi non dubitaverit, cujus tamen nomen ignorari, & proin quoque incertum eſſe, non diſſimulat, utrum hæc eadem mulier fuerit, quæ S. *Severo* Epiſcopo in ſolemni corporis *Januarii* translatione Puteolis Neapolin ſanguinem obtuliſſe dicatur, an alia ejusdem cruoris modo hæres & ſervatrix, qua de re pluribus XXII. 140---148. ſe ſequentibus partibus acturum eſſe pollicetur. Interea variis hiſtoriarum monumentis declarat, D. *Januarii* ſanguinem cum capite in tot temporum perturbationibus & religionis procellis maxime prodigioſa ratione intra Neapolin ſemper ſervatum eſſe, eo quoque exuviis ſancti Martyris admodum fatali bello, quo Sico Dux Beneventanus A. DCCCXVIII, corpus D. *Januarii* in pacis legem pactus, Beneventum detulerit. Quod divinum erga *Ja-*

nuarii

nuarii ſanguinem privilegium alio prodigio obſignat, ex Actis Eccleſiæ Neapolitanæ depromto, e quibus conſtare ſcribit, Cardinale Archiepiſcopo per idem tempus *Alphonſo Carafa*, vitreas ampullas lapſu cujusdam ſenis ſacerdotis projectas & per complures cochleæ cujusdam gradus ſubſilientes cœleſti miraculo non aliter integras manſiſſe, ac ſi nullatenus excidiſſent, neque ullum interceſſiſſet rei periculum. Nec ſicco pede præterit ebullitionis antiquitatem, ſed eam potius teſtimoniis ad A.MLXXXVI retro euntibus corroborare ſtudet, reliquorum autem ſeculorum usque ad cædem Martyris ſilentium partim ex ruditate & forſan etiam deperditis libris excuſat, partim ita adjuvat, ut ad cultum *Januarii* frequentiſſimum & populorum confluxum, ſævientis Veſuvii conflagrationes ejus ope repreſſas, vel a quinto ſeculo ex Græcorum traditione, plurium eccleſiarum tam intra Neapolin quam extra conditarum perpetuam devotionem, & numiſmata cum Sancti imagine per ætates illas Neapoli cuſa, magni animi confidentia provocet. Et quo tandem prioris ebullitionis veritatem autoritate majorum ſuffulciat, prolixe commemorat, cum D. *Severus*, Eccleſiæ Neapolitanæ Antiſtes, templo in *Januarii* honorem ante mœnia urbis extructo Martyris corpus e Puteolano agro die Dominica Kalendas Maji proxime attingente ſolemni pompa inferre voluerit, & multitudo poſt primum fere ab urbe lapidem non procul a pago Antignano ſubſtiterit, accidiſſe, ut mulier ſacri cruoris ſervatrix, quæ in illo habitaverit, ad Severum acceſſerit, hac mente, ut eidem tam pretioſum pignus offerret. Quo exempto & juxta Martyris oſſa, quoad ſupplicantes reverterentur, depoſito, conſpectam eſſe paulo poſt neſcio quam ſanguinis motionem & effervescentiam, eoque a Severo rei miraculo obſtupefacto cum ſingulis oſſibus collato, innotuiſſe tandem, capitis congreſſu ſanguinem ebullire, cum Capacio, Summontio, aliis, perhibet, & adeo priorem ſanguinis ebullitionem in Severi ætatem rejicit, licet quidem, quibus ille vixerit temporibus, non ſatis poſſit definire.

C. XXIII. p. 148---156.

XXIV. 156---162.

JOANNIS ANTONII VULPII CARMINUM Libri tres. Ejus item Opuſcula ſoluta oratione ſcripta,

quæ variis in Voluminibus dispersa ad hoc tempus legebantur. Accessere eruditorum quorundam Virorum, quibuscum ipsi amicitia intercedit, Poemata nonnulla: nec non, JOANNIS ANTONII VULPII, antiquioris, Patricii & Episcopi Novocomensis, ac HIERONYMI, ejus fratris, Carmina, quæ supersunt.

Patavii, excudebat Josephus Cominus, 1725, 4.
Alphab. 2.

SErvant adhuc Latii Musæ priora vestigia, & quamvis per orbem terrarum digressæ, etiam Italorum terras, patrium solum, habitant. Illud, cum recentissimis summorum ingeniorum, qui in Italia de optimis litteris bene merentur, exemplis, tum Cl. *Joannis Antonii Vulpii* virtute ac studio, & hoc, quem indicavimus, libro imprimis, comprobatur. Erectæ & præclaræ in-
p. 325. dolis hereditas ipsi a studiosissimis harum litterarum majoribus, quos partim ipse commemorat, & nos subinde laudavimus, tradita est. Illam in optimas litteras colendas propagandasque insumpsit; quam laudem etiam cum Cl. Fratribus, *Joanne Baptista*, & *Cajetano* atque *Josepho Vulpiis* maxime, qui illarum re-
59. rum curæ se totos dederunt, pie & humaniter communicat. Prior pars hujus operis *tres Carminum Libros* complectitur, in quibus tam insigni virtute valet, ut, quanquam in omni genere dicendi non mediocriter versatus sit, tamen imprimis factus ad Poetarum studia, & mirifice a natura ad illum laborem subeundum comparatus esse videatur. Hæc certe *subito calore a se adolescente effusa, acri deinde lima perpolita, & ad normam elegantissimorum scriptorum severe exacta esse*, ipse in dedicatione operis affirmat.
8. Quod illum maxime impulit, ut hæc sua colligeret, & hominum doctorum de illis judicium experiretur, *cum pigeret illa domi semper contineri, & ex lucubrationibus illis nullum fructum redire ad autorem*. Elegorum studio præcipuo ducitur, quo genere numerorum frequentissime usus est. Vix enim tria Heroica,
9. unicum Jambicum, Elegiis suis interposuit. Si ipsum testem audias, Tibulli Veneres, candorem, incorruptamque Latinitatem potissimum secutus est, neque idcirco Propertii nervos, eruditio-

nem,

nem, peregrinos colores, aut Ovidii copiam ingeniumque adſpernatus, & optimum quemque ſibi ad imitandum propoſuit, utque intelligeret, quid tantis conatibus egerit, rem ipſam rectis harum litterarum exiſtimatoribus permittit. Quæ laudes ipſæ cum præcipuæ ſint, & ſummæ, aliud a nobis addi vix poteſt, quam, ut ipſum ſolviſſe fidem, neque hæc temere affirmaſſe, neque, quod accidit multis qui ſibi optimi videntur, amplius ſperaſſe de rebus ſuis, quam illæ ferant, profiteamur. Totus certe ad tenerrimi affectus ſignificationem compoſitus eſt, & flere imprimis poteſt cum gratia inſigni: ut non ſolum a natura vehementer excitari, ſed ab ipſo etiam ſolo, quod tot præclara ingenia provocavit & aluit, invitatus ad carmina, & ab omnibus Muſis in illo conſilio confirmatus eſſe videatur. Bene cum ipſo actum eſt, quod nulla neceſſitate rerum ſuarum, aut temporis advocatus eſt ad canendum, ſed indulgere ingenio potuit, & quandocunque, aut prout viſum eſt, impulit animum ad ſcribendum. Videtur enim naturæ impetum ſecutus, neque ex caſu aut fortuna, ſed ex animi deſiderio materiam carminis elegiſſe. Namque liberum eſt ingenium Muſarum, quod a ſuo ſenſu, & ſtudio non facile deducitur, ſed ſuas opportunitates obſervat, atque ſponte ſuſcepta exſequitur cum contentione. Quorum vero ſcribendorum neceſſitas nobis ab aliis impoſita eſt, coacta ſunt plerumque, & elumbia, & invita Minerva, murmurante Phœbo, effunduntur. Præterea illud in Cl. *Vulpio* mireris, quod non ſolum pulchre invenire, ſed inventa etiam perſequi, & totum argumentum abſolvere, atque ita omnes partes implere poſſit, ut vix videatur, illis, qui de eadem cauſa ſcripturi ſint, materiam dicendi reliquiſſe. Adeo diſſimilis eſt illis, qui, cum ingenio valeant, per omnia vagantur, millia trecenta uno ore effari cupiunt, ſed in uno argumento plenius verſari & perſeverare neſciunt, omnia manca & imperfecta relinquunt. Audias illum, cum Pholoen, amores ſuos, febri laborare accepiſſet, pro ſalute puellæ officioſiſſime ſupplicare; modo Promethea, autorem tantæ peſtis accuſat, qui poſtquam ignem Diis ſurripuit,

p. 7 ſub fin.

3 ſqq.

— — — nova febrium
Terris incubuit cohors:

modo

modo Proserpinam obtestatur, ut parcat crinibus amicæ, quibus ab ipsa succisis, mortis præsentissimum periculum effugere non possit; modo Medicorum inscitiam accusat; mox in se ipsum convertitur, & damnat cytharæ studium, accusatque segnitiem ingenii, quæ ab herbarum studio ipsum avocarit, quas jam amicæ aptissime adhibere posse videatur; modo ad ipsum Phœbum, familiarissimum sibi numen, cytharæque & medicæ opis potentissimum, confugit; modo, quæ est natura timentium, pessima quæque sibi fingit; modo ad spem certiorem se erigit; denique puellis Poetas imprimis commendat, qui non solum numeris & modulis ipsas juvare, sed, cum Phœbi sacra sequuntur, etiam ægrotantibus Phœbum ἀλεξίκακον ipsis conciliare possint; Phœbum a Poetis maxime exorari debere, & sine illorum ope puellas sanari non posse docet, ita vatum studia ut magni faciant, monet: hæc omnia tam diligenter exsequitur, ut dicere possis, ipsum omnes officii sui partes studiosissime obiisse. Copulativa particula ET crebrius utitur, interdum etiam, cum comma subsequens antecedenti, ejus ope, connectere cupit, illam non ab initio sententiæ collocat, sed aliquot vocibus commatis conjungendi postponit, ut in illo:

p. 5. *Adsit at ille frequens, validas ET misceat herbas,*

item in hoc:

7. *Suavius ET verno rident in gramine flores,*

& alio loco:

31. *Congressus vestros ET sibi quæque petet,*

in quibus vocula ET voces, *validas*, *suavior* & *congressus vestros*, præcedere debere, & si postponatur, naturalis ordo & facilitas, cui in elegia imprimis danda est opera, inverti & perturbari videtur. Quanquam enim Poetis aliquid, numerorum & aurium causa permittendum est, & sermonis Latini ea est libertas, ut ordo verborum certa lege definiri non possit; vix tamen illud in copulis licere, multi existimant, quæ, tanquam nervi quidam, totius orationis corpus continent & conjungunt. Copulam QVE, uti Græcorum TE, semper subjungi novimus; copulam ET, cum geminata est, ut in illo Maronis:

— *qui*

— — — — *qui fœdere certo*

Et premere & laxas sciret dare jussus habenas,

non semper commata inchoare, sed subinde etiam aliquot vocibus commatis novi postponi constat inter omnes: sed ubi vocula ET sola est, & commata conjungit, creditur, illam sub initium commatis connectendi ponendam esse. Neque tamen dissimulari potest, etiam optimos Poetas, atque adeo Virgilium subinde, quamvis rarius, particulam ET, aliquot voculis novi commatis subjunxisse, quod vel ex Ecl. II, v. 10:

Thestylis ET rapido fessis messoribus æstu,

item ex Æn. IIII, v. 418:

Puppibus ET læti nautæ imposuere coronas,

comprobatur, in quibus vocula ET videtur sententiam inchoare debuisse. Tanto certius illa ferri possunt, quæ de Cl. *Vulpio* monuimus, cum & rarius hæc in ejus Carminibus obveniant, & antiquorum autoritate comprobentur. Hæc de carminibus dixisse sufficiat, quæ antiquitatis ingenium sapiunt, & poni possunt in exemplo. Subjecit illis prosaica quædam scripta, *ut*, quod ipse non diffitetur, *maximi pro litterarum dignitate ab ipso continuis octo annis exantlati labores facilius cognoscantur.* Illa sectione, Andreæ Naugerii, Actii Sinceri Sannazarii, Vitas, Dissertationem in Lucretiam, & XIV Dedicationes atque Præfationes complexus est. De quibus, cum jam omnia, ipso teste, in variis antea Libris, ejus cura & sumptu editis, eruditorum suffragiis probata legantur, nostrum judicium non exspectat. Extremo etiam pietati in patriam & suos aliquid dandum esse, & frigidas injurias quorundam, quibus Italos lacessunt, non conviciis, sed ipsa vi, & splendore veritatis obtundendas existimavit. Credidit amicorum quorundam poemata, quæ, nisi ipse obstitisset, ferme autorum verecundia suppressa & oblitterata essent, Italorum studium, quo in has litteras incumbunt, extanti monumento indicare: quo consilio *Joannis Chacotii*, Vicentini, *Francisci Zanotti*, Bononiensis, *Matthæi Burdegati*, Patavini, *Dominici Lazarini de Murro*, Maceratensis, & *Joannis Antonii Vulpii*, antiquioris, Patricii & Episcopi Novocomensis, Poemata, quibus vita ejus præmissa est, extremo *Hieronymi Vulpii*, Cosmographi suo tempore excellen-

p. 101 sqq.
In Dedicat.
10.
9.
ibid.
257.
284.
307.
319.
325.

 tissimi,

p. 363. tiſſimi, *Joannis Antonii* Fratris, Epigrammata nonnulla, in unum faſciculum conjecit.

NIC. HIER. GUNDLINGII, JCTI, LOGICA ſeu Ars ratiocinandi genuinis fundamentis ſuperſtructa & a præſumtis opinionibus vacua. Editio ſecunda auctior & emendatior.

Halæ, in officina Rengeriana, 1726, 8.

Pl. 17.

EJUSDEM ETHICA SEU PHILOSOPHIA moralis. Editio ſecunda auctior & emendatior.

Halæ, in offic. Renger. 1726, 8.

Pl. 14.

INter nobiliores acutioresque noſtri ævi philoſophos cum jure ſuo referatur Illuſtris Autor, noſtrum eſſe ducimus, haſce Logicæ Ethicæque inſtitutiones, quæ primum editæ ſunt A. 1713, exhibere orbi literato. Etſi enim hic primæ duntaxat lineæ ducuntur, non ſingula uberiori diſputatione excutiuntur, reſervata quippe copioſa ſingularum theſium explicatione ſcholis privatis, paucis tamen hinc excerptis ex ungue leonem cognoſcere noſtris licebit lectoribus. Ac Logica quidem, cujus accuratior cognitio in Præfatione commendatur etiam atque etiam tribus abſolvitur Libris, quorum *primo* de ideis agitur earumque variis generibus, itemque de ignorantia ejusque cauſis; *ſecundo* de propoſitionibus earumque diſtinctionibus variis, de primis principiis, de præjudiciis, de definitione ac diviſione; *tertio* de methodo cum analytica, tum ſynthetica, de ſyllogismo, de arte docendi ac diſputandi, de methodo denique aliorum ſcripta legendi. Exhibetur etiam Hiſtoria Logicæ, ultimo ſingulorum librorum capite per partes breviter & concinne tradita. Loco ultimo adjicitur *Allocutio* ſatis longa *ad inimicos*, hoc eſt, & ad Jeſuitas Trevoltienſes & ad antagoniſtam quendam Halenſem hujus Logicæ. Ut nonnihil depromamus ex hac Logica, perſpicuitatem ſectanti & utilitatem, adeoque a Scholaſticorum nugis remotiſſima, *p.7* negat Celeb. Autor, ideas dari innatas ingenitaque principia. *P.22 ſq.* dogma

Spi-

Spinozæ de unica substantia refellit & exagitat, &, quam turpi ratiocinatione is usus sit ad demonstrandam illam suam sententiam, docet. *P. 73* contendit, claritatem seu evidentiam esse criterium veritatis. *P. 88 sqq.* de primo principio veritatis pluribus agit, & adversarii cujusdam objectionibus satisfacere studet.

Ethicæ, in cujus Præfatiuncula dicit, se hac in editione plura in meliorem ordinem redegisse, aliqua immutasse, nonnulla detraxisse, quædam addidisse vel clariori ratione exposuisse, *Caput primum* est *de vita beata*, II *de voluntate humana*, III *de variis hominum bonis*, IV *de ineptis circa summum bonum disputationibus*, V *de immortalitate animæ*, VI *de summo bono*, VII *de Deo*, VIII *de voluntatis divinæ expletione*, IX *de virtute morali*, X *de temperantia*, XI *de æquitate*, XII *de vitio morali*, XIII *de conscientia*, XIV *de affectibus*, XV & XVI *de temperamento corporis & morum*, XVII *de physiognomia & morum characteribus*, XVIII *de libertate arbitrii*, XIX *de mediis recuperandi libertatem*, XX *de discrimine inter philosophiam Aristotelicam & hanc*, XXI denique *de dubiis quibusdam resolvendis*. Libet & hinc decerpere nonnulla *Pag. 6* contra eos, qui demonstrationes e philosophia morali ejiciunt, Celeb. Autor ita differit: *Utut hic nullæ occurrunt figuræ sensiles, quemadmodum in disciplinis mathematicis, tamen modi, quos ipsi mente præcidimus, tam sunt clari atque evidentes, quam numeri, quos certis notulis distinguimus. Quod vero signa numeralia præstant in quantitatibus, id nomina eorumque definitiones accuratæ in moralibus præstabunt. P. 14* ita definit *Bonum*: *Bonum est, quod est sine malo.* Addit, *bonum* esse conditionem sive statum medium inter voluptates & dolores, ac proinde, quicquid nos nimis vivide afficiat viresque nostras nimis propere adaugeat, malum esse. *P. 25 sq.* animæ immortalitatem naturalem demonstrari posse censet ex ejus immaterialitate. Quod si dicas, mentem ex sua natura immortalem fortasse a Deo destructum iri, ex desiderio infinito animæ humanæ indito concludit, eam haud redigi a Deo in nihilum, cum Deus & natura nihil faciat frustra. *P. 31*, refutatis Græcorum sapientum opinionibus, Deum statuit esse summum bonum. *P. 37 sqq.* Raphsonum Anglum, Dei existentiam via causalitatis, quam

vocant, demonstrantem, acriter tuetur contra eum, qui ejus librum in his *Actis* nostris recensuit. *P.47 sqq.* de origine mali disputat contra Manichæos, eorumque objectionibus eruditissime satisfacit. *P. 51 sqq.* multis refutat Leibnitii doctrinam famosam de harmonia præstabilita. *P. 68* docet, *primam* & *unicam virtutem* esse, servare proportionem humanæ naturæ congruentem, eamque, quantum in nobis est, ad regulam perficere. Hanc putat merito appellari *Caritatem*. *P. 100* cum Hobbesio *spem* atque *timorem* facit affectus primarios. *P. 121* judicat, eos omni experientia videri destitutos esse, tum propria, tum aliena, qui negant, inter causas diversitatis ingeniorum referendum esse clima, hoc est, diversitatem aeris ac regionis.

JO. JOACH. LANGII, MATHEM. P. P. O. in regia Fridericiana, Dogma sanioris philosophiæ primarium de immortalitate animæ humanæ, ex ipso naturæ lumine demonstrabili, & evidenter demonstrata &c. Accedunt duæ Dissertationes historico-criticæ de Therapeutis & Essæis &c.

Hamb. & Halæ, apud Jonam Korte, 1725, 4.
Alph. 1.

CLarissimus Autor, celeberrimi Halensium Theologi filius, qui præsentes dissertationes, in Academia Fridericiana separatis temporibus habitas, uno hoc volumine conjunctim typis exscribendas curavit, nobilissimam de immortalitate animæ humanæ materiem, cum plerosque viros eruditos nonnisi e sola revela-
In Præf. tione illius ἀπόδειξιν derivare animadvertisset, ex sanioris emendatæque rationis lumine, contra hodiernos impietatis magistros, qui *Athei* & *Naturalistæ* vocantur, mathematica quadam ratione demonstrandam sumsit.

Continentur vero hoc libro quinque dissertationes, in qua-
p. 1-16. rum *prima* ea, quæ ex ipsa mentis humanæ indole naturaque de-
17-39. promi postulant, in *altera* vero aliunde decerpta, proponuntur
40-83. rationum momenta. *Tertia* & *quarta* objectionum variarum, quas inter potiores sunt, quæ a *temperamento corporis*, & ab *ani-*

mæ

ma brutorum animantium desumuntur, ex interioribus philosophiæ penetralibus petitas confutationes exhibet. *Quinta* denique, p.84–98.
eaque ultima, est veluti practica, quæ antecedentium quatuor Dissertationum quasi theoreticarum genuinam applicationem ob oculos ponit, singularemque monstrat, quæ in moralem doctrinam, & Theologiam naturalem ex illo dogmate redundat, utilitatem. Ubi cumprimis notari meretur, *exsistentiæ Dei* demon- 27 & 87.
strandæ ex immortalitate animæ humanæ deduci argumentum. Subnectuntur *duæ* præterea *dissertationes historico-criticæ*, qua- 99–139.
rum *prior* de *Therapeutis*, viris olim in Ægypto circa Alexandriam sapientiæ studio deditis, præcipit, qui peculiarem quandam, tametsi hæc pervulgata sententia est, in gente Judaica constituisse sectam negantur, locisque ex Philone atque Josepho excerptis evincitur, eos fuisse philosophos gentiles proselytorum instar judaizantes. Vindicatur hæc inusitata hypothesis adversus celeber- 129–139.
rimi *Heumanni* eruditas objectiones, & contra Frid. Car. Zinckium. In *posteriori* de *Essæis*, Palæstinæ ac Syriæ quondam philoso- 140–166.
phis, ex instituto agitur, iidemque non Judæi, verum gentiles etiam fuisse Therapeutarum more judaizantes, additis rationibus, perhibentur.

Quod reliquum est, in præmisso præfamine ipse doctissimus 100.
profitetur Autor, se a parente suo, Theologo harum rerum peritissimo, novam hanc opinionem, cum historiam Seculi post Christum natum primi ecclesiasticam tradidisset, accepisse, uberiusque postea excussam publicæ exposuisse luci.

ROBERT OF GLOCESTER'S CHRONICLE.

h. e.

ROBERTI GLOCESTRIENSIS CHRONICON, sive historia Angliæ metrica, e MS. Bibliothecæ Harleyanæ transscripta, & nunc primum edita a THOMA HEARNE, M. A.

Volumina II.

Oxoniæ, in Theatro, 1724, 8 maj.

Alph. 4 pl. 8.

CHronicon hoc, quod non nisi imperfectum & frustatim adhuc publice visum est, indefessus antiquitatum patriarum indagator, *Cl. Hearnius* nunc prima vice integrum e MSS. illustrissimarum bibliothecarum, Harleyanæ ac Cottonianæ, descriptum, orbi literato sistit, & quidem novo plane instituto, literis Gothicis, quas Angli *Black letters* vocant, characteribus Saxonicis subinde intermixtis, expressum, ut eo magis archetypum referat. In præfatione, per varias digressiones ad paginas usque nonaginta quatuor excurrentes, initio utilitatem hujus operis in studio veteris linguæ Saxonicæ & antiquitatum Britannicarum Editor commendat. Pag. 50 laudat poesin autoris sui, quam versibus Pythagoræorum comparat, ipsumque Ennium nationis Anglicæ salutat. A pag. 67 usque ad finem in cognomen & patriam, nec non ætatem Roberti inquirit, & illa quidem plane ignorari fatetur, hanc vero cum regno Eduardi I coincidere probat: ipsum postea Chronicon notis perpetuis & variantibus lectionibus continuo adornat. Adjecta quoque sunt additamenta quædam, si non necessaria attamen rariora, e. g. de *mirabilibus Britanniæ*, ex veteri membrana; *Fundatio Abbatiæ Glocestriensis*, Autore *Wilhelmo Malverne*, monasterii illius Abbate, præsertim vero *Glossarium* maximæ utilitatis ad intelligendum scriptum, cum antiqua, tum poetica dictione satis obscurum, quæ omnia *Indice & catalogo operum Hearneanorum* hactenus impressorum clauduntur. Impensæ, quibus hoc opus, in charta non turpi, charactere nitido, expressum, constitit, a subscriptoribus coactæ sunt, quorum nomina post præfationem ordine alphabetico enumerantur.

PETER LANGTOFT'S CHRONICLE.

h. e.

PETRI LANGTOFTI CHRONICON rhythmicum, a morte Cadwaladeri, usque ad finem regni Eduardi I Regis, illustratum & auctum a Roberto Brunnensi,

nensi, nunc primum editum e MS. bibliothecæ Templi interioris, opera THOMÆ HEARNII *M. A.*

Volumina II.

Oxonii, e theatro Sheldoniano, 1725, 8 maj.
Alph. 3 pl. 23.

REperiet in hoc libro, eodem plane modo, quo Chronicon *Roberti Glocestriensis* concinnato, omnia alia lector, quam quæ in eo quæsiverit. Neque enim *Langtofti* carmen hic exhibetur, quod Gallice scriptum est; sed *Roberti Manningii*, vulgo *Brunnensis* dicti, barbara versio, quæ ipsa, cum omnibus illustrationibus & augmentis suis, vix tertiam partem operis a Cl. Hearnio editi efficit. Reliquum corpus constituunt partim prolixa præfatio, cum viginti appendicibus & longo subscriptorum catalogo paginas 232 implens, partim variæ mantissæ, velut inviti, quod ajunt, boves in plaustra, huc inductæ, pleræque tamen lectu dignissimæ. Perplacet imprimis copiosum *Glossarium* operi subjunctum, sine quo, vel ab Anglis, hoc Chronicon difficulter intelligeretur.

VICARIA LEODIENSIS,

OR THE HISTORY OF THE CHURCH of Leedes.
sive

HISTORIA ECCLESIÆ OPPIDI LEEDES, in provincia Eboracensi, Autore RADULPHO THORESBY, *Leodiensi.*

Londini, apud Joann. Smith, 1724, 8.
Pl. 16½ cum 2 mappis Geogr. & 3 Tabb. æn.

DEscribuntur hoc libello, Viro summe Reverendo *Guilielmo*, Archiepiscopo Eboracensi, Primati Angliæ & Metropolitano, ab Autore dedicato, vitæ *Vicariorum*, qui ab A. 1242 usque 1724 Ecclesiæ Leodiensi, vulgo *Leedes*, in parte Septentrionali Angliæ, præfuerunt, quorumque catalogus p. 13 & 14, quasi in tabula, ita propemodum sistitur:

Temp.

Tempora Institutionis.	*Vicarii.*	*Vacat.*
1242	Alanus de Shirburn,	per mort.
2 Kal. Sept. 1250	Joh. de Feversham,	— —
2 Kal. Jun. 1281	Galfried de Sponden,	— —
8 Kal. Nov. 1316	Gilbert Gaudibus,	per resign.
15 Kal. Mart. 1370	Alan. de Berwick,	— —
1 Mart. 1392	Wilh. Mirfeild,	— —
12 Jun. 1394	Joh. Snagtall.	per mort.
29 Nov. 1408	Rob. Passelow,	— —
	Rob. Newton,	— —
12 Mart. 1418	Wilh. Saxton,	per mort.
20 May 1424	Joh. Herberd,	— —
	Jac. Baguley,	per resign.
1 Mart. 1430	Thom. Clarell,	per mort.
17 Aug. 1470	Wilh. Evre,	per resign.
21 Mart. 1482	Johannes Ep. Roffensis.	per resign.
29 Sept. 1499	Mart. Collyns.	per resign.
27 Jun. 1500	Rob. Wranwash,	per mort.
9 Aug. 1508	Wilh. Evre,	— —
	Joh. Thompson,	— —
	Joh. Thornton,	per resign.
26 Octob. 1556	Chr. Bradley,	per mort.
22 Aug. 1559	Alex. Fascet,	per mort.
18 Dec. 1590	Rob. Cooke,	per mort.
17 Jan. 1614 } 19 Dec. 1615 }	Alex. Cooke,	per mort.
4 Jul. 1632	Henr. Robinson,	per resign.
Apr. 1646	Petrus Saxton,	per mort.
1652	Wilh. Styles,	per mort.
21 May 1661	Joh. Lake, Episc. Cicestrens.	p. cession.
5 Nov. 1663	Marma Cooke,	per resign.
2 Aug. 1677	Johannes Milner,	p. abdicat.
Aug. 1690	Joh. Killingbeck,	per mort.
6 Mart. 1715	Josephus Cookson.	— —

Sed

Sed fallitur, quicunque omnium horum Vicariorum vitas accurate enarratas in hoc opusculo quærit, pleræque plane omissæ, aliæ leviter tantum delibatæ, multa vero aliena & ad rem, quæ agitur, parum facientia, hinc & illinc inspersa sunt.

Corollidis loco adjiciuntur quædam probationes & documenta, inter quæ eminet *Johannis Thoresby*, Archiepiscopi quondam Eboracensis, A. D. 1373 fatis functi, quam, fortasse ob similitudinem nominis, diligentius, quam reliqua, Autor recenset, *Expositio Decalogi, Symboli Apostolici & Orationis dominicæ*. Addito tandem brevi *Glossario* & *Indiculo* satis perfunctorio, rivi clauduntur.

L. *JO. CONRADI SCHWARTZ, P.P. MONUMenta Ingeniorum hujus & superioris memoriæ, varii argumenti*

Coburgi, 1719, sequ. 8.

Alph. 1 pl. 8.

CL. Autor hoc libello tantum ea complecti voluit, quæ ab aliis nondum vel edita erant vel cogitata. Ita fit, ut nunc primum ex autographis prodeant in lucem epistolæ Jo. Gerhardi, Justi Feurbornii, Phil. Melanchthonis, Frid. Balduini, Mich. Ludovici, Jo. Hilperti, Martini Zeileri, J. G. Styrzelii. Nova autem inventa hic proponuntur vel philologica vel theologica. Ad Philologiam pertinent cogitata de furto per lancem & licium concepto, emendationes Siculi Flacci, Diogenis Laertii, Athenagoræ, Ciceronis, Tibulli, Propertii, Petronii, observationes quædam Geographiæ veteris, ellipses Græcæ linguæ Lamberto Bosio non animadversæ, explicatio tabulæ XLVIII Tomi I Antiquitatum figuris illustratarum a Montfauconio, explanationes ænigmatum quorundam Symposii, vindiciæ stili Novi Testamenti, natura particulæ ὥστε & particularum quarundam linguæ Latinæ, origo emblematum, nominis ἐνθουσιασμοῦ, opinionis cujusdam de spectris, ac de epilepsia Mohammedis, itemque proverbii *oleum & operam perdidi*, supplementa præceptionis de periodis, supple-

menta Thesauri Linguæ Græcæ ab Henrico Stephano editi, & Lexici Syriaci Gutbiriani. Ad Philosophiam pertinent cogitata de Philosophia orientali, de montibus providentiæ divinæ testibus, de institutione morali a Poetis non petenda, demonstrationes Dei Abrahamicæ & ex folio betullæ. Ad Theologorum fines magis pertinent interpretationes *Matth. XI, 12, 1 Cor. XI, 20, 21, 22, 2 Cor. VIII, 16–24*; item vindiciæ autoritatis Mosis, studium Bibliorum ante Lutherum, significatio nominis τέλειος & confutatio linguæ universalis Apostolorum. Admiscentur etiam quædam de Poireto, Bælio, aliis.

SOME OBSERVATIONS ON THE SEVERAL Methods of Lithotomy.

h. e.

OBSERVATIONES CIRCA DIVERSAS methodos Lithotomiæ, in Epistola ad D. JOHANNEM LANE exhibitæ a SAMUELE PYE, Chirurgo Bristoliensi.

Londini, apud W. & J. Innys, 1724, 4.

Plag. 3½ cum. fig. æn. Tab. 3.

QUatuor hactenus notæ fuerunt methodi, quibus vesicæ calculus ex adultis pariter ac junioribus extrahi fuit solitus, methodus scilicet majoris & minoris apparatus, Franconica, & Fratris Jacobi; quæ in eo a se invicem differunt, quod incisio modo in perinæo, modo in regione inguinali fiat. Primus, qui in inguine pone commissuram ossium pubis abdomen perforare docuit, fuit Franciscus Roussetus, quæ methodus jam in Anglia alteri præfertur, a Johanne Douglas introducta, nec sine successu a Lithotomis famigeratis, Cheseldeno, Dobynso, Bambero aliisque hactenus exercita. Cum autem operatio hæc periculo plena sit, quocunque modo extrahatur calculus, non semper uni eidemque methodo inhærendum,

dum, sed alterutram ex pristinis eligendam esse, tradit Autor in hisce Observationibus. Hinc monet Chirurgos, ut ne sine delectu corporis & temperiei peculiaris sectionem moliantur. Sic refert, in viro, vesicæ calculo mortuo, abscessum in hypogastrio, qui tumore insigni se manifestaverat, duosque calculos, quorum minor in scirrhoso & valde contracto sphinctere hæserat, item in mulieris vesica triginta tres calculos diversæ magnitudinis repertos fuisse, quos non nisi inciso perinæo eximi potuisse existimat. Imo asseverat, ex viginti quinque ægrotis, quos juxta veterem methodum a calculis liberaverat, non nisi quinque fatis cessisse, concurrentibus aliis circumstantiis, quæ prænosci non poterant, dum vel calculus rugis crassæ & scirrhosæ vesicæ nimis impactus ex illis expediri non potuit, vel sabulosa materia quotidie in magna copia ex renibus ad vesicam protrusa vulneris consolidationem impedivit, & fistulam generavit. Extraxit aliquando Noster calculum in juvene, facta in inguine apertura, in cujus cadavere tumorem amplum in duplicatura peritonæi a fundo vesicæ supra ureterem dextrum protensum atque saniem in cavitatem vesicæ fundentem detexit, in quo casu existimat, dum vulnus a media vesicæ parte ad os pubis usque fecit, digitum immissum forsan vesicam a peritonæo separasse, & abscessui ansam præbuisse. Consultius igitur esse autumat, si culter ab osse pubis versus superiora adigatur, ut symptoma tale præcaveatur, quod alio tempore successu non caruit. In additis figuris præter calculos diversæ magnitudinis & figuræ ex vesica extractos systema vasorum urinariorum pueri calculosi exhibet, ubi ren dexter cellulas a calculis & cretacea materia formatas monstrat, sinister vero totus consumptus, ureter ejusdem lateris insolitæ amplitudinis, & cervix vesicæ a calculo enormiter dilatata conspicitur.

ELOGIUM JO. ANDR. DANZII.

DOluit nuper, & adhuc dolet Jenensis Academia obitum celeberrimi Danzii sui, de Orientali literatura, si quis alius, præ-

clare meriti. Natus is fuit A. M D C L I V Kal. Febr. Sundhusæ, (vicus eſt prope Gotham) patre *Sebaſtiano*, prædii, quod ibidem eſt, & vulgo dicitur *der freye Siedelhof*, cohærede, ac matre *Anna Magdalena*, e gente *Gnügenia*. Literarum tirocinia poſuit in ludo Fridericirodano, in agro Gothano, inſtitutione uſus *Jo. Mich. Salzmanni*. Hinc in Illuſtre Gymn. Gothanum deductus, egregia indolis ſuæ ingeniique documenta dedit, totumque ſe in diſciplinam tradidit *Andr. Reyheri*. A. MDCLXXIII ad Vitembergenſem abiit Academiam, ibidemque celeberrimos Viros, *Paſcham*, *Donatum*, *Kirchmaierum*, *Schurzfleiſchiumque*, &, quod ad Orientis literas, quibus jam tum maxime capiebatur, attinet, *Hilligerum*, *Sennertum*, & *Daſſovium*, ex Theologis denique *Calovium*, *Meisnerum*, *Pomarium*, & *Waltherum*, quanta fieri potuit, contentione maxima audivit. Quam quidem diligentiam non poterant non conſequi debita præmia, quæ ipſi titulo ac dignitate Magiſtri Philoſophiæ a *Nic. Bened. Paſcha* A. MDCLXXVI decernebantur. Intelligebat autem, ſe ſingulari quadam cœleſtis ſapientiæ vi ad litteras Orientales excolendas trahi. Hamburgum igitur profectus, Cel. *Esdram Edzardum* adiit, ſimulque opera uſus eſt *Dav. Hieronymi*, Judæi converſi, qui in difficillimo libro Cabbaliſtico *Sohar* viam monſtravit. Uſus quoque eſt alio quodam Judæo Luſitano *Jacobo Fidanquæo*. Cum Vitembergam deinde rediret, *Jo. Benedictum Carpzovium* ſibi Lipſiæ conciliavit. In ipſa autem Vitembergenſi Academia brevi tempore moratus eſt, cœpitque alios ipſe Orientales literas docere, ita quidem, ut diſcentium commodis egregie conſuleret, nec exiguam ſibi pareret exiſtimationem. Poſtea Jenam venit A. MDCLXXX ac commendatus a Sereniſſ. Principe Gothano FRIDERICO, ſuisque virtutibus ornatus, omnium voluntates in ſe propenſas expertus eſt, adſcriptus quoque Ordini Philoſophorum. Non ceſſavit autem Theologos audire, *Bechmannum* maxime, & *Gœtzium*. Ut modum Gemaricum diſputandi addiſceret, *E. C. Zarvoſſi*, Judæi converſi, præceptione uſus eſt. Ita rebus adhuc feliciter geſtis, A. MDCLXXXIII migravit ad exteros. Ac ſplendida profecto fuit, quam ſuſcepit, peregrinatio. Belgium primum

mum perlustravit. Hic *Spanhemios*, *Hulsios*, *Moynios*, *Gronovios*, *Graevios*, *Leusdenios*, *Witsios*, *Leydeckeros*, salutavit. Amstelodami etiam nactus est eximium doctorem linguae Persicae, *Angelum de la Brosse*, gente Gallum, ac quondam Ordini Carmelitarum adscriptum, qui per septendecim annos in Persia functus fuerat Missionarii Apostolici munere. Frequentissime adiit quoque celeberrimos Judaeos, *Josephum Athiam*, & *David. de Pina*. Anno sequente ad Britannos trajecit. Londini cum versaretur, rogatus est a senioribus ecclesiae Germanicae, ut Gerhardo Martini, qui fracto crure suas ipse partes implere non poterat, in concionando opitularetur; id quod non sine laude & feliciter praestitit. In Oxoniensi autem Academia ab incomparabilis Viri *Ed. Pocokii* ore pependit, linguaeque Arabicae interiores rationes percepit. Familiariter quoque usus est *Ed. Bernhardo*, atque Judaeo celebri, *If. Abendana*. Cantabrigiae *Rad. Cudworthum*, *Henr. Morum*, *Jo. Spencerum*, *If. Newtonum*, *Edm. Castellum*, sectatus est. Cum audiret, Londini degere Arabem quendam, Damasci natum, statim ad eum se contulit, ut eo duce ac magistro omnes Arabicae linguae recessus pervestigaret, rectamque pronunciandi rationem disceret. Ubi ad Belgas rediit, non solum *Jac. Triglandio* in Rabbinicis commentationibus sedulo adfuit, sed dignus etiam judicatus est, cui in Academia Lugdunensi provincia orientales literas publice docendi traderetur. Ille autem, relicto Lugduno, pervenit Franequeram, & Groeningam, ac salutavit passim eruditissimos Viros *Rhenferdios*, *Vitringas*, *Wayenios*, *Perizonios*, *Braunios*, *Marckios*, aliosque. Tandem in Germaniam reversus, paulisper substitit, ac Hamburgi invitatus fuit ad concionem sacram habendam, eligendus, si voluissent fata, ad munus Diaconi in aede D. Nicolai. Helmstadii *Calixtos*, *Meieros*, & *Busmannos* salutavit. Postremo Jenae suae redditus, Sereniss. Nutritiorum clementia Professionem LL. OO. extraordinariam nactus est, posteaque in B. *Frischmuthi* locum successit. Anno vero MDCCX Theologiam quoque extra ordinem docere jussus est, ornatus ideo Doctoris Theologi axiomate, ac paullo post in ipsum Theologorum ordinem adscitus fuit. Singula munia praeclare obiit, ita quidem, ut

& multum commodi ad auditores, multum ornamenti ad Academiam, multum gloriæ ad eum ipsum redundaret. Ne quid prætereamus, A. MDCXCIII in matrimonium duxit nobilissimam Virginem, *Annam Hedwigam*, *Gabr. Lutheri*, Consiliarii Aulici Berolinensis, filiam, sed nullos ex ea liberos procreavit. Bibliothecam instruxit excellentem, variisque MSS. Orientalibus ornatam. Moribus fuit probissimis, & ad frugalitatem æque, ac severitatem compositis. Obiit tandem Vir Cl. d. XX Decembr. A. MDCCXXVII, fidem in Deum & Christum Servatorem pie testatus. Scripta ejus non tam numero multa, quam doctrina sunt egregia: *Nucifrangibulum Ebr. linguæ*; *Aditus Syriæ reclusus*; *Literator Ebræo-Chaldæus*; *Interpres Ebræo-Chaldæus*; *Rabbinismus enucleatus*; *Compendium Grammat. Ebr. Chald.*; *Paradigmata Nominum & Verborum*; *Davidis in Ammonitas devictos mitigata crudelitas*; *Sinceritas Scripturæ V. T.*; *Inauguratio Christi ad docendum*; &c. Tacemus Disputationes, & Programmata. Ac de Disputationibus monemus, nonnullas Thesauro Theologico-Philologico Amstelodamensi insertas esse, licet id B. Autori minus placuerit. Monemus etiam, varia scripta in scriniis ejus relicta esse, & inter hæc *Commentarium in Matthæum*, & alios quosdam V. & N. T. libros, observatis ubique Ebræorum antiquitatibus. Optandumque foret, ut ea propediem adhibita cura in lucem prodeant.

ELOGIUM DAVIDIS NERRETERI.

NAtus est Norimbergæ anno Christi MDCXLIX die 8 Febr. patre *Petro Nerretero*, Seniore Civium (*Genannter*) matre vero *Anna Maria Buggelia*. Prima studiorum rudimenta posuit in Schola patria Laurentina, post ad Gymnasium provectus, ubi magnam de se spem excitavit. Altdorfium petiit A. MDCLXIIX, Philosophiæ & Theologiæ operam sedulam navans, Sturmioque præcipue familiariter utens; quo factum, ut post breve tempus a Sigismundo Betulio Poeta Laureatus, membrum item Societatis Pegnicensis sub nomine *Philemonis*, renunciaretur. Altdorfio Regiomontum abiit, Theologiæ studium sub Dreiero, Zeidlero

&

& Grabio continuaturus, ubi A.MDCLXXII summos in Philosophia honores nactus, dissertationem publicam *de origine fontium* defendit. Inde non sine periculo in Sueciam navigavit, & Holmiæ pariter & Upsaliæ, quæ notatu digna sunt, lustratis, Loccenii præcipue & Schefferi commercio delectatus est, qui ipsi varia Lapponica & alia notatu digna, una cum Bibliothecis publicis & privatis, ostenderunt. Præcipue autem delectatus est inspectione Codicis argentei, qui Evangelia lingua Gothica complectitur, & ab Ulphila conversus fuisse vulgo creditur. Ex Suecia Narvam perrexit, & Johannopolim *(Ivanogorod)* ubi ad ritus Ecclesiæ Græcæ pernoscendos animum applicuit, ipsam quoque Moscuam hac de causa in comitatu Legati Suecici aditurus, nisi litteris parentum revocatus fuisset, quorum voluntati non parere religioni sibi duxit. Patriæ igitur redditus, Altdorfium adiit, scholas suas juvenibus aperuit, & familiaritate Virorum doctorum ibidem degentium delectatus est. Postea a Sturmio & Wülfero commendatus est *Benedicto Bockio*, Superintendenti Generali & Concionatori Aulico Principis Oettingensis, ut A.MDCLXXVII Dominica prima Adventus Diaconus Aulicus Oettingæ constitueretur. Anno sequenti conjugem duxit *Dorotheam Felicitatem*, laudati Bockii filiam, cui pridie illius diei, quam in domum Parentis primum ingressus est, species illius per somnium visa est. Suscepit vero ex illa conjuge, cum qua per XLVIII annos suavissime & sine querela vixit, liberos XIV, ex quibus filii duo, filiæ vero quatuor superstites fuerunt. Ex filiis major natu *Jacobus Bernardus Benedictus*, Ser. Regis Borussiæ Consiliarius Aulicus, Berolini degit: minor *Joannes David*, Pastor Caseburgensis & Suinensis in insula Usedomensi gregem Christi procurat. A. MDCLXXXI Oettingæ Diaconus urbicus, post biennium Consistorii Assessor, & A. MDCLXXXVIII Superintendens Specialis & Consistorialis in *Kloster - Kirchheim* constitutus est, & quidem eo ipso tempore, quo Feuquierius Gallorum Dux cum copiis per totam Franconiam & Sueviam vagabatur. Igitur Noster conjugem cum liberis a se dimittere, & solus varios hostium insultus perferre cogebatur. Accidit autem,

bello

bello durante, ut Senatus Norimbergensis Princeps, Justus Christophorus Kress a Kressenstein, qui ipsum patriæ restituere cupiebat, ipsi Diaconi munus ad ædem S. Spiritus offerret, & licet contra omnem rationem videretur spreto munere summo ad dignitatem exiguam adspirare, is tamen ab Aula Principis sui dimissus Norimbergam petiit. Anno autem exacto ad ædem D. Laurentii & post breve tempus ad munus Pastoris Wehrdæ promotus est. Ibi tempus, quod a laboribus publicis vacuum erat, studiis litterarum impendit, & germanico sermone plura volumina edidit, scilicet *Hodegum ad felicitatem temporalem & æternam* (Wegweiser zur zeitlichen und ewigen Glückseeligkeit) *Historiam universalem* usque ad natum Christum ad Weigelii Chalcographi *Delicias imaginum* (Bilder-Lust) porro *Templum Judaicum & Gentile, Moscheam Mohammedanam*, cui subjecta est versio Alcorani Germanica e Gallica Ryerii expressa, *Theatrum Ecclesiæ Christianæ militantis, sed nunquam vincendæ.* Quod opus postremum quum Friderico I Regi Borussiæ dedicasset, & conjunctionem Ecclesiarum sejunctarum pollicitus esset, factum est, ut, mortuo Gunthero Heilero, Superintendente Pomeraniæ ulterioris Generali, A. MDCCIX in locum illius sufficeretur. Stargardiam igitur, Norimberga relicta, petiit & munus cum laude gessit, & Ecclesias visitando egregiam Pomeraniæ operam navavit. Exigua quædam opuscula, usu publico id requirente, conscripsit, nempe *Scholam Catecheticam αὐτοδιδάσκουσαν*, (*selbst-lehrende Catechismus-Schule*) & *Necessariam Ecclesiarum Christi conjunctionem*, quæ consilia henotica ad conciliationem Ecclesiæ Lutheranæ & Reformatæ subministrat. Scripsit quoque *de fatis Ecclesiæ Græcæ*, quod opus ad umbilicum equidem perductum, nondum tamen editum est. In sacra præterea poesi vires periclitatus est, sic, ut inter Hymnopœos non omnino nullus ipsi locus concedendus sit. Tandem senio & morbo confectus obiit d. 5 Julii cIↃ IↃ ccxxvi, hora VI vespertina, ætatis A. LXXVII mensibus fere V. Elatus est sine pompa, ut præceperat, in templo Mariano humatus, sermonem parentalem habente *Zieroldo*, vitam autem in Programmate vernaculo enarrante *Schœttgenio*.

):(o):(

ACTORUM ERUDITORUM,

Quæ Lipsiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. IX Sect. X.

DE VITA ET REBUS GESTIS SERENISS. Principis Mariæ, Scotorum Reginæ, Franciæ Dotariæ, quæ scriptis tradidere Autores septendecim; ad optimæ fidei codices recensita a SAMUELE JEBB.

Tomi II.

Londini, impensis Jac. Woodman & Dav. Lyon, 1725, fol. Alph. 14 pl. 18 cum Icone Mariæ & Genealogia Regum Scotiæ æri incisa.

ETsi gratiam novitatis prope exuisse videatur hic liber, ne tamen indictum relinqueremus, tum materiæ gravitas (anceps enim etiamnum est quæstio, reane Maria Scotiæ Regina fuerit criminum, quorum accusata est, an innocens) tum illud suadet, quod ille in paucorum manus, saltim extra Angliam, pervenerit, quippe subscriptionis lege editus. Et quamvis Cl. Editor magis ad tuendum Reginam, quam ad accusandum pronus videatur, ut tamen de veritate eo liquidius constet, utriusque Partis scripta exhibet, in quibus digerendis ita versatur, ut Tomo I primum ea, quæ titulum spectant sive jus Reginæ ad Regnum capessendum, deinde rerum in Scotia in minori ejus ætate, cum Regni administratio penes Regentem esset, gestarum historiam, tertio criminationes & argumenta eorum, qui eam adulterii ream & parricidii consciam fuisse, probare contendunt, denique scripta, quæ hujus generis calumnias abstergunt & Mariæ innocentiam defendunt; Tomo vero II illorum scripta exhibeat,

hibeat, qui vel de vita Reginæ ſpeciatim, vel de ejus morte & doloribus commentati ſunt.

Habes itaque Tomo Primo I *Davidis Chambre*, Scoti, in curia Parliamenti Edinburgenſis Conſiliarii, libellum *Diſcours de la legitime Succeſſion des Femmes aux Poſſeſſions de leurs Parens, & du Gouvernement des Princeſſes aux Empires & Royaumes*, ejus operi paulo majori & parum obvio, qui ſub titulo: *Hiſtoire abregée de tous les Rois de France, Angleterre & d'Ecoſſe*, Paris. 1569 8 proſtat, ſubjunctum. Nimirum jam antea nonnulli, qui ægre ferebant, ſub Maria, Pontifici & Concilio Tridentino nimis addicta, Reformationem in Scotia lente procedere, partim, ut Jo. Knoxius, id agebant, ut fœminarum in Republ. autoritatem improbarent, quippe naturæ legi & ipſi divinæ conſtitutioni contrariam, partim cum Jo. Haleſio, qui tamen ideo ab ipſa Eliſabetha in vincula conjectus eſt, Mariam alienigenam & hæreditatis in Anglia potiundæ incapacem aſſerebant. Quorum adeo Autor hic argumenta collegit, non plane omiſſis, quæ contra Knoxium Jo. Ailmerus Epiſc. Londin. & contra illum pariter ac Haleſium Morganus Philipps, Anglus, ſed tum ob religionem Duaci exul, ediderunt. Sequitur, qui in defendenda Maria totus eſt, *Jo. Leslæus*, Epiſc. Roſſenſis & ipſius ad Eliſabetham tunc temporis Legatus, II *de titulo & jure Ser. Principis Mariæ Scotorum Reginæ, quo Regni Angliæ ſucceſſionem ſibi juſte vindicat*, cum Parænesi ad Anglos & Scotos; item III *de illuſtrium fœminarum in Republ. adminiſtranda & ferendis legibus autoritate.* Quibus Noſter IV ex ejusdem *Leslæi de origine, moribus & rebus geſtis Scotorum* Libris X ultimum, quo Mariæ ſuæ ad reditum usque e Gallia hiſtoriam complexus eſt, adjungendum putavit; quem Autorem dum non diſſimulat portenta nonnunquam immiſcuiſſe, notat prodigiorum feraciſſimam eſſe Scotorum hiſtoriam, vel ipſo teſte Hectore Boethio. Succedit V virulentus ille libellus: *Detectio Mariæ Reginæ Scotorum*, ſeu, ut porro habet titulus, *de Maria Scot. Reg. totaque ejus contra Regem conjuratione, fœdo cum Bothuello adulterio, nefaria in maritum crudelitate & rabie, horrendo inſuper & deterrimo ejus parricidio, plena & tragica plane hiſtoria*, una cum addita *Actione contra Mariam*,

in

in qua ream & consciam esse eam hujus parricidii, necessariis argumentis evincitur, ut & *Litteris Reginæ ad Bothwellum scriptis*. Qui liber, circa A. 1571 editus, etsi nec Autorem, nec locum, aut annum impressionis præferat, haud dubie tamen a *Georgio Buchanano*, jussu Moraviæ Comitis, conscriptus est, qui tamen nec Scoticam nec Gallicam versionem ipse concinnasse videtur. Ceterum Noster contra Restitutorem Thuani, quisquis ille fuerit, Addit. ad T. III p. 582, luculenter probat, Buchananum utique morti vicinum seriam pœnitentiam egisse, quod præter Camdenum & Stradam testatus fuerit David Buchananus, qui lecto moribundi olim adstitit. Etenim cum anno statim sequenti 1572 versio ejus Gallica, ab Advocato quodam Pictaviensi adornata, prodiisset, sub titulo : *Histoire Tragique de Marie Royne d'Ecosse*, cui varia monumenta alia Reginæ probrosa accessere, Noster hæc quoque omnia sexto loco dedit. Sed & antidota mox subjunxit, nempe VII *Oberti Barnestapolii*, seu potius *Roberti Turnerii*, *Mariæ Stuartæ Reg. Scot. innocentiæ a cæde Darleana vindicias*, per modum Epistolæ ad Amicum in Germania commorantem, qui Buchanani autoritate motus haud insontem crediderit Reginam, scriptas & Col. 1627 impressas, quæ plus in nigro quam in rubro, ipsam nempe summam totius vitæ, quam in primis suæ juventutis annis exegerat Regina, omnis scilicet culpæ vacua, continent. Claudunt hunc Tomum duo libelli Gallici ἀνωνύμως editi, similis fere argumenti, quorum alter VIII, editus 1572, inscribitur : *L'Innocence de la tres illustre, tres chaste & debonnaire Princesse Madame Marie Royne d'Ecosse*; alter IX Anglice 1571 & Gallice 1572 editus : *Discours contre les Conspirations pretendues estre faites sur l'Etat d'Angleterre*; atque ille quidem calumnias Buchanani diluit, Darleanam cædem a Moravio Comite promotam, & Darleum juxta patrias leges morti fuisse obnoxium, quod subditus Reginam suam violasset & fidum ejus Consiliarium occidisset, ad nuptias porro cum Bothvellio contrahendas etiam invitam impulisse Moravium, nec in eas tamen prius illam consensisse, quam ipse fuisset a suspicione cædis judicum sententia absolutus, literas vero Reginæ ad Bothvellium fictas esse & suppostitias probat; hic vero Mariam a conjurationibus Reginæ & Regno Angliæ intentatis absolvit.

In II Tomo agmen ducit X lepidissima illa *Georgii Conæi*, Scoti, *Vita Mariæ Stuartæ, Scotiæ Reginæ, Dotariæ Galliæ, Angliæ & Hiberniæ Hæredis*, quæ & Romæ & Würceburgi 1624 edita videtur. Succedunt XI *Nicolai Caussini* e S. J. liber in curia Romana editus: *L'Histoire de l'incomparable Reyne Marie Stuart;* & XII *Famiani Stradæ*, ejusdem ordinis, *de Mariæ Scotorum Reginæ vita & morte* quædam ex ejus Historia Belgica excerpta. XIII *Romoaldi Scoti Summarium Rationum*, quibus Cancellarius Angliæ & Prolocutor Puckeringius Elisabethæ Angliæ Reginæ persuaserunt occidendam esse Ser. Principem Mariam Stuartam Scotiæ Reginam, cum responsionibus Reginæ Angliæ & sententia mortis, supplicio & morte Reginæ Scotiæ & confutationibus eorum, quæ ei objecta sunt. Liber hic, quo maxime exaggeratur crudelitas Elisabethæ & in eam retorquentur crimina Mariæ objecta, prodiit primum 1588, addito etiam tractatu de supplicio & morte Mariæ, qui jam anno præcedenti prodierat, rursusque excusus est Col. 1627. Non minus Elisabethæ parcit *Adamus Blacvodæus*, Scotus, qui in famulitium olim Mariæ adscitus, ejusdem beneficio ad Senatorii ordinis in Curia Pictonum præsidiali dignitatem evectus fuit, Vir eruditus & eloquens, nec rerum, quæ a Maria gestæ sunt, ignarus, qui dedit librum XIV: *Martyre de Marie Stuart*, A. 1587, 1588 & 1589 impressum, sed ab autore revisum ac emendatum, atque ita post ejus fata inter cetera ejus opera recusum Paris. 1644, quam editionem Noster secutus est. Sed majorem hic Autor fidem invenisset, nisi fervidioris animi impetu Elisabetham tam virulento insectatus fuisset calamo, ut falsissima illa de Henrici VIII & Annæ Boulenæ incestuosis amoribus historiæ suæ inserere non dubitaverit. Hunc excipit XV *Antonii de Herrera*, Philippi II Hispan. Regis Historiographi, liber Hispanicus: *Historia de lo succedido en Escocia y Inglaterra en quarenta y quatro annos que bivio Maria Estuarda Reyna de Escocia*, Madriti 1589 editus. Huc porro Noster XVI transscribendam putavit e *Michaelis de Castelnau* Commentariis historicis, opera *Johannis le Laboureur* illustratis, eam partem, in qua Autor res Mariæ Scoticæ descripsit, quippe quam e Francia in Scotiam reducem comitatus est & consiliis

juvit,

juvit, de conciliaanda etiam cum ea Elisabetha sæpe multumque sollicitus. Sequitur denique XVII incerti Autoris opusculum: *la Mort de la Royne d'Ecosse*, A. 1589 proditum, quod rem omnem, quo pacto se haberet, enarrat: ea autem, Noster addit, se gessit Regina jamjam moritura constantia & fortitudine, ea tranquillitate & patientia, ut humanos omnes casus virtute esse inferiores, exemplo suo satis evicerit. Accessit etiam ultimo loco Oratio funebris, quam in solennibus Reginæ exequiis, Lutetiæ habitis, Gallico sermone recitavit *Renaldus de Beaulne*, A. 1588 in lucem editam. Ceterum brevi sperare jubet Cl. Editor *Jo. Andersoni* vitam Mariæ, quam ut e tenebris erueret, neque impensis neque labori pepercisse Autorem testatur; an vero hæc eadem sit, quæ eodem A. 1725, quo nostrum hoc opus, sub titulo: *The History of the Life and Reign of Mary Q. of Scots* &c. Londini in 8 maj. prodiit, non addito Autoris nomine, nos quidem asseverare non possumus. Sub finem etiam Præfationis Tomo II præmissæ eorum sententiam examinat Cl. Editor, qui Mariam pridie antequam securi percuteretur, supremis tabulis cavisse ajunt, ne ad filium Principem, si falsam, quam imbibisset, hæreseos persuasionem non exuisset, Anglici Regni hereditas perveniret, sed pertineret potius ad Philippum II Hispaniarum Regem; id quod Noster veritati minime consentaneum esse, gravibus argumentis evincit.

JACOBI ELSNER OBSERVATIONES SAcræ in Libris Novi Fœderis, quibus plura illorum Librorum loca ex Autoribus potissimum Græcis & antiquitate exponuntur & illustrantur.

Tomus II,

Epistolas Apostolorum & Apocalypsin complexus.

Trajecti ad Rhenum, apud Jacobum van Poolsum, 1728, 8.

Alph. 2½.

IN altero hoc Tomo sacrarum Observationum non dubitavit Cl. Autor p. 30 statim admonere, *ad Rom. cap. VI, 2; ἀπεθάνο-*

 μεν)

μεν) licet ſplendide & Apoſtoli fere verbis loqui audias Philoſophos, non tamen eandem illorum verbis vim ſenſumque ſubeſſe, neque gentibus, Chriſti gratia deſtitutis, veri nominis virtutem adſcribendam. Sic p. 39, *ad C. VII, 15, ὃ μισῶ τοῦτο ποιῶ.*) *Videntur*, inquit, *eadem fere verba tribuere hominibus profani; ſed ingens diſcrimen eſt.* Et p. 41: *Hominis interioris meminit etiam Plato; at ſenſu plurimum ab Apoſtoli mente diverſo.* Eodem modo ait Noſter in præfatione, *ſimilia eſſe dixi Autorum loca, quia verba ſimilia ſunt, & res ſuo modo ſimilis apparebat: ceterum valeant, quantumcunque apud cordatos, Deique metuentes valere poſſunt.* Pertinet igitur etiam eo, quod ſequitur p. 55, *ad Cap. XII, 1, θυσίαν ἁγίαν*) *Porphyrium ab ipſo Apoſtolo accepiſſe videri, quæ habet de interna & externa puritate viri divini, Lib. 2 §. 45 de abſtin. anim.* Porphyrius enim Origenem ſenem Alexandriæ audierat, cum eoque familiaritas illi admodum adoleſcenti interceſſerat, ſi Vincentio Lirinenſi & Euſebio credimus, qui verba Porphyrii ipſius producunt. Porro ſi libros noſtros is ideo legit, ut fidem divinorum oraculorum falſam & incertam redderet, tandemque variæ ſcientiæ tumore inflatus, a Chriſtianis reſiliit, recte oſtendit Auguſtinus *de Civ. Dei, 10, 9, 10, 23, 26, 27, 28*, eum ſordidas has purgationes ne videri quidem accepiſſe ab ipſo Apoſtolo. Sed ſtrictius tangemus talia. *C. XIV, 15*, p. 62, 63, *μὴ ἀπόλλυε*) *Remonſtrantes aliique*, inquit, *intelligunt de æterna pernitie: imprudenter omnino, ex hoc quidem loco. Nonne enim id foret leve profecto peccatum? 1 Cor. III, 15, ὡς διὰ Πυρός.*) De ſententia Patrum citatur Huetius in Origenianis, *Lib. 2 qu. 7.* Sed tangitur hic locus aliquoties qu. undecima. Ipſe Origenes *Homilia 16 in Jeremiam f. 155* vocat *τόπον δυσδιήγητον. C. V, 12, τί γάρ μοι καὶ τοὺς ἔξω κρίνειν;*) Cl. Clericus putabat, abire hæc a phraſi recepta, *τί μοι καὶ σοι;* inter duas ſcilicet perſonas. Nam & Arriani Epictetus *Lib. 1 c. 22* bis dixit, *τί μοι καὶ αὐτῷ;* inter perſonam autem & rem, *τί σοι καὶ τοῖς ἀλλοτρίοις, quid tibi & rebus alienis?* Idem *p. 316.* Hic acquieſcet Clericus. Nam & Paulus junxit perſonam & rem. Loca vero Maximi Tyrii & Tatiani ad hoc genus dictionis non referuntur. *C. VII, 14, νῦν δὲ ἅγιά ἐστιν.*) Nihil hic ait doceri de ſancti-

ctita-

ctitate infantum: ἅγιος enim h. l. significare, *non impurus; propter vinculum naturæ enim amandi & curandi sunt.* Dissentiunt a Nostro hic Lightfoot *f. 899*, Forbes. 519, Coccejus *f. 653*, Schlichting *f. 30*, Beza *p. 189*. *C. X, 21*, ποτήριον Κυρίε) Utique non crediderunt pagani, se cum sacrificiis comedere substantiam atque corpora dæmonum. Id enim esset plusquam Capernaiticum. Nemini erudito itaque hoc temere tribuendum. Statuebant autem, dæmonia conjungere se ultro cum sacrificiis atque unire: atque hinc consequi, ut qui participes essent crateris & mensæ dæmoniorum, similiter conjungantur cum substantia dæmoniorum, per illam unionem antecedentem. De Serapide ergo cum sacrificiis per os ingesto, aut quod homines dæmonas devorassent cruentis faucibus, nemo intelliget verba Firmici. Jamblichi mens est: etiam terrena non esse expertia communionis deorum, & ipsam materiam, si sit perfecta, & bona, & Deo similis, accepisse portionem quandam divinam, quæ ad deos suscipiendos sufficiat. *Sect. V §. 23.* Hinc disciplinam theurgicam diis, κατ᾽ οἰκειότητα ἑκάστε τῶν Θεῶν, sæpe lapides, herbas, animalia, aromata sacra & perfecta conjungere, ex iisque receptaculum purum & perfectum fabricare. Et consequi inde similem iterum unionem & conjunctionem participantium. Non enim alio modo hominibus contingere posse μετεσίαν τῆς τῶν κρειττόνων λήψεως, *participationem superorum.* Nam κρείττονες sunt *superi, f. 127.* Patres etiam primorum seculorum credebant, participantes de sacris dæmoniorum animari ab illis intus, quibus per talia sacra conjuncti essent. Idem sensit etiam Noster p. 110: *fieri non poterat, quin idololatris cum dæmonibus* κοινωνία *intercederet, cum in conviviis sacris participes fierent mensæ dæmonum.* Idem etiam Simon Episcopius *f. 236*, Dodwel *Diss. Cypr. 7 f. 45 & 50*, Jo. Crell. *f. 184*. Dii namque ipsi propitii aderant, (opinione profanorum) ubi illis sacrificabatur, ceu participes convivii sacri. Itaque *hac ratione*, recte concludit Noster, *qui de iisdem idolothytis vescebantur, cum diis* κοινωνεῖν *censebantur.* De modo etiam, quo lapides & herbæ sint materia pura, deosque recipiant, Synesius libro de insomniis *f. 134*: *apud nos lapis aliquis & herba ad deorum aliquem, ex eorum numero, qui sunt in*

hoc

hoc mundo, pertinet, cum quibus convenientiam aliquam naturalem habet, καὶ γοητεύεται, naturæ vi trahitur ac pellicitur. Ubi Nicephorus in scholiis f. 360: *dæmones ex aere & terra alliciuntur certis lapidibus & herbis, quibusdam vocibus etiam aut figuris, quas & characteres vocant, ἕκαστον ἑκάστῳ δαίμονι γνωριστικὸν σημεῖον, utpote cuilibet dæmoni proprium signum, a Chaldæis & Ægyptiis pridem inventum.* Et f. 361: *Lapis hic, mnesuris, si sacrificetur, habet vim advocandi dæmonem majorem.* Hic nemo credat, Synesium aut Nicephorum tam insanum fuisse, ut existimaverint, in & cum lapidibus deos in os & stomachum gentilium ingeri. Idem & de aliis eruditis cogitandum. *C. XV, 29, ὑπὲρ τῶν νεκρῶν*) Vertit Noster, *propter mortuos, mortis gratia,* h. e. *ut veniant descendantque ad mortem,* sive, *ut sint mortui.* Sermo est de mortuis in Christo, *1 Thess. IV, 14, 16.* Baptizabantur ergo in confessionem ejusdem fidei illorum, qui jam in ipsa mortui erant: quasi scriptum esset, ὑπὲρ τῆς πίστεως τῶν νεκρῶν. In verbis Luciani *p. 131* noluit retinere, *οἱ κακοδαίμονες,* ac substituit, *persuaserunt sibi miseri illi.* Interpretes alii, *infelices illi.* Statim tamen Lucianus, *deinde persuasit illis ὁ νομοθέτης ὁ πρῶτος, quod omnes inter se fratres sint.* Ad 2 *ad Corinth. II, 11, τὰ νοήματα τοῦ Σατανᾶ*) Sunt hæc Nostro *consilia, insidiæ, machinationes. Maximus Tyrius Diss. 40: tales revera sunt & Arithmetice & Geometrice & Musice, aut si quæ aliæ non manuum beneficio, sed τοῖς ἀνθρώπων νοήμασι, humano consilio & ingenio, inventæ sunt.* Non agit Maximus Tyrius de pravis machinationibus, consiliis, insidiis; probare enim voluit, nec sensum, nec experientiam, sed rationem proprium esse hominis: nec aliud scientiam esse, quam firmam rationem, βεβαιότης λόγου, quæ per eadem semper procedit, &c. *Tales scientiæ,* inquit, *sunt Arithmetica, Geometria, Musica etiam. Etsi Homerus eas non statuat primo loco.* Sic *Philipp. IV, 7;* Pax Dei tuebitur τὰ νοήματα ὑμῶν. *Ephes. V, 13. τὰ δὲ πάντα ἐλεγχόμενα*) Hæc ita exponit Noster: *hominum scelera in tenebris patrata, a fidelibus, qui lux sunt, improbata, protrahi in lucem, & homines illos rubore suffundi, ipsosque etiam lucem fieri, & in nova vita lumen converti.* Statim: *quo pacto πάντα hic exponen-*

ponendum est per τινὰ, nonnulla, & φανερῦται, seu, φῶς ἐςὶ, per, *lux sæpe fieri solet.* Quia scilicet multi resistunt illuminationi. Sed non ideo recedimus a litera. *C. V, 26, Christus mundavit ecclesiam lavacro aquæ in verbo*) Abit Noster a textu, & explicari hæc verba recte ait e consuetudine sponsam abluendi, antequam viro jungeretur. Ad illustrationem qualemcunque tales ritus sane pertinent, sed textum non exhauriunt, neque explicant. Melius Piscator: *cur tribuitur baptismo & verbo Evangelii, quod proprium est sanguinis & spiritus Christi?* Respondet: *quia testimonia illa certa & infallibilia sunt; ita, ut qui illis credit, res testatas certo possideat.* Witsius *Oecon.* Lib. 4 c. 16, *totius*, inquit, *ecclesiæ privilegium hic describitur. Philipp. cap. II, 6, τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ*) Recte hic disputat Noster adversus Socinianos, qui contendunt, Christum fuisse Deo similem, quoad imaginem & speciem, non essentiam. Recte tamen ei videtur etiam distinguere Coccejus inter ἴσον εἶναι Θεῷ, & ἴσα, illud, *parem esse Deo, Joh. V, 18*, hoc, *simili cultu & majestate, utpote Θεάνθρωπον, sic explicari v. 9, h. Deus illum exaltavit.* Verba Cocceji: *hoc posterius notat, apparere tanquam Deum, sive parem Deo, in divina majestate & gloria.* Prius affirmat Coccejus, negant Sociniani. Affirmat etiam, Christum revera apparuisse tanquam Deum sive parem Deo, in divina majestate & gloria: sed tamen ita, ut homines scandalisari in ipso potuerint. Ipsam illius humiliationem fuisse argumentum divinitatis ejus. Quamvis igitur esset in forma Dei, tamen non fuisse eum instar Dei, h. e. non omnem majestatem suam hominibus conspiciendam exhibuisse, §. 29. Noster id ita exponendum credidit: *non rapiendum sibi duxit τὰ ἴσα τῷ Θεῷ, sed se exinanivit.* Id vero Enjedino tribuit Coccejus: *quasi sit, non censuit rapiendum* §. 28. An tali quoque sensu familiaris sit hæc phrasis profanis, p. 245 non liquet. Nam Homerus, de Castore & Polluce loquens, quod honorem similem diis nacti sint, & Heliodorus, quod Hydaspes tanquam Deus salutabatur, quodque apud Pausaniam arbor quædam divinis honoribus colenda dicitur, ad solum vocis sonum spectat, non ad talem, qualis est in verbis Pauli, sensum. Per canonem etiam grammaticorum, infinitivus cum articulo neutro, induit naturam nominis; quasi

dictum sit, ἐχ ἥρπαξε τὴν ἰσότητα τῦ Θεῦ. Wyssius, *dialect. p. 109.* Et sic ex duabus phrasibus fiet una. Ibidem p. 242 emendat Noster locum Jamblichi, *vita Pythagoræ c. 28*, ante ἱςαμένες inserens ἐχ, *non proposuit Deos in simulacris & ære, neque (pro ἐ scribe ἐδὲ) nostris figuris alligavit, sed per divinas imagines. C. III, 5*, περιτομὴ ὀκταήμερος) Utique durum videtur, positum in commatis initio, accipi casu primo. Scribendum ergo περιτομῇ putat casu sexto. Ut tamen subaudiamus e præcedentibus, ἐν περιτομῇ *confidere possum*, vix necesse est. Chrysostomus æque concise, ἀπὸ μὲν γὰρ τῦ ὀκταήμερος περιτομηθῆναι, *ex eo, quod octavo die circumcisus sit, ostendit, se non esse proselytum.* Dixerat v. 3, *nos enim sumus circumcisio, non tamen in carne confidentes.* Nunc repetit, *quantum ad circumcisionem, eram octo dierum, quantum ad gentem, sum Israelita, &c. Coloss. c. II, 18*, ἐμβατεύων) *Petitus*, inquit Noster, *finxit esse vocem JCtorum, ingrediendo mittere in possessionem*, p. 264. Glossæ Labbei, ἐμβατεύω, *ingredior.* Demosthenes, ἐμβατεύειν εἰς τὴν ἐσίαν, apud Hesychium & Budæum. *1 Thessalon. I, 3*, τῦ ἔργε τῆς πίςεως) Exponitur, *recordantes operis fidei vestræ difficilis; quia multa propter fidem perpessi erant.* Imo receperant etiam verbum μετὰ χαρᾶς πνεύματος ἁγίε, v. 6. Hinc ἔργον πίςεως ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος, *II, 2, 13.* Sic dilectioni, quæ fit verbo & lingua, opponitur ea, quæ fit ἔργῳ καὶ ἀληθείᾳ, *1 Joh. III, 18. C. II, 15*, *Pagani*, inquit, *vocabant primos Christianos inimicos naturæ, hostes humani generis, apud Tertullianum & Arnobium.* Laudantur autem a Juliano, quod omnium sibi amorem conciliassent, benigna exceptione ipsorum paganorum, *b. p. 296.* Idem hoc ipsum inter fulcra religionis Christianæ numerat, suisque imitandum proponit, *b. p. 380.* Prolixe etiam laudat hæc nostræ gentis officia Lucianus non semel, *ibidem*, & *p. 381. 2 Thessal. I, 10*, ὅτι ἐπιςεύθη τὸ μαρτύριον) Vertit, *nam confirmabitur* aut *implebitur testimonium nostrum, vobis datum, illo die adventus Domini gloriosi:* dempta parenthesi. Et eodem sensu hic obiter emendat versionem *Rom. III, 2*, ὅτι ἐπιςεύθησαν τὰ λόγια τῦ Θεῦ, *excellens prærogativa Judæi primo est, quod implebuntur oracula Dei*, quæ scilicet ad illam gentem facta sunt.

Fidem

Fidem enim Dei non fieri irritam per incredulitatem eorum, qui tunc erant increduli; dummodo credant aliquando. *Ad Titum c. III,5, διὰ λουτρῦ παλιγγενεσίας)* *Vulgo*, inquit, *exponunt de Baptismo, cujus tamen nulla in toto hoc capite extat nec nota nec vestigium.* Apostolum enim ipsum interpretari hoc λουτρὸν de lavacro Spiritus S. quia addat, καὶ ἀνακαινώσεως Πνεύματος ἁγίου, *quem Spiritum effudit uberrime in nos.* Nihil horum in mentem venerat Frid. Spanhemio *Dub. Evang. Part. 3, 27, 6*, Franc. Junio *Tom. 2 f. 287 seqq.* Joh. Forbesio *Lib. 10 c. 5 §. 37–58*, Sim. Episcopio *Tom. 2 part. 2 f. 92–233.* Coccejus etiam, ut fortius contradiceret, & utrumque conjungeret, quod baptismum constituit, bis scripsit, διὰ λουτρῦ παλιγγενεσίας, καὶ διὰ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου, *T. 5 §. 37 f. 437.* Sic *Joh. III, 5*, recte exponimus, ἐξ ὕδατος, καὶ ἐκ πνεύματος, *ex aqua, & ex Spiritu.* Instat Noster, *i. e. per Spiritum, qui aqua est*, ἓν διὰ δυοῖν. Ita vero etiam Schlichting *ad h. l. f. 287, 288.* Ulterius: *Simile* ἓν διὰ δυοῖν, *esse Matth. III, 11: ille baptizabit vos Spiritu & igne*, i. e. spiritu, qui ignis est, igne spirituali vel aqua spirituali. Ita vero Wolzogen quoque *ad Joh. III, 5, f. 747.* Pergit Noster, *baptismum prærequirere regenerationem, Marc. XVI, 16, qui crediderit & baptizatus fuerit.* Idem vult Steph. Curcellæus *Lib. 7 c. 8 §. 10, 11.* Meliora autem attulit Alting. *ad Rom. II, 25, T. 3 f. 176 seq.* & *ad Rom. c. VI, 3, fol. 6–24. Hermann. Witsius Oecon. fœd. Lib. 4, c. 16 & 23–44.* Tandem tamen concedit Noster *p. 408*, baptismum in antitypo adducere ad Deum, sicut aquæ diluvii Noachum in typo cogebant in arcam, ut servaretur. Ergo πιστὸς ὁ λόγος, *h. v. 8. Hebr. IV, 12,* ζῶν γὰρ ὁ λόγος) *Philo*, ait Noster, *similia de λόγῳ Θεοῦ docere videtur*, Quis rer. div. heres. p. 499, *unde Grotius autorem hujus epistolæ Philonem legisse contendit.* Sequitur censura: *attamen verba duntaxat sunt similia, res toto cœlo discrepat.* Idem genus censuræ maluimus supra, & ad p. 245, optemusque repetitum sæpius, p. 385, 415, 422, 434, 458. Exempla tamen κακοζηλίας aliquot non dissimulavit Noster, p. 140, 328, 398, 399. Et contrarium etiam specimen habet p. 402. *C. XII, 1,* εὐπερίστατον ἁμαρτίαν) Non probat Vir Cl. novam expositionem hujus vocis Kusteri ad Suidam *f. 902.* Et novam sane esse, reliquisque viris doctis indictam,

 dictam,

dictam, credebat Kusterus. Eandem tamen e Salmasii *Libro 2 de fænore trapezit. p. 252* huc translatam evidens est. Ostendit enim ibi, quid Græci vocent, περίςασιν ποιεῖν. Attulit etiam eundem locum Isocratis & emendat Dinarchum. Jam vero Salmasii locum integrum recitat Gatackerus, quem allegat Kusterus ipse, *adversar. posthum. f. 429.* Alium præterea sensum, ad mentem Apostoli magis idoneum, copiose monstrat Salmasius *p. 253-262*, neque tamen exhausit τὸ ἐν, quod rectius vertitur, *tenaciter inhærens, & instar oneris laqueique implicans nos atque gravans.* Sic περίςασις ὅπλων, *Ezech. XXVI, 8*, & χαλεπὴ περίςασις, *2 Maccab. IV, 16. 1 Petr. III, 19, 20,* καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι) Dicit Vir Cl. p. 407: *Eos, qui propterea Christum revera inferos petivisse existimant, ut illis sese ostentaret victorem,* insolentem *vocabulo Græco,* ἐκήρυξεν, *tribuere* significationem. Contenti igitur erimus duobus locis, præsenti scilicet Petri, & altero Pauli, *Ephes. IV, 9, 10.* Uterque enim conceptus est verbis simplicibus ac propriis, & loquuntur citra omnem allegoriam. Athanasius autem, Sermone in Pascha, *descendit Christus, diaboli & mortis audaciam ridens*, & laudatur fides illius orationis in notis variorum. Contra non est omnino parallelus locus *Petri c. IV, 6*, neque agit de descensu: sed nec tertius, de Noacho præcone justitiæ, *2 Petr. II, 5.* Concedit Noster, τὰ ἐν φυλακῇ πνεύματα esse spiritus in tartari carcere, in quo est diabolus. Non itaque intelligendi sunt soli antediluviani: nominantur enim, ne putemus agi de Judæis tantum mortuis, Juda proditore, & rege Herode: quorum meminit Noster. Diabolus etiam non potuit excludi; quia totam captivitatem, ipsumque adeo captivantem diabolum, a momento vivificationis suæ captivavit Christus, *Ephes. IV, 8.* Ergo totus etiam Θεάνθρωπος descendit: nam & totus ascendit. *Qui autem ascendit, quid est, nisi quod etiam prius descenderat? v. 9, 10.* Et sicut in cruce præcesserat ostentatio triumphalis, (quam largitur Noster, *Coloss. II, 14, 15,*) coram toto mundo; ita tartarus fuit locus similis ostentationis coram mundo etiam subterraneo, & gloriosæ manifestationis. Hic ergo nihil est insolens, neque a Petri vel Pauli mente abhorrens. *Apoc. I, 4, 5, 6, 8:* ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν) Neminem offendat hæc constructio. Nam insolens foret, *ab is,*

qui

qui est, & *ab is*, *qui erat*. Græce autem dicitur, ἀπὸ τȣ̃, ac repetitur. Nomen Jehovah non ponitur in statu constructo. Ita *c. IV*, 8, ὁ Θεὸς, ὁ παντοκράτωρ, ὁ ἦν, καὶ ὁ ὢν, & *c. XI*, 17. Quasi scriptum esset, *gratia vobis & pax ab eo, cujus nomen*, ὁ ὤν. *Et a Jesu Christo, qui est*, ὁ ὢν ὁ μάρτυς. Sic *Rom. IX*, 5, Christus est ex Patribus, τὸ κατὰ σάρκα, locutione abstractiva, ὁ ὤν. 2 *Cor. XI*, 31, *Apoc. V*, 5. Sequitur δοξολογία. Δόξα τῷ ἀγαπήσαντι ἡμᾶς, (coll. *Luc. II*, 14) ut respiciatur ad v. 6, αὐτῷ ἡ δόξα, & *c. II*, 7, 17, ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος. Jam v. 6, ὁ καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς. Sicut *Coloss. I*, 8, ὁ καὶ δηλώσας ἡμῖν. Inspiciendus adhuc est locus Plutarchi de Iside & Osiride duplex, cum acuta emendatione Nostri p. 15. Priori loco *p. 355* recitantur tria hieroglyphica, Regis, cœli, & iracundiæ, τȣ̃ βασιλέως, τȣ̃ ȣ̓ρανȣ̃, τȣ̃ θυμȣ̃. Sed tertium hactenus coaluit perperam cum secundo in verbis Plutarchi. Cyrillus autem *Lib. 9 adversus Julianum f. 300* quartum inde fecit hieroglyphicum, & distinxit a cœlo. Hic Noster etiam: *at vero, si Plutarcho credimus, cœli hieroglyphicum fuit Ægyptiis*. Ultima tamen ibi verba non omnino pertinent ad cœlum, sed ad iracundiam. Recte itaque hic castigatur Xylander, qui ἐσχάρας delebat, & θυμιατήριον pro θυμὸς maluisset. Vir Cl. Jo. Corn. de Pauw ad Horapoll. p. 316 pro θυμὸν nuperrime tentavit θυῶν, ut ἐσχάρα θυῶν sit *focus, in quo fiunt suffitus & adolentur thura*; *quod ipsum est* θυμιαστήριον, *acerra*. Sed is non vidit, lacunam esse in Plutarcho, quid cœlo respondeat hieroglyphice; eamque Noster ex ipso Plutarcho & Cyrillo optime supplevit. Regem pingunt oculo & sceptro: τὸν δὲ ȣ̓ρανὸν ἀσπίδι, ὡς ἀγήρω, διὰ ἀϊδιότητα. Intelligitur autem non serpens qualiscunque, sed basiliscus. Ὄφιν semper nominat Horapollo, & Lib. I c. 1, & Lib. II c. 61, *hoc animali* αἰῶνα, inquit, *significant*, quia ex tribus serpentum generibus solum hoc illis immortale est, & quodvis aliud animal solo afflatu interimit. Iracundiam autem, θυμὸν, pingunt καρδίᾳ, ἐσχάρας ὑποκειμένης, *corde, cui focus ardens subjectus est*. Glossæ, *acerra, turibulum*, ἐσχάρα, *focus, craticula*. Aliud est hieroglyphicum, quo Ægyptum pingebant acerra conflagrante, superne adjecto corde, apud Horapoll. *Lib. I, c. 22*. Id vero rem non turbat. Alter locus Plutarchi *f. 381* non

 agit

agit de hieroglyphicis, sed de quibusdam animalibus, quæ Ægyptii ob vestigia quædam divinæ potentiæ in honore habeant. Hic etiam ἀσπίδα, ὡς ἀγήρω,–ἄστρῳ προσείκασαν. Ita scribendum, deleto ᾗ. Tam bene cum locum hunc Plutarchi sanaverit eruditissimus Elsnerus, faciet rem omnibus bonis gratissimam, si divitias ingenii sui in pluribus hisce argumentis locorum absconditorum, etiam apud profanos autores, aperire ac dispensare voluerit.

DEFENSIO DISSERTATIONIS DE DARIO Medo, examinatæ a Reverendo Viro J. F. SCHROEERO in libro: Imperium Babylonis & Nini.

Conf. Acta Erud. A. 1722 pag. 20 & A. 1728 p. 46.

SErius ad nos novi deferuntur libri, & raro nisi ex lectione Diariorum innotescunt, hinc factum, ut citius Dn. *Schrœero* respondere non licuerit. Neque forte curassem, nisi Dissertatio mea in Acta Eruditorum relata fuisset, quo honore me indignum crederem, nisi vindicarem, quæ scripserim, utpote oculis doctorum totius fere Europæ quotidie occurrentia.

1. Incusat me Vir Reverendus, quod *annum Astyagis a Cyro superati, qui certissime primus Olympiadis 55 est, cum quarto ejusdem anno permutaverim*, *male* illud factum judicans. Sed nunquam a communi antiquorum consensu recessi. Id in quo conveniunt antiqui, juxta Jul. Africanum, est, Cyrum anno Ol. 55 primo regnasse, seu regnare incepisse, quod ipsum expresse in Tabula notavi, Cyri primum annum anno Ol. 55 primo illigans. Sed inter Cyri initium & Astyagis casum annos quosdam intercedere conjeci. Persuadet Strabo: τὴν ὑστάτην μάχην memorans, qua Cyrus vicit, plura ergo commissa prœlia. Nec aliter Justinus de Astyage: *repetito alacriter certamine.* Polyænus, *ter signa conferentem, victum discessisse Cyrum* ait, & *quartum commisisse ad Pasargadas.* Stratagemata etiam Cyri duo apud eundem, 1 & 9, plura prœlia fuisse evincunt. Quarto autem prœlio quomodo superarit, in eo Justinus & Polyænus conveniunt. Hæc considerans, singulis annis singula prœlia adscripsi. Quod

non

non insuetum, nec sine ratione credidi. Ita Benhadad victus, exacto anno rediit. *1 Reg. XX.* Nec minori tempore exercitum, post cladem acceptam, reparari posse puto. Herodotus, cui nihil minus curæ fuit, quam gesta juxta seriem temporum & annorum recensere, videtur quasi uno prœlio omnia comprehendere, non tamen præcise dicens, ita bellum confectum. Malui ergo Autoribus, qui pensitatius rem examinarunt, fidem adhibere. Cyri sane principium removere post antiquorum consensum non amplius liberum est, sed de Astyagis depositione differere liberum, cum de hac non loquatur Eusebius, Africani locum adducens. Reges autem annos suos numerare a tempore, quo declarati, vel a morte Patris, licet per aliquot annos, prœliorum casibus dubiis, imperium nondum occuparint, docent exempla Augusti, Caroli II Regis Angliæ, & aliorum. Male itaque me hic egisse, ne judicet V. R. antequam evidentibus argumentis confecerit, quo præcise anno Astyages depositus.

2. *Chronologiam me non parum turbare asserit, omnesque characteres Canonis Babylonici pervertere.* Sed dicat prius, quænam æra pro vera mensura illorum temporum haberi possit, ut eo clarius pateat, turbaverim nec ne. Chronologiæ Canonis, qui Ptolemæi dicitur, non nego me aliquos characteres pervertisse. Nunquam enim tantam fidem adhibui, ut quasi avthenticum respicerem. Origo ejus solis doctorum conjecturis fulcitur, & quæ de albo publice proposito scribunt, probare nequeunt. Non dubito enim accuratiorem prodiisse, si ex albo tali exscriptus ad posteros manasset. Certum est, in publicis negotiis nunquam adhibitum, sed solis Astronomicis Observationibus inserviisse. Æram quidem aliquam fuisse concedo, sed de Canone, qualis nunc est, æra multum posteriorem esse credo. A Beroso editum persuadere mihi nunquam potui, nemine id ex antiquis dicente, & præterea, quod recedat interdum a calculo Berosi, rationesque Dodwelli, qui id maxime vult, infirmas esse, ipse agnoscit Schrœrus, pag. 184. Josephum nil de eo novisse, clarum est. Ptolemæus Canone quodam usus videtur, quem vel ipse confecit, vel ab aliis habuit. Quo doctiores autem Chronologi, eo incertius scribunt, & Ptolemæo plane adjudicare non audent, observant etiam aliquibus

bus in locis ab ejus obſervationibus recedere. Scilicet credo illum Aſtronomicarum obſervationum farraginem habuiſſe (inter quas tamen parum a Chaldæis,nec niſi eclipſes quædam, judice Gaſſendo) quæ tum ab anteceſſoribus transmiſſæ, tum ab ipſo collectæ erant. Chaldææ autem antiquorum Regum nominibus & annis conſignatæ erant, ſed non ultra tempus Nabonaſſari ſurgebant. Æram itaque vel fixit, vel figere potuit, Nabonaſſaream dictam (nam tantum apud illum invenitur) quæ nihil minus quam Babylonica erat, ſed accommodata ad annos Ægyptiacos, & initium menſis Thoth, ideoque in Canone anni Regum, non a vero die eorum natali, ſed a Thoth vago numerantur, indicante Pagi Ann. P.I p. 62. Huc retulit omnes,quas habuit obſervationes tam aſtrorum, quam Eclipſium, & facile erat Aſtronomo tam inſigni, æra ſemel fixa, obſervationes ad illam exigere, & quæ ab antiquis non recte notatæ, corrigere. Adeo ut id quidem certum eſſe poſſit, ſi alias non corrupti numeri, contigiſſe Eclipſin aliquam vere eo Regis Babyloniæ anno, quo notatur, ſed non tam certum, an ille Regis annus vere & præciſe conveniat cum anno æræ ipſius, quæ ab Aſtronomis fixa, Nabonaſſarea vocatur. An unusquisque Rex tot annos, & non plures vel pauciores regnaverit? An nulli Reges omiſſi? Ad minimum, judicium de his exactum ferri nequit. Æra enim ipſa ideo inſtituta, ut certum tempus haberent Aſtronomicæ obſervationes, quo referri poſſent, juxta Tabulas motuum cœleſtium: ſed Canon ſaltem ideo conſcriptus,ut pateret,Regum annos cum æra convenire, hinc duabus columnis conſtat, priori annos ſingulorum Regum monſtrante, poſteriori annos hos in ſummam colligente. Æra ergo certior,juxta regulas Aſtronomicas, Canon autem, ut ex traditionibus hiſtoricis, incertior. *Non nego*,fieri vix aliter potuiſſe,quam ut,qui primi æram *inſtituerint*, Regum annos habuerint, certos aut incertos, juxta quos ſupputarint. Sed cum a doctis ſatis probatum ſit, Nabonaſſarem ipſum hanc æram non inſtituiſſe, manebit ſemper lis, a quo & quando inſtituta ſit? an a Babyloniis ipſis? an vero poſt caſum Babylonis ab aliis? Et poſterius ſemper veroſimilius videbitur, unde & conſequentia fluat neceſſe eſt: quod,quo remotior a Regum Babylonis temporibus, eo incertior ſit Canon ille, qui in inſtitutione

æræ adhibitus. Berosus, ut probabile est, in Chaldæis Originibus, annos singulis Regibus inde a Nabonassaro attribuit, sed labente Beroso sæpius, ut non dubium, labi & alii potuerunt, nec catalogum aliter nectere Ptolemæus, quam inveniebat, bene observante Schrœero p. 194. Ex sola enim observationum farragine Canon exactus nunquam confici potuit. Censorinus, qui non multum a Ptolemæi temporibus remotus, æram hanc optime cognoscere poterat, & cum aliis collatam ad rectas rationes exigere, quod quidem fecit, sed Canonem ipsum non adduxit. Eusebium autem miror, qui in Chronicon suum non intulit, certe in Latino Hieronymi non invenitur, & in Scaligeri Græca aliunde illatus est, quod & signum est a Julio Africano non adhibitum. Adeoque nec ante Ptolemæum videtur, qualis nunc est, exstitisse, nec ante Syncellum in Chronologiam illatus. Neque illum tanti æstimarunt Hippolytus & alii, qui, juxta Dodwellum, alium Canonem, Ἐκκλησιαστικὴ στοιχείωσις, dictum adornarunt. Qui quidem, talis qualis est, Reges varios in Canone Astronomico omissos interserit, & calculo plusquam octo annorum Astronomicum excedit, usque ad mortem Alexandri M. Præterea Canon hic Astronomicus Regum nomina misere deformata, (quod signum est diu post tempora Regum Babyloniæ confectum) numeros corruptos habet, & in Editionibus variantes, nec, licet summam adhibuerit diligentiam Dodwellus, plane restituere potuit. Quantum quidem ego judicare valeo, plane non inservit hic Canon Chronologiæ Historicæ, nam Reges varii in eo omissi, Babylonici, Persæ, Ptolemæi. Nec sufficit, quod regerant docti viri, comprehensa eorum tempora sub aliis. Id enim non liquido constat; & contrarium interdum satis elucescit. Ne quidem Chronologiæ Astronomicæ, quantum quidem capio, mihi idoneus videtur, cum annos nunquam nisi solidos consignet. Cum enim in descriptione Eclipsium Ptolemæus notat & menses & dies, videtur mihi etiam in Canone mensos & dies Regum excedentes summam annorum integrorum notari debuisse, si Chronologiæ Astronomicæ usum præberet. Hinc suspicio sæpius orta, illum Canonem, quo Ptolemæus usus, ad nos non pervenisse, & quod ille qui hodie habetur, forte a Theone compositus,

ſorte etiam Theonis temporibus recentior ſit, quo reſpexiſſe videtur Conringius. Talem ergo Canonem baſin Chronologiæ veteris nunquam agnoſco, & doleo, doctiſſimos Viros, præjudiciis quaſi ineſcatos, nimiam concipere ſpem de utilitate ejus ad ſacram Chronologiam ordinandam, optans, ut,ſicut jam maxima pars a Cteſiæ fabulis reſipuit, ita & incertitudinem hujus Canonis agnoſcere velint,nec amplius tantis cumulare laudibus.

3. Longe meliori jure baſis Chronologiæ horum temporum ſervitus Babylonica 70 annorum erit, quam cum tot aliis doctiſſimis Viris, ad Scripturæ ductum, ultra primum Nebucadnezaris annum vix ac ne vix quidem attolli poſſe certus ſum, neque infra primum Cyri annum in imperio Babylonico detrudi. Prius enim patet ex *Jerem. XXV*, poſterius ex *2 Chron. XXXVI, 20*. Si tempus hoc exigatur ad Canonis rationes, non multum ſupra 65 annos aſſurgit, adeoque hiatum in Chronologia fere quinque annorum relinquit. Hunc mihi ſine cauſa tribuit V. R. cum jam tot ſeculis ante me fuerit, & neſcio in quo peccatum a me commiſſum, niſi quod per annos Darii Medi ſupplere voluerim. Ipſe quidem, ſicut ante eum alii, exinde ſupplere conatur, quod annus primus Nebucadnezaris coinciderit cum A. 18 Nabopolaſſaris patris, & ita quatuor circiter annos cum Patre imperans, 47 in univerſum regnarit. Sed neque ex Scriptura, neque ex ipſo Canone talia probari poſſunt. Supervacuum eſt Danielis Chronologiam in teſtimonium trahere, ex collatione capitis I & II, quaſi inter tertium Jojakimi & ſecundum Nebucadnezaris tres anni interceſſerint educationis Danielis, adeoque opus Danielem abductum anno 18 Nabopolaſſaris. Nam ne quidem ea ratione, quod cupit, aſſequitur, cum exceſſu hic calculus peccet. Quis ſcit an anni illi tres *Dan. I, 5*, completi intelligendi? Et ita non opus erit tali μεταχρονισμῷ. Sit, juxta Beroſum, quod Nabopolaſſar Pater filium Nebucadnezarem adverſus Satrapam rebellem, quem in Ægypto, Syria & Phœnicia conſtituerat, miſerit (qui Satrapa ſane non Necho Ægypti, multo minus Jojakim Judææ Rex fuit. Neque enim Ægyptum, nec Judæam tunc debellarat, ſed ſaltem eas Palæſtinæ regiones, quæ Jojakimo non ſuberant, & terras quasdam Ægypto adjunctas) facile largior Jojakimum hujus Satrapæ caſu

casu implicari potuisse, & in eadem expeditione subigi, & Danielem cum sociis abduci, anno tertio Jojakimi, qui cum ultimo Nabopolassaris convenire poterat, quod nihil tamen impedit, quin servitus ipsa a primo Nebucadnezaris numerari debeat, cum Deus huic, & non patri, dominium in tot gentes addixerit, & ita anni tres educationis Danielis exacte quadrant:

3 Jojakimi . . . . . 21 Nabopolassaris . . . . 1 educationis Danielis
4 . . . . 1 Nebucadnezaris . . . 2.
5 . . . . 2 . . . . 3.

Interstitium quoque aliquod inter Jechoniam dedentem se & initium Zedekiæ operose nititur demonstrare, eo respectu, ut hiatum in Canone impleat, sed inutiliter, ut videtur. Jechoniæ enim menses tres, ex Scriptura clarum est, anno undecimo Jojakimi patris comprehendi. Et omnes quæ ex Chronologiæ Ezekielis collatione moventur difficultates nihil efficere, facile probarem, si necesse foret. Nec adeo præcise anni servitutis exigi possunt, cum aliquot mensibus vel redundasse vel defecisse satis probabile sit. Optimum itaque est Scripturæ ductum simpliciter sequi, & ad eum Canonis characteres exigere, quo facto patet circiter 5 annorum hiatum in Canone esse, quem ex Scriptura per annos Darii Medi explere, non injustum mihi videtur, cum ejus exclusio errorem tam Berosi, quam Canonis satis monstret.

4. At *Viro Reverendo μέγα λίαν αἴτημα videtur, supponere Darium immediate successisse Balthasari.* Credo tamen id ipsum supponere tuto licere, quod nullus, præter ipsum, quantum scio, in dubium vocaverit. Si tuto supponimus Ehudum successisse Othnieli, Jephtam Jairo, eo quod Scriptura illos hoc ordine collocet, illud ipsum in hac causa sine periculo fieri potest. Inter doctos neminem invenio contradicentem: ipsi etiam, qui Darium Mediæ Regem fuisse non intelligunt, certi tamen de successione hac vel Nabonnadum faciunt, ut eo tutius, etiam juxta Berosum & Canonem, Balthasaris successorem faciant, vel, ut Usserius, Balthasarem & Nabonnadum confundunt, & Darium cum Cyaxare eundem faciunt, ut cum Cyro suo una succedere Balthasari possit. Tò *Kabel* illud ipsum dicere vult, nec obstat adductus ex *Dan. VII, 18*, locus, cum & hic de regnorum successione aliquali agat; pii

nempe abrogatis impiis dicuntur successuri. Sed nihil clarius ipsis Scripturæ verbis, & textus connexione: *Dan. V, 27: Peres: divisum est regnum tuum, datumque Medis & Persis:* 29 *Eadem nocte interfectus est Balthasar Rex Chaldæorum;* v. 30: *Et Darius Medus accepit regnum natus 62 annos.* Si hæc non clara, nulla unquam successio in Scriptura sacra satis clara videbitur. Dabitur Medis regnum tuum, & Darius Medus, juxta edictum hoc, successit. Ille ipse, qui *c. IX, 1* dicitur: *Rex factus in regno Chaldæorum.* Ipse, qui *c. VI* secundum jus Medorum & Persarum decernit. Inveniens ergo Darium Regem Medo-Persarum successisse Balthasari, de loco ejus in Canone quæsivi. Et nullum videns, diu mecum reputavi, an non sub Nabonnidi annis computaretur? ita ut simul, tanquam æmuli, Babyloniis imperaverint? Sed videns Nabonnidi annos nec attolli posse, cum vere ultimus Rex Babylonis fuerit a Cyro victus, neque mutari vel augendo, vel minuendo propter consensum Berosi & Canonis, & ulterius attendens ad modo dictum in Canone hiatum, eo inserui. Nec jure me culpare potest V. R. cum enim in eo conveniamus, quod Darius Medus neque Balthasar, neque Nabonnadus sit, & tamen *Dan. IX* inter Reges Babyloniæ expresse nominetur, locum illi sane in Catalogo oportet attribuere, quem, juxta Scripturam, post Balthasarem, & ex rationibus historiæ ante Nabonnadum habere debet. Est autem hiatus, ut dixi, quinque circiter annorum, quem tamen totum non implet. Primum enim ejus annum simul occupant Laborosoarchodi seu Balthasaris menses novem Beroso memorati, sed in Canone omissi, quos post quatuor integros annos Nerigloforis vixit, idque, vel toti, vel ad minimum pars eorum. Et cum bellum civile Medo-Persarum anno primo Ol. 55 inceptum, necessario quatuor annos anteverterit Nabonnadi initium seu annum æræ Nabonassareæ 193, utique opus est, ut Darii Medi, si Rex Mediæ Astyages sit, initium imperii Babylonici hoc bellum civile aliquo temporis spatio præcesserit, cum vix probabile sit, illum, bello civili durante, occasionem habuisse contra conjuratos in regno Babyloniæ se confirmandi. Hac itaque lacuna repleta, sequitur annos Balthasaris, Nerigloforis, Evilmerodachi & reliquorum retrocedere debere, & quidem jure, quic-

quicquid etiam de Canone fiat, cujus authentiam nunquam demonstratam vidi. Ut enim pulchre Scaliger l. 6 de Emend. temp. p. 278 ed. prioris: *Ex Daniele igitur, non ex Chronologorum libidine verum hauriendum.* Chronologiam itaque veram me non turbasse, sed restituisse spero.

5. Parum refert, sive Græcus, sive Græculus, sive unus alterque sive plures soli sint, qui Darium Medum Astyagen esse dixerint. Si enim quæstio foret de gestis veterum Regum, Autores coævos vel ætati eorum quam proximos in testimonium adducere deberemus. Sed cum disquisitio comparativa sit, an ille qui Astyages Herodoto vocatur, sit Darius Medus a Daniele nominatus, ex solis Chronologorum ratiociniis concludenda est. Si nemo plane ante me id dixisset, non ideo minus valerent rationes meæ. Istiusmodi enim Chronologicas disquisitiones instituere ante Christum natum locus non erat. Nemo enim tum temporis tanta Scripturæ sacræ simul & antiquorum Historicorum lectione instructus erat. Primi qui studio Chronologico incubuerunt ex Christianis, Julius Africanus & Eusebius, satis habebant Dynastias disponere, de comparatione nominum minus solliciti. Laborem hunc successoribus, tanquam spicilegium relinquebant, hinc circa Syncelli, Cedreni & Chronici Alexandrini tempora ejusmodi comparatio primum facta invenitur, licet & ante illos quidam Darium Medum esse Astyagen dixerint.

6. Vile autem & debile Viro Reverendo videtur argumentum illud, quod ex Legibus Medorum & Persarum desumitur, mihi autem palmarium, demonstrativum & invictum. Ut enim verbis Langii utar: *Ibi enim sane Medorum & Persarum imperium est, ubi Medorum & Persarum leges ita regnant, ut ne Regi quidem contra illas quicquam mandare aut agere licitum sit.* Si legeret quis in historia, Ludovico cuidam Leges Salicas propositas, aut Edwardo cuidam Saxonicas & Normannicas in memoriam revocatas, tuto concluderet de Galliæ quodam vel Angliæ Rege sermonem esse. Ita & nos de Dario Medo ex Legibus Medicis idem judicium ferimus, quod Rex Mediæ fuerit, & post super regnum Chaldæorum evectus, cum senex 65 annorum esset. Accedit numerus 120 provinciarum, quas sola regni Babylonici

 par-

particula efficere non poterat, ne quidem Syria & vicinis Regionibus adjunctis (Ægyptum enim & Libyam vastarat quidem Nebucadnezar, sed non in possessionem sibi vindicarat) tempus etiam hujus Regis non aliud, quam Astyagis esse posse: præterea Astyagis nomen corruptum esse, omnibus patere, & veterum testimonia ex Suida & Aristophanis Scholiaste, fuisse Darium, Dario Hystaspis filio priorem, qui nisi in serie Regum Mediæ inveniri nequeat. Quod autem, ut nota, adjicitur a R. V. Wilh. Langium ante me fere eadem dixisse, non pudet. Lubens fateor ejus sententiam mihi præ aliis placuisse, ut qui tunc temporis fere solus in hac controversia aliquid viderit, & argumentum hoc tam clare deduxerit, ut evidentia ejus pateat omnibus, qui non præjudiciis occupati, nimis incerto isti Canoni tribuant. Ideo & Langium in Dissertatione mea citavi, & optassem plures in eodem argumento cum eo convenisse, ut ita materia exhausta fuisset, quo ipse labore hoc facilius supersedissem. Sed in multis quoque me ab illo recessisse, satis apparebit unicuique, qui utrumque conferre dignetur.

7. Superest, ut & aliqua moneam de nova serie successorum Nebucadnezaris, cui, ex mente Autoris, omnes aliæ cedere debent, ut a veritate alienæ. De tribus prioribus Regibus, Evilmerodacho, Nerigloffore & Laborosoarchodo, qui Balthasar est, non opus differere, cum inter nos conveniat. In reliquis diffidemus, & Autor Nabonnadum Balthasari successisse vult. Non nego, aliqua ratione id statui posse, nam vere ex mente conjuratorum successit, teste Beroso, cujus verba: *Hoc itaque peremto, convenientes hi, qui fecerant insidias, communi suffragio regnum tradidere Nabonnido cuidam, qui erat ex Babylone, ὄντι ἐκ τῆς αὐτῆς ἐπισυστάσεως, ex eadem conjuratione.* Sed, ut in Dissertatione priori dixi, cum Daniel, cui major fides, ut συγχρόνῳ habenda, dicat Darium Medum successisse, exinde clare patet, Nabonnadum aliquo tempore delatum regnum occupare non potuisse. Sed V. R. p. 402 ait: *Interfecto Balthasare summa imperii rediit ad justum illius hæredem Nabonnadum.* Scilicet, id in antiquissimæ historiæ explicatione exacte observandum, ut nihil sine Autoris idonei testimonio asseratur, quod si obtineri nequit, ad minimum,

mum nihil contra expressum antiquitatis testimonium affirmetur. Clare autem contradicit Autor Megastheni, cujus verba: *Illo etiam nece violenta sublato, Regem creant Nabonidochum, nulla cum eo affinitate conjunctum.* Cui quidem jure opponi poterat Herodotus, si ea dixisset, quæ Autor ex ipso affert: *Patris nomen & regnum accepisse.* Sed nihil minus dicit Herodotus. Verba ejus sunt: *Habens patris sui nomen Labyniti & Assyriorum imperium.* I, 188, 3. Labynitus nominatus est sicut Pater; & Assyriorum regno potitus. Nihil minus veritati consentaneum est, quam Nebucadnezarem Labynitum appellatum, aut Nitocrin fuisse Nebucadnezaris uxorem, aut Nabonnadum filium Evilmerodachi. Nullus unquam autor antiquus hæc dixit, sed ex Herodoto recte concluditur, Nitocrin ideo Reginam dici, quia Labyniti Regis mater, cujus pater cognominis Dynasta aliquis Babylonius fuerit. Cum itaque tam manifesta sit historiæ veritas, non opus huc trahere *Jer. XXVII, 7: Et serviant illi omnes gentes, & filio ejus & nepoti, usque dum veniat finis terræ ejus*, collatum cum *2 Chr. XXXVI, 20.* Nam ante Nabonnadum jam servierant patri, filio & nepoti ex filia ejus. Nec τὸ *usque* tam arcte casum Babylonis cum excessu familiæ Nebucadnezaris connectit, quin unus & alter interponi possint, ut multa alia in Scriptura exempla monstrant. עד illud non de prosapiæ duratione, sed servitutis recte intelligit Marshamus, quem immerito castigat Schrœrus, qui præterea, ut ruinosæ causæ quacunque ratione patrocinetur, duplicem Balthasarem fingit, conjecturæ tamen suæ ipse diffidens, & hoc quidem recte, cum nihil accuratius sit & clarius Chronologia Danielis.

8. Cum ergo ex Herodoto & Beroso pateat, Nabonnidum seu Labynitum ultimum fuisse Babylonis Regem a Cyro victum, & ex altera parte Autor claris Danielis verbis urgeatur, Darium post Balthasarem ponentis, regnumque Chaldæorum illi tribuentis, non potuit aliter quam locum illi inter Reges Babyloniæ dare. Ex debito autem loco extrusum post Nabonnadum collocat, & ut rem explicet, tria supponit: 1) *Cyrum capta Babylone, honoris gratia, Dario Medo illud regnum concessisse,* 2) *Darium Medum biennium saltem regnasse,* 3) *annos ejus in Canone includi novem*

illis

illis annis, qui Cyro tribuuntur. Huc totum negotium redit. Et si tria hæc probari nequeunt, cadit omne, quod de Darii Medi regno affert. Singula ergo ordine examinabimus.

1) *Cyrum capta Babylone, honoris gratia, Dario Medo illud regnum concessisse.* Quis unquam vel sacer, vel profanus ex antiquitate autor hoc ediderit? Xenophon quidem Cyrum a Patre Cambyse missum, Cyaxari contra Assyrios seu Babylonios venisse auxilio tradit, sed adhuc sub judice lis est, an Cyaxares hic unquam fuerit? Et si fuerit, an ille sit, qui in Scriptura sacra Darius Medus appellatur? Ad minimum certum est Xenophonti eum Autore nostro non convenire. Josephus quidem præjudiciis imbutus asserit, Cyrum Persarum Regem & Darium Medorum intulisse bellum Balthasari, quem videtur cum Nabonnado eundem facere. Ant. X, 12. Sed amplius non dicit, neque in eo quod dicit, fidem meretur, & Schrœero nulla ratione ὁμόψηφος est. Quæ autem causa Josepho esse potuerit discedendi a Berosi, Chaldaicarum rerum Scriptoris, narratione, quam ipse legerat, & qui tot ante eum seculis vixerat, non capio. Ita fit, ut cum neque Danielem hic, neque Berosum sequatur, recta non sit ejus narratio, sed a veritate aberret, & nulla ei fides haberi possit. Megasthenes, qui vaticinium Nabuchodonosoris narrat, nempe *Persicum mulum Babylonios in servitutem redacturum, & adjutorem ejus fore Medum, Assyriorum gloriationem,* eo saltem respexit (nam vaticinium ipsum sine dubio suppostitium est) quod Medi ante a Cyro subacti, ut gens totius regni Assyrii gloriosissima, ad minimum tempore Nebucadnezaris, auxilio forent Cyro in expugnatione Babylonis, utpote nunquam subigendæ, nisi Cyrus sibi Medos ante adjunxisset: & ita Megasthenem velle tanto certius est, quod nullius Darii Medi in successione Regum Babyloniæ mentionem faciat. Quæ autem de Dario ipso sentit V. R. ita explicat: 1) Negat, *illum fuisse Mediæ Regem, sed tantum de semine Medorum.* 2) Asserit, *fuisse Cyaxaris filium & patruelem Cyri.* Prius quod attinet, certe unius positio non est alterius exclusio. Erat de semine Medorum, sed taliter, ut illo regnum occupante, regnaret ipse Rex Mediæ, & regnum Babyloniæ Medis & Persis daretur. Id quod nulla ratione fieri poterat, nisi ipse Rex regnaret.

Uladis-

Uladislaus, Sigismundi Regis Poloniæ filius, a Russis Cæsar eligitur, an ideo regnum Russiæ Polonis datur? Philippus, Regis Galliæ nepos, Hispaniæ Rex creatur, an ideo regnum Hispaniæ Gallorum fit? Oportet Regem ipsum alii terræ imperare, antequam hoc dici possit. Posterius autem unde probatur? *Darium Medum fuisse Cyaxaris filium.* Si totam antiquitatem evolvat, nunquam inveniet, & cum ipse Xenophontem, ut fabulatorem, rejiciat, unde ipsum Cyaxarem Astyagis filium probabit? Sed quod fidem omnem evertit, est quod *subactum imperium Babylonis Cyrus, honoris causa, Dario concesserit.* Quis unquam fando audivit talia? vel mente concipere potuit Regem, & imprimis, ut Cyrus, φιλάρχοντα, regnum suis armis occupatum, sibi vicinum & ὅμορον, in alium transtulisse? Quis unquam Autor de Cyro talia prodidit? An ita in historia antiqua quidvis impune fingere licet? Certe ex Scriptura patet, non Satrapam, sed Regem fuisse Darium. Nec explicare valet ipse Autor, qualis Rex fuerit Darius, an collega Cyri? an antecessor? verusne Rex an tributarius? cum tamen Scripturæ ductum sequenti nihil sit facilius. Lege Scripturam, invenies in Darii Medi historia & edictis ne Cyrum quidem nominari: nec in Cyri, minimam mentionem Darii Medi fieri. Unde ergo hoc figmentum? Ait *Dan. VI, ult. conjungi Darii & Cyri regna.* Certe non conjunguntur, sed ut successiva separantur: *Et Daniel prosperatus est in regno Darii & in regno Cyri Persæ.* Quod signum est Danielem tunc sub Medorum imperio fuisse, ubi talis successio erat. Præcipuum autem argumentum, quod Viris doctis similia fingendi occasionem dedit, est quod credant finem LXX annorum captivitatis in primum Darii incidere, ex *Dan. IX, 2.* Sed nulla necessitas est verba ita explicandi, si textus inspiciatur: *In primo anno regni ejus ego Daniel intellexi in (vel) ex libris numerum annorum, de quo fuit verbum Dei ad Jeremiam ad complendum vastitates Hierosolymæ, septuaginta annos.* Non dicitur, quod intellexerit terminum jam adventasse, sed saltem quod 70 anni definiti essent ad complendum. Nonne hoc etiam 20 annos ante solutionem captivitatis intelligere poterat? Nonne in media captivitate Deum ita deprecari? Si hoc argumento nititur Darii & Cyri regnum simultaneum, valde debili fundamento stat. Sed satis de primo.

2) *Darii*

2) *Darii imperium duobus ſaltem annis contineri, ex charactere chronico, Dan. XI, 1, collato cum Dan. I, 21 & XII, 13.* Vellem, ut hæc uberius explicaſſet, nam brevis hic admodum & obſcurus eſt. Fateor me non capere, quomodo ex tribus his dictis iſtiusmodi ſequela fluat, ſcilicet *Cyrum tria habuiſſe initia, regni Perſici, Babylonici cum ſocio, & ſolitarii*, ne quidem, cum adjicit eundem annum in Daniele eſſe Cyri primum & tertium, & duplici argumento probare conatur 1) *quod Dan. XI, 1, diſerte Angelus comparet annum Cyri tertium cum primo Darii.* Ego nullam in hoc verſu comparationem invenio: *Et ego primo anno Darii Medi ſteti, ut ei eſſem confirmationi & robori.* Prolata quidem hæc prophetia anno Cyri tertio, ſed inde non ſequitur, hæc de Dario eodem anno contigiſſe, non magis quam reliqua de Perſarum Regibus & aliis. Sunt enim quædam in hac prophetia, quæ tum facta erant, alia (& hæc quidem plurima) quæ ſuo tempore facienda. Inter facta illud eſt *c. XI, 1*, de quo nunc quæſtio. 2) Quod annus emortualis Danielis ſignetur utroque charactere, & anni Cyri primi *Dan. I, 21*, & tertii *XII, 13*. Ita enim priori loco dicitur: *Et fuit Daniel usque ad annum primum Cyri.* Sed an inde ſequitur etiam anno primo mortuum? Contrarium potius elicere licet ex *c. X, 1*, quod anno tertio Cyri adhuc viſionem habuerit, ergo anno primo non mortuus. Ego vero per hæc verba: *Fuit ad annum primum Cyri* credo intelligi debere: Fuit in aula Regia, vel circa negotia Regia occupatus. Ut ſcilicet indicetur, poſt exantlatas tot ab aulicis inſidias, & ereptam ex fovea leonum vitam, piguiſſe Danielem vitæ aulicæ, & ab hoc anno Cyri primo, quo etiam bellum civile incepit, vitam privatam & ſolitariam elegiſſe. In poſteriori exſtat: *Et tu Daniel vade ad finem, & requieſcas, & ſtabis in ſorte tua ad finem dierum.* Si & concederem hæc de morte Danielis intelligi, quod plures negant, qualis tamen conſequentia? Quia dictum Danieli in tertio anno Cyri, morieris in pace, ergo hoc ipſo anno mortuus eſt. Si ergo biennium regni Darii alios characteres non habet, facile evaneſcit, & nullo fundamento innixum, una cum Epocha Cyri ſecunda collabatur neceſſum eſt.

3) *In Canone, qui Ptolemæi dicitur, includi annos Darii*

duos

duos in novem Cyri. Sed hoc, si unquam, μέγα λίαν αἴτημα erit. Probet primum Autor ejusmodi inclusiones in Canone vere existere. Scio quidem Dodwellum id confidenter dixisse, alios quoque ita ratiocinatos, sed probatum & definitum hucusque non vidi. Probet deinde Darium Medum, post Nabonnadum, cum Cyro regnasse in Babylone, aut Cyrum illi dedisse imperium vel ex unico Scripturæ dicto veterisve autoris verbo. Quod omnino jure postulatur, prius scilicet probari regnasse Darium tantum annis duobus, quam decernatur locus annorum horum in Canone. Alias obtrudere nobis potest, quæ vult, cum certus sit, parum nobis de gestis Cyri in hoc novennio constare, & nullum Autorem seriem unquam annorum nobis explicasse, ex quo refelli posset. Tuto quidem ita fingere licet, sed non sufficit. Cum autem Cyrus *Esd. I* solus autor edicti sit anno regni ejus primo editi, & expresse ibi dicat: *Omnia mihi regna Deus dedit:* quis unquam credere poterit, Darium tunc simul cum eo regnasse, & assertum tale, non aliunde probatum, admittere? cum alias satis clarum ex historia sit, talem Πολυκοιρανίαν in Oriente tunc temporis non fuisse.

Darii ergo Medi regnum in Babylonia prius & antiquius, quam Cyri illud fuisse, nemini, ut videtur, amplius dubitare licet. Astyagen autem fuisse Darium Medum non impediunt rationes a Cl. Vitringa adductæ Obs. Sacr. l. VI c. 5 §. 4. Characteres enim illi sex diacritici, quatenus veri, bene Astyagi convenire possunt, ut ex illis, quæ & in hac & in superiori Dissertatione dixi, satis patet.

MONA ANTIQUA RESTAURATA.

An Archæological Discourse on the Antiquities, Natural and Historical of the Isle of Anglesey, the antient Seat of the British Druids.

i. e.

COMMENTATIO ARCHÆOLOGICA DE antiquitatibus naturalibus & historicis Insulæ Anglesegæ seu Monæ, priscæ sedis Druidum Britannorum; Autore

 HEN-

HENRICO ROWLANDS, Vicario in Llanidan, in Insula Anglesega.

Dublini, apud Rob. Owenum, Bibliopolam, 1723, 4 maj. Alph. 2 pl. 4. Tabb. æn. 10.

OPus hoc dividitur in duas partes & appendicem. In præfatione Autor exponit instituti rationem, contenditque duplici methodo recte investigari antiquitates remotissimas, quarum una leges, constitutiones, numismata, inscriptiones, monumenta varia, locorum appellationes, ritus, mores, & linguas populorum; altera regionum ipsarum naturam & indolem respiciat. Inde ab hac orditur, & *Partis I Sectione I* de Insularum origine in genere differit; quarum multas a divulsis vi aquarum abs terra continenti partibus extremis ortas statuit. Eodem modo *Sectione II* ipsam Monam, partem olim Angliæ, Insulam factam, & fluctibus marinis paullatim tenue illud fretum *Manai*
p. 7. efficientibus, separatam autumat: obiterque eos, qui diluvium Noachicum particulare statuunt, ex rationibus physicis, & ipsa natura aquarum confutat; quippe quæ, dum, teste Scriptura S. summos Asiæ montes supergressæ sint, non potuerint non undique æqualiter & eadem altitudine sua se gravitate circa globum terræ diffundere. Idem argumentum persequitur *Sectione III*, stupendosque diluvii effectus, dum varia strata solo inducta, arbores terris immersas, rupes, fluctibus abrepta & diluta terra, de-
15. nudatas, & quæ sunt hujusmodi, expendit; qualesque insulæ Monæ, monstrantibus vestigiis, inde illatæ videantur mutationes, enarrat. *Sect. IV* de primis Insulæ hujus habitatoribus agit, Celticamque nationem ex Gallia in Britanniam, & inde in hanc Insulam trajecisse, ex ipsa lingua ostendit. Siquidem nomen *Mana*
20. a Celtico *Mön* vel *Bön*, *Fön*, i. e. *finis*, *extremum*, uti & *Kent*, *Cantium*, ab antiquo Britannico *Kyn* seu *Cyn*, *Caput*, *Icenos* ab *Uch-Kyn*, *Brigantes* ab *Obry-Kyn*, &c. derivat. Porro *Sect. V* incolarum primos labores, silvarum eradicationem, agriculturam, habitationem in tentoriis, & hujus generis alia considerat. Tum & de certis & clausis familiarum mansionibus, Britannice
29. *Caer*, congrue quodammodo cum Hebræo *Kir* vel *Kirjah*, Saxo-

nicis priſcis *Hamlets*, quæ vox ſignificet domicilii aſſignationem, Hibernis *Mhuir* vel *Mur* dictis, differens, Druides Hibernos plura monumenta ſcripta reliquiſſe ait, unde & de antiquiſſimis Hiberniæ rebus multa conſtent, quam Druides Britannos, qui ſcripturæ uſum neglexerint. *Sect. VI* de lingua hujus inſulæ prima disquirit, eamque cum lingua Wallica, ſeu antiqua Britannica, imprimis ex derivatione nominum propriorum, eandem; hanc p. 39.
autem omnium in terris Europæis antiquiſſimam eſſe, ex gutturali pronunciatione plurium ſyllabarum & convenientia multarum vocum & phraſium nec non ſyntaxeos cum lingua Hebræa, adeoque trium millium & quingentorum circiter annorum ætatem ferre, aſſerit. Inde *Sect. VII* de legibus & religione primorum incolarum diſputans, grandævos progenitores ex prima mundi conſuetudine familias gubernaſſe, legesque Noachitarum, quippe, uti probabile putat, vix quinta generatione a Noacho diſtantes, & religionem ipſam patriarchalem initio coluiſſe, ſuisque inculcaſſe ſtatuit. Cujus rei hodienum documenta exſtent antiquiſſima illa altaria ex grandibus ſaxis, iisque rudibus, & minime elaboratis, planis tamen quodammodo, quæ aliis minoribus impoſita, more Patriarchis uſitato, & divinitus per Moſen confirmato, conſtructa: quarum hodiernum nomen populare *Crom-lech* 47.
derivat ab Hebraico חרם לוח *Cherem luach*, *devotus lapis* ſeu altare; uti aliam vocem *Carnedde*, qua deſignatur aggeſtus lapidum cumulus, ab Hebraico קרן נר *faſtigatus acervus*, qualis fuerit ille Labani *Gen. XXXI, 46*, ex conſuetudine recepta erectus, deſcendere exiſtimat. Atque hoc ſecundum genus utplurimum monumenta ſepulchralia exhibere ait. Ceterum prima illa imperia, quæ fuerint non niſi penes capita familiarum, in Aſia per Nimrodum, & in occidentalibus mundi regionibus per Titanas turbata ſtatuit, hisque accenſet Deos illos Græcorum & Romanorum, Jovem, Martem, Apollinem, reliquos; quorum nomina ex antiqua lingua Britannica ſeu Celtica derivat, e. g. Jupiter, *Jovis*, ei derivatur a *Jevane*, juvenis Princeps, *Mars*, *Mavors*, a *Mawr-rwyſe* potens, bellicoſus, *Mercurius* a *March-wr* eques, celer nuncius, *Hercules* ab *erchyll* horrendus, *Ne-*

ptunus a *Nof - ddyfn* ſuper aquas natans, *Triton* a *Trwydon* per undas vagans, Apollo ab *ap Haul* filius Solis,&c. Si de nomine quæratur, quo Romani incolas Inſulæ Monæ appellarint, ſub *Ordovicum* nomine illos comprehenſos fuiſſe, ex Tacito probat. *Sect. VIII* de priſcis Druidibus Britannorum, quorum primaria ſedes, & quaſi academia ac ſeminarium fuerit in Inſula Mona, multa habet memorabilia. Nomen cum pleriſque omnibus derivat a Celtico *Derw*, quod Græcum δρῦς, *quercus*, quod hæc arbor maxime ſacra illis fuerit, & querceta ſacris peragendis deſtinata, exemplo Abrahami, *Gen.XVIII, 1.* Primos autem hoſce Celtarum ſophos, uti Indorum Brachmanes, (quorum nomen ab Hebr. בָּרַךְ quaſi benedictos, aut laudatiſſimos viros dicas, deducit) occupatos fuiſſe ait in tribus illis præcipuis vitæ rationalis momentis, *linguæ expolitione, legum latione, & religionis cultu,* multaque retinuiſſe e ſchola & traditione patriarcharum ab ipſo Adamo profecta. Sedem autem in Inſula hac amœna, quæ quaſi in compendio omnes M. Britanniæ delitias exhibeat, ſine dubio
p. 61. ob commoditatem & ſecuritatem eos fixiſſe, probatum it 1) ex antiqua traditione, cui fides inter omnes conſtet, 2) ex teſtimoniis ſcriptorum graviſſimorum, 3) ex ipſis veſtigiis & monumentis hodienum exſtantibus; atque hæc ſequenti ſectione exſequitur. Hac autem porro agit 1) de eorum modo doctrinam ſuam propagandi non per libros, ſed per carmina memoriæ mandanda, item per ſymbola & ænigmata; 2) de philoſophia eorum *naturali*, quam, uti & Phœnicum, corpuſcularem ſeu atomiſticam
62. fuiſſe putat; deque *Metaphyſica*, ubi doctrinas de præexiſtentia & transmigratione animarum, propitiatione per ſacrificia, conflagratione mundi, monotheiſmo primum inculcato, deinde vero deorum medioxumorum *Taranis* ſeu *Jovis*, *Heſi* ſeu *Martis* & reliquorum polytheiſmo admiſſo, & alia refert: 3) de capite,
65. & ordinibus eorum, e *Jul. Cæſare, Strabone, Mela, Diodoro Siculo* docet, unum principem omnium, ipſos autem diſtinctos fuiſſe in *Druides* ſtricte dictos, *Drudan* ſeu *Drudion; Ouvates, Offwyr*, ſeu *Offyddion*, qui ſacerdotes potiſſimum & phyſiologi; & *Bardos, Beirdd*, qui ſpeciatim poetæ fuerint; 4) de autoritate

ob

ob potestatem judiciariam, & excommunicationem a sacris terribili; 5) de rebus & locis sacris, altaribus, lucis &c. exponit; locumque singularem ex autoris *Anonymi fragmento historiæ Britannicæ* adducit, qui duas illas Insulas Britanniam & Hiberniam interjacentes, quarum utraque antiquis Mona dicta, veterum Insulas fortunatas fuisse demonstrandum sibi sumsit. In quam sententiam ipse etiam Autor abit, & *Abaridem* illum Hyperboreum, Druidem quendam primarium ex Insula Mona descendisse (forte *ap Rees* dictum, siquidem Græci & Romani nomina Britannica cum præfixis eorum instar unius nominis pronunciare soleant) qui Græciam adierit, e *Diod. Siculo lib. III cap. XI* non improbabiliter evincit. Jam *Sect. IX* ex instituto demonstrat, Druidum sedem primariam fuisse in Insula Mona, primum ex consentiente scriptorum omnium antiquitates Walliæ historicas attingentium testimonio. Ubi simul litem inter scriptores quosdam agitatam, utrum Insula *Anglesega*, an altera, *Mona* hodieque dicta, Druidibus fuerit referta, ita componit, ut utramque iis vindicet; illam quidem usque ad expeditionem *Paulini Suetonii*, de qua *Tacitus Annal. lib. XIV cap. XXIX*, hanc autem, ceu perfugium ulterius, usque ad Christianæ in Britannia religionis ea, quibus Druides plane oppressi fuerint, incrementa. Et vero hanc rem collatis *Cæsaris* & *Taciti* locis omnino conficere videtur. Tum & in subsidium vocat denominationem locorum in ipsa hac insula a tribus illis Druidum ordinibus, *Drudan*, *Offwyr* & *Birdd* dictorum *Druids-Town, Bod-Drudan, Bodowyr, Tre'r-Beirdd, Tre'r-Drew*, & aliorum, uti *Cerrig-Brudyn*, h. e. *astronomi circulus*, *Myfyrion* h. e. *locus studiis sacer*, item, qui a lucis illis sacris nomen hodieque retinent, *Llwyn Moel*, *Llwyn On*, *Llwyn Oyan*: *Llwyn* enim lingua Wallica lucum denotat. Denique ex monumentis hodieque superstitibus maxime in *Trer Drew*, quæ tabulis æneis adumbrantur, suntque lapides grandes in forma quadrata, oblonga, circulari & elliptica congesti, ipsam principis Druidum sedem, locumque supremi tribunalis *Bryn-Gwyn* dicti ostendit: quod templa ipsorum non alia fuerint, nisi areæ circulares in lucis sacris, altaria supra descripta, & acervos lapidum, *Crom-leche* & *Carnedde*, continentes, adjectis etiam figuris docet;

p. 71. 76. 78. 83. 86. 89.

cet: locum, ubi Romani copias pedestres navigiis, & equos natando traduxerint prœliumque commiserint, demonstrat: armorum æneorum missilium singulare genus, & castrum antiquum vallo triplici e saxis grandibus contiguis munitum repræsentat: de Druidibus Scotis & Hibernis, horumque alphabeto
p.110. peculiari & signis hieroglyphicis exponit: objectiones eorum, qui monumenta illa lapidea in Wallia & Mona Danis autoribus tribuunt, refellit: Druides primum a Romanis, deinde a Christiana religione antiquis sedibus expulsos, e Scotia porro in Islandiam, Norvegiam, Daniam transiisse, & ritus suos, artesque magicas *Scaldris* illis Septentrionalium tradidisse, autumat. Im-
111. mo ipsam Americam septentrionalem e Scotia & Insulis Scoticis in Islandiam, Grœnlandiam, & inde tridui spatio in novum hunc orbem continuatis navigationibus incolas accepisse, probabile censet. E *Sect. X*, qua de divisionibus & subdivisionibus Insulæ *Anglesegæ*, deque legibus & vectigalibus ejusdem usque ad ultima tempora priscorum principum Britannorum Autor agit, mis-
115. sis aliis, saltem notamus, divisionem ejus in tres *Cantrews*, h. e. *Centurias*, harum in *Comots*, & inde in *Trews*, h. e. *tribus* derivari a centuriis & tribubus non tam Romanorum, quam antiquissimarum nationum Celticarum, Ausoniorum & Etruscorum, a quibus Romani multa acceperint; siquidem & sonus & significatio harum vocum congruant: tum & principum jura his quin-
121. que capitibus fuisse comprehensa docet, quod exegerint a subjectis tributa, servitia, officia, mulctas, comitatusque honestiorum, vulgo *attendances*. *Sectio XI* impenditur describendis maxime memorabilibus hujus insulæ a tempore, quo Romani eam sub potestatem redegerunt, destructa hierarchia Druidarum, usque ad Britonum imperium in *Aberfraw*, regia Wallorum urbe, un-
135. de incipit historia Wallica. Atque heic ab Autore describitur status Insulæ sub stabilito Romanorum imperio satis fortunatus, quorum nummi magna copia in ea fuerint reperti. Initia religionis Christianæ in Britanniam, & inde mature in Insulam hanc,
138. introductæ tribuuntur, ex traditione antiqua, *Josepho Arimathæensi*, ex conjectura Autoris advecto navi Phœnicia stannum Britannicum exportante; tum & *Jacobo Zebedæi filio*, *Simoni Zelotæ*, *Bar-*

Barnabæ, ipsique Apostolo *Paulo*, qui teste *Venantio Fortunato lib. III de vita Martini* in Britanniam trajecisse creditur circa A. Christi LIX, atque adeo biennio circiter ante quam Suetonius Paulinus ei præesse cœperit. Unde ecclesia Britannica ipsam Romanam antiquitate superare dicitur, testimonio *Gildæ*, qui ceu rem satis compertam affirmet, postremis Tiberii Cæsaris annis lucem evangelii Britannis illuxisse: cum Petrum quidem quinquennio demum post mortem Tiberii, secundo nempe Claudii Cæsaris anno, Romam venisse, ipsi Pontificii statuant: quamobrem & Episcopi Britannici multarum nationum Episcopos in conciliis sine contradictione antecedere consueverint. Primævum autem illum & puriorem Christianismum fermento papali corruptum fuisse a monacho *Augustino*, idque media circiter periodo secunda. Hujus vero hac etiam in insula in politicis & ecclesiasticis magnam catastrophen inferentis periodi initium refert ad destructionem imperii Romanorum in Britannia, & irruptiones Pictorum sub *Maximo* Romanum Imperium affectante circa A. C. 390. Ecclesias autem in Wallia & Mona Pontificiis corruptionibus diu & acriter restitisse ait: earumque & Principum antiquorum historiam, additis etiam inscriptionibus quibusdam prisca ruditate obscuris, tabulis genealogicis, & brevi chronologia civili, & ecclesiastica, eximia luce perfundit. p. 145.

Inde sequitur *Pars* operis *II*, qua Autor partem priorem variis observationibus & additamentis illustrat, & objectionibus respondet; primoque methodum suam remotas & obscuras hujusmodi antiquitates ex principiis revelationis & rationis, monumentisque geographicis, historicis, harmonia linguarum, & quæ sunt hujus generis, investigandi defendit; inde de altaribus illis *Cromleche*, acervis lapidum *Carnedde*, & erectis instar columnæ grandibus & rudibus saxis *Meini Gwyr* dictis uberius exponit; de ordinibus Druidum & locis inde dictis plura supra recensitis affinia affert, & sermones Boadiceæ, Galgaci & Caractaci e Tacito translatos jungit. Denique in appendice operis idem exhibet tabulam comparativam, qua ostendit linguarum Hebrææ, Britannicæ antiquæ & hodiernæ, nonnunquam & Græcæ atque Latinæ harmoniam, additis notis & observationibus exquisitis, quibus de

 origi-

p. 314. origine & mutatione linguarum, historia *Titanum*, h.e. antiquissimorum tyrannorum Europæ regiones occupantium, apud quorum *Curetes*, Druidibus similes, Jupiter in Creta, religioni, instar Monæ, itidem sacra, fuerit educatus, deque migrationibus populorum multa memorabilia continentur. Tum sequuntur
315. epistolæ nonnullæ, & in his una atque altera de nummo Servatoris faciem, & inscriptionem Hebraicam exhibente, inque insula Mona reperto; de etymologia nominum Britannicorum eorumque cum Hebraica lingua convenientia, de lingua Aremorica, quæ eadem cum veteri Britannica & ad quam investigandam *Eduardus Lhwyd*, Musei Ashmoleani Oxoniensis quondam custos, cujus aliquot insertæ epistolæ, in Britanniam Gallicam se profectum narrat. Ultimo loco juncti sunt catalogi membrorum Parliamenti ex insula Anglesega, judicum provincialium, & clericorum beneficiis fruentium.

D. JOHANNIS CHRISTIANI LEHMANNI, Phys. P. P. Ord. & Med. Instit. Extr. Academiæ Leopoldino-Carolinæ & Soc. Pruss. Membri Machina noviter inventa, omnes aquas ex linea horizontali, absque ignis, aeris & aquarum adminiculo elevans, hinc præferenda Londinensi atque Marlyensi a Clar. WEIDLERO descriptis. Vid. Tr. ejus cap. IV §. 8 & Acta Erud. 1728 p. 519 seq.

MAchina nostra *a*) vim moventem 500 centenarios æquivalentem habet, eundemque usum præstat, qualem ad minimum binæ rotæ 40 pedes altæ directæ, i. e. quibus aqua in *partes superiores* impingit, alias nominatæ oberschlechtige Räder, exercere solent. Hinc per aquas ex linea horizontali ejus adminiculo elevatas, totidem & plures rotæ motitari queunt. *b*) Per spatium 6 horarum ab unico, binis, ad summum tribus hominibus solum dirigitur & agitatur. *c*) Embolus cylindrorum 6 & 7 pedes perpetuo elevatur iterumque deprimitur. *d*) Cylindros numero 24 singulos 12 pollicum diametro capaces altosque perpendiculariter 36

Mm 3 pedes;

pedes; aut 12 syringas longiores dictas Freibergenses 78 pedes longas, atque juxta se linea parallela ordinatas, itidem 6 ejusdem speciei in uno latere perpendiculariter sibi invicem superstructas unica vice agitat, aquasque subterraneas elevat. *e*) Ac proin quævis fistula 36 ped. longa, emboli elevatione unica ad altitudinem trium ulnarum sive 6 pedum revocata 90 cantharos Lipsienses sursum pellit, quorum unus duas libras Lipsienses ponderat; per consequens ope viginti quatuor ejusdem generis antliarum in attractione unica 2160 canthari (quorum 62 amphoram, 5 amphoræ dolium adimplent) effunduntur, repetitaque emboli agitatione sexies in spatio unius minuti 12960 canthari sive 209 amphoræ, aut 41 dolia atque 4 amphoræ, in horula 777600 canthari seu 12541 amphoræ vel 2508 dolia, atque in uno die 60192 dolia aquarum ex imis attolluntur & ejiciuntur. Dum vero XII fistulæ, aliis XII supra se positis, aquas effundunt, altitudo 72 pedum acquireretur, interim in spatio XXIV horarum 30096 dolia tantum in sublime veherentur. Ulterius Freibergensium antliarum embolum eadem altitudine 6 vel 7 pedum elevat, unicaque vice itidem 90 cantharos ex fistula exturbat. Quo posito XII Freibergenses juxta sese positæ conjunctim una 1080 cantharos, sexies tamen in minuto exantlatione repetita, 6480, in hora 388800 cantharos, vel 6266 amphoras, vel 1255 dolia Lipsiensia, in die 30096 dolia, 39 ulnas seu 78 pedes perpendiculariter aquam propellit. Si vero sex fistulæ sex fistulis aquas affundunt ad altitudinem scilicet 156 pedum quotidie 15048 dolia attolluntur. Hinc Machinam Londinensem tam ratione quantitatis aquarum in effectu, quam elevationis in altitudine superat hæc mea Saxonica Machina. Duodecim porro hi cylindri ita ordinari poterunt, ut sex perpendiculariter in uno latere sibi aquas affundant, cæteri sex e regione illud agant, hinc acquiritur altitudo 468 pedum, per quam in hora quantitas 209 doliorum, in spatio diurno vero 5016 dolia in altum truduntur. *f*) Porro ex materia pretii vilioris, durabiliori tamen, construitur machina, quæ, exceptis impensis antliarum & ædificiorum structuram ordinariam spectantibus, vix 400 thaleris constat, neque sumptus annui impendendi 150 thaleros excedunt, quamvis per diem & noctem operatio instituatur. *g*) De cetero neque ignis, neque aeris,

sive aquæ adminiculo motitatur, hinc æque in cryptis subterraneis ac in montibus ac summa planitie applicatur. *h*) Forma illius admodum compendiosa existit, ut omni terrarum loco exstrui & applicari queat. *i*) Usus ejus est admodum insignis atque desideratissimus.

1) Cryptas subterraneas metallicas inundatione obrutas ab omni aqua liberat, applicanda omnibus locis, ubi naturalis aquarum motitantium defectus observatur, aut ubi aquarum quantitas insufficiens ad antlias agitandas deprehenditur, aut aqua stagnans rotis affundi & applicari minus poterit; quales defectus mea inventa machina plenarie resarcire solet. Puteos itaque exhaurit, atque adminiculum præbet, ut metallicolæ majorem terræ profunditatem absque ulla remora & vitæ periculo adire & penetrare, consequenter mineras ditiores effodere, proventusque majores acquirere queant. Quo fit, ut decimæ in usum domini territorialis evidentissime augeantur, majorque numerus metallifossorum mercedem acquirat. 2) Ipsæ hæ aquæ per machinam ex cryptis subterraneis elevatæ, mineras saxaque postmodum attollunt. 3) Machinas quoque fusorias, folles, aerem spirantes, motitant, quorum adminiculo venæ quoque in fornacibus excoquuntur & separanturque. 4) Usum œconomicum quod spectat, montes, convalles, prata, hortos, omniaque loca arida & sabulosa irrigat, ut quotannis dupla portio fœni &c. colligi poterit. 5) Regiones inundatione perfusas exsiccat, aquasque exhaurit. 6) Ex piscinis inferioribus aquas altioribus denuo infundit. 7) Ultra cacumina montium aquas extollit. 8) Ex aquis stagnantibus, piscinis, lacubus, fossis cujuscunque speciei, torrentibus, rivulis, fontibus undas ex linea horizontali ad perpendicularem elevat, ansamque præbet molas exstruendi quovis terrarum loco instructissimas, quid multis? ut binæ, 3, 4, 5 rotæ 12 ulnarum perpendiculariter sibi invicem superlocari, vel etiam 20, 30 in vicinia exstrui queant, efficit, quibus uniuscujuscunque speciei motitationum vehementissimarum atque continuarum effectus producuntur. 9) Pondera graviora lignorum, fimorum, lapidum hujus machinæ auxilio in loca montosa protruduntur. 10) Ceterum urbibus atque arcibus aquas salientes concedit, quarum quantitas incendiis subortis per machinam dupli-

duplicatur. 11) Ad syringas pro incendiis extinguendis portatiles applicari poterit, quibus mediantibus insignis flammæ vis unica vice radio vehementissimo prorsus extingui solet. 12) Fontes artificiales aquarum radiis salientibus enormi crassitie & altitudine in hortis aliisque locis ad spectaculum satis jucundum producuntur. 13) Cisternæ & hydrophylacia paucarum horarum spatio vi unius viri in locis ædium altioribus & turribus ipsis adimplentur. 14) Ex puteis aqua hoc adminiculo facillime hauritur. 15) Ut in solo paludoso exstrui ædificia queant, ope unius vel alterius viri, brevi tempore summo cum emolumento adhibetur. 16) In pontibus; 17) in aquæ ductibus; 18) in portibus; 19) in obsidionibus urbium, tam in castris quam in urbibus, copiosissimæ molæ, quin aquarum rivi hoc adminiculo comparantur. 20) In locis aqua mersis absorbet aquas. 21) Paludosa exsiccat. 22) Stagnantes aquas, lacus insignes, fossasque profundas undis plenas evacuat. 23) Ex navibus aquæ marinæ velocius ita exhauriuntur, dulcesque citius apportantur. 24) Ex fontibus salinis dulces removet aquas. 25) De cetero magnitudinem imo efficaciam machinæ augere atque diminuere & pro lubitu sumptibus diversis exstruere licet, ut unius hominis vi incredibiles ferme & omnem fidem fere superantes effectus in elevatione aquarum per eandem producantur. 26) Tandem ipsa machina vili pretio hinc inde transportatur. Et numerosiores quidem utilitates possent allegari, quas brevitatis ergo prætereo. Sufficit machinam nostram & reditus Principum, & proventus civium, mercedemque operariorum magnopere augere, ut quemvis ad admirationem Creatoris ejusque gloriam promovendam excitare queat.

Appendix.

De possibilitate exstruendæ hujus machinæ dubia nectere annisus est B. Jacobus Leupold in Theatro Machinarum Tom. V c. 14 §. 302 & seqq. Sed absque ratione, cum non satis perpenderit, corpora gravia solida, & corpora fluida minime eadem vi, modo ac tempore in altiora loca moveri, atque attolli. Hinc differentia notissima inter Staticam & Hydrostaticam exorta. Interim structuram fundamentumque Machinæ (ut ipse ait Cap. XIV §. 302 p. 161) revera ignoravit, fassus tamen, eam merito vel

vel ducentis millibus thalerorum æstimandam, quippe ipso perpetuo mobili præstantiorem magisque admirandam, ut patet §. 303 pag. 162.

FEBRIFUGUM MAGNUM; OR, COMMON Water the best Cure for Fevers and probably for the Plague:

i. e.

AQUA COMMUNIS OPTIMUM FEBRIUM, & forsan etiam Pestis remedium, Autore JOHANNE HANCOCKE, Theol. D. Rectore ad S. Margaretham, Præbendario Canterburiensi & Diacono Ducis Bedfordensis. Editio septima.

Londini, apud J. Roberts & R. Halsey, 1724, 8. Plag. 16.

Quanquam Autor Clariss. Artem Medicam non profiteatur, ea tamen, quæ claro certoque sibi constant experimento, quæque sanæ rationi conformia judicat, cum L. B. hoc in tractatu communicare non dubitavit. Sex scilicet lustra jam præterlapsa sunt, cum ipse in icterum cum febri enormi & tanta tussi conjunctum incideret, ut & sanguinem & tandem nigerrimum phlegma excreverit. Liberatus ab hoc morbo: anno vero vertente cum iisdem conflictatus symptomatibus, amici consilio ambræ gryseæ pulverisatæ tantillum cum aqua frigida assumsit felici cum successu. Virtutem antem hanc non ambræ, sed aquæ frigidæ adscribens, redeunte paroxysmo libram j. ejusdem hausit, omissa ambra cum euphoria. Dormitum enim iturus vitrum aqua frigida plenum siccavit, aliud ad lecti latus reponens, post mediam noctem evacuandum. Bene tum dormivit, maneque blando se perfusum sudore sensit, quo absterso surrexit, meliusque se habuit; continuabat secundo, tertioque die frigidam bibere, sudoremque matutinum bene curare. Quarto die licet nullus sudor fuerit secutus, bene tamen se habuit, a tussi, febre & ictero liberatus. Veteres equidem jamdudum aquæ usum in febribus commendarunt, summam

mam tamen cautelam adhibendam esse, simul monuerunt, nec virtutem, quam habet, sudoriferam noverunt. Postquam igitur Noster hac methodo proprium filium a febre maligna, alios a tertianis, quartanis intermittentibus, scarlatinis, variolis, morbillis, imo a colica, cholera, asthmate, hæmorrhagia narium & mensium suppressione liberatos, ac a rheumatismo, & podagra præservatos vidit, non immerito eandem pariter in febribus miliaribus, hectica, angina, pleuritide, peripnevmonia, erysipelate & cardialgia non sine successu adhiberi posse judicat, modo primis diebus cura instituatur. Observavit insimul, haustam aquam in quibusdam febribus nullum sudorem movisse, sed aucto aliquatenus æstu post duas tresve horas sanitati restitutum fuisse ægrum, hasque febres ephemeras seu synochos simplices fuisse judicat; in aliis sudorem multum sed non tam plenum provocasse, quas synochos putridas vel causas fuisse putat; in aliis vero sudorem plenum & profusum protrusisse, quas ad malignarum classem revocandas censet; in sanis vere hominibus nullum concitare sudorem. In his igitur febribus, modo causa morbi non in solidis, sed fluidis partibus & vasis hæreat, methodum hanc citam, tutam & jucundam pronuntiat; siquidem sudore comparente mox febris vis infringitur, pulsus bonus, tardior tamen, quam in statu naturali redditur, ut Medicus tum temporis ægrum accedens vix a se fit impetraturus, ut credat, febre eum correptum esse, alio potius novoque morbi genere, quod sibi nec visu nec lectu hactenus fuerit cognitum, detentum sibi persuasurus. Non opus habet sudaturus stragulis se tegere; sudor enim prodit blando modo, magisque conducit, quam quivis alius, qui in his febribus vel sponte oritur, vel a medicamentis calidis exprimitur. Imo magna est differentia inter hunc sudorem, & illum, qui regimine calido prolicitur. Sub hoc enim prorupturo sanguis ebullit intra vasa, æstus febrilis magis accenditur sanguisque magis corrumpitur, ita ut si nullus subsequatur sudor, merito verendum sit, ne febris a calidorum usu magis augeatur, quemadmodum diminuitur, si promte fluat; post sudorem vero sanguis fervidus adhuc subsistit, humiditate sua spoliatus. Sub frigido vero regimine omnia tranquille decurrunt, æger refocillatum magis se profitetur, quam in statu sano. Dum sudor apparet, non

opus

opus eſt repetere frigidæ hauſtum, ſin minus, eadem exilioribus doſibus absque periculo repeti poteſt. Conducit etiam fluente ſudore ptiſanam tenuem aliquoties haurire. Nec male agit, qui apyrexias tempore bis vel ter vitrum aquæ frigidæ exhaurit, aut ſi eadem pro potu ordinario uti ſolet, tantillum vini Canarienſis addat. Hæc per experientiam habet Clar. Autor. Rationem vero in eo conſiſtere exiſtimat, quod aquæ frigidæ potus refrigeret ſanguinem, ejusque circulationem promoveat; quando ſudorem non excitat, transſpirationem augeat, inſinuando ſe in vaſa capillaria arterioſa; diluat humores obſtructiones minitantes; imbibat & abſorbeat ſalia noxia & tartarea, quæ circa vaſorum extremitates facile ſtagnant, & per inſenſibilem transſpirationem educat. Imo remedium hoc pro efficaciſſimo habet aperiente, excepto mercurio, eoque tutiore. Mirandum igitur non eſſe dicit, febres ab eo profligari, quoniam omnium Medicorum conſenſu hæ per ſudorifera optime & tutiſſime tolluntur, ac integra doſis liquorum refrigerantium, in ſpecie aquæ frigidæ facillime & efficaciſſime non ſolum inſenſibilem transſpirationem promovet, ſed & ſudorem excitat. Rationes vero, ob quas in ipſa peſte ſalutarem judicat hanc methodum, ſunt ſequentes: quia 1) peſtis febris eſt, & quidem 2) continens ſeu continua, in qua 3) ſpiritus & genus nervoſum ataxia ſumma laborant, ſanguisque & humores putrefacti & corrupti ſunt, quæ 4) exanthematum eruptionem abſolute non requirit, 5) ab aliis malignis non niſi gradu, majori contagio & promtiori ad mortem termino differt, cujus 6) antidotum hucusque notum eſt nullum, interim 7) ſudorifera omnibus aliis remediis præferuntur, 8) calida autem ſudorifera ſeu alexipharmaca periculoſa exiſtunt, niſi rarius & in parca doſi dentur, 9) eadem methodus, quæ febrem tollit & materiam peccantem expellit, venenatas etiam particulas removet, 10) aqua frigida in larga quantitate hauſta ad ſudoris provocationem usque noxias & peſtiferas particulas imbibit & abſorbet, 11) neceſſe eſt, ut febres, ſicuti reliquæ malignæ, ita maxime peſtilentiales cito per ſudorem tollantur, 12) aqua frigida mox in principio in lecto hauſta ex multiplici Autoris

ris experientia in plerisque febribus malignis copiosum expellit sudorem, qui morbum tollit. Praeterea tussim quoque convulsivam in infante eadem methodo non solum curatam refert Noster, sed existimat quoque, eam tolli posse, si infans per aliquot septimanas aquam bibat; de quo morbo fusius hic agit. De coetero curiosas hinc inde interspersit Autor Clar. observationes, dum e. g. pag. 46, sputum cruentum prunis coctis curatum, & pag. 48, panem tostum aquae infusum frigidae, deinde ad ignem calefaciendae, lassitudinem tollere, imo febres fugare, si frigida infusio in calore sicco, calida vero in humido hauriatur, refert.

Q. HORATII FLACCI ECLOGÆ, UNA cum Scholiis perpetuis, tam veteribus quam novis, per WILLIELMUM BAXTERUM.

Londini, impensis J. Batley, 1725, 8 maj.
Alph. 1 pl. 9.

Alteram hanc post primam ante annos viginti editam Horatii editionem, sed posthumam, Editore quippe A. 1723 d. 31 Maji vivis erepto, producimus; quam quidem jam prelo paravit Baxterus, & paucis, antequam fatis cessit, diebus absolutam bibliopolae imprimendam tradidit. Prodit itaque hic forma satis nitida Horatius, comitantibus Helenio Acrone & Pomponio Porphyrione. Voluit enim Editor, ut eruditis non modo, quid ipse sentiret, sed & quid veteribus Horatii interpretibus visum fuerit, constaret. Nullus dissimulavit & ipse, lacera & foede interpolata esse veterum commentatorum scholia, quae tamen ideo non negligenda censuit, quod a viris, qui stante adhuc deorum cultu floruerunt, profecta essent. Nec recentiores interpretes insuper habuit, quos sigillatim recensuit, & de quibus omnibus atque singulis in praefamine animi sententiam candide exposuit. Ita, ut tres tantum e reliquis producamus, Heinsio non defuisse doctrinam, sed Horatianum genium; in Tanaquilli Fabri notulis οὐδὲν ὑγιὲς extare censet; in Daceriana versione fidem an diligentiam magis desiderare debeat, dubitat. Quae ipsius de Rich. Bentlejo sit opinio, ostendit, dum Horatium ab eo magis oppres-

ſum dicit, quam ornatum. Denique & ipſe Baxterus multas notulas adjecit, mordaci plerumque ſale conditas, quibus imprimis in Bentlejum inſurgit. Equidem aliorum judicia his de notis optavit, ſancte pollicitus, ſe ea, dummodo ab odio, ira, & partium ſtudio abſint, placido animo laturum. Quippe ſtudium Muſicum ipſe profeſſus, experientia didicerat, ſciolis nihil placere, niſi quod aliis diſpliceat, bonos autem viros cuncta ſuo pretio æſtimare. Ceterum textus ſatis purus exſtat & caſtigatus, Bentleji vero emendationes, ſolis conjecturis innixæ, jure fuere rejectæ. Non admittit L. I Od. 1 v. 6, *evehere* pro *evehit;* Lib. I Od. 3 v. 18, *rectis oculis* pro *ſiccis oculis;* Lib. I Od. 2 v. 39, *Marſi* pro *Mauri;* Lib. I Od. 4 v. 8, *viſit* pro *urit;* Epiſtol. L. II Ep. II v. 145, *invecta* pro *inventa;* Sermon. L. II Sat. 2 v. 99, *Trauſius* pro *Trallius*. Simili ratione centena alia loca excuſſit, ubique fere contradicens Bentlejo, & vulgatam lectionem ſervans. Cuilibet carmini præmiſit titulum, metrum, & argumentum, in quibus tamen bonum virum humani quid paſſum, ſubinde annotavimus. Quod ad animadverſiones, ſcholia ſunt, multo labore collecta, & maximam partem ex veteri Commentatore Cruquiano depromta, quæ verborum ſignificatus apte exponunt. Nonnunquam & res, ad quas Horatius alluſit, tribus verbis tetigit, ſed raro. Candor animi ac multifaria lectio ubique eminent, & de autoris diligentia teſtantur. Nec ignorare Lectores noſtros volumus, a Baxtero notas ſuas in Perſium & Juvenalem, ut & Gloſſarium antiquitatum Romanarum ſæpe citari, quæ ſingula lucem nondum adſpexerunt. Nam quas in Perſium conſcripſerat notas, incuria bibliopolæ cujusdam perierunt, & in Juvenalem animadverſiones vel ab hæredibus, vel ab editore harum lucubrationum adhuc ſervantur; dicti vero Gloſſarii pars exigua olim forte cum Autoris vita, ab ipſo concinnata, prodibit. Illud in eo videtur minus probandum, quod expoſitionum & lectionum acceptarum rationem attulerit rariſſime, & in autorum locis citandis nimis parcus fuerit. Ad calcem libri ſubjuncta eſt Satyra tertia Libri ſecundi, a Cl. *Aldrichio* in priſtinum ordinem reſtituta, ita, ut comœdiæ habitum præ ſe ferat, & Horatium cum Damaſippo, Medico aliisque, ſermones quaſi in ſcena miſcentem inducat. Quod ſi &

reli-

reliquæ Satyræ, quas comicas fatentur plerique, pari modo dispositæ prostarent, major non solum foret lectorum oblectatio, sed & facilior via ad detegendam poetæ sententiam. Tandem metra Horatiana, a *Ch. Wase* haud ita pridem exposita, accesserunt; Index vero plane desideratur. Unum addimus, Baxterum nostrum in antiquitatibus linguæ vernaculæ i. e. Anglicæ egregie versatum esse, id quod docet ejus *Glossarium Antiquitatum Britannicarum, sive Syllabus etymologicus antiquitatum veteris Britanniæ atque Iberniæ temporibus Romanorum*, Londini 1719 in 8, tam paucis exemplis impressus, ut inter libros rarissimos ab Anglis numeretur.

CHRISTOPHORI MATTHÆI PFAFFII, Theologi & Cancellarii Tubingensis, Institutiones Historiæ Ecclesiasticæ &c. Editio secunda, emendata & notis, amplis satis, aucta, ut novum opus videri possit.

Tubingæ, sumtu Th. Mezleri viduæ, 1727, 8.
Alph. 2 pl. 12.

PRimam hujus operis editionem, non sine elogio, in his Actis 1722 p. 71 sqq. recensuimus. Nec in hac secunda & emendatiori & auctiori editione actum agemus. Satis erit notas, quæ huic editioni accessere, amplissimas perlustrare. Has maximam partem Steinwegio, ex ore Pfaffii facundo excipienti, una cum tabellis & indicibus deberi, non diffitetur Cel. Autor. Versantur vero maxime in eo, ut librum hinc inde amplificent, & subsidia rerum quædam suppeditent. Jam enim notitiam Autorum selectiorum suggerunt, jam de libris eorumque editionibus agunt, jam controversias motas recensent, jam doctorum vitas, jam sectarum aliorumque Ecclesiasticæ Historiæ momentorum progressum & fata enarrant, jam Cel. Autoris pandunt de quibusdam capitibus judicium, jam quædam ante ab ipso dicta emendant. Ita Historiam dogmaticam, per omnia secula deducendam, ubi commendat, vere judicat, ex omni parte perfectam dari ne quidem, ob defectum monumentorum, posse. Qua oc- p. 48.

casione simul optat, ut historia interpretationis S. Scripturæ, quæ hujus vel illius dicti per omnia secula fuerit explicatio, a Colle-
p. 45. gio quodam Virorum doctorum conficiatur. Quod in Apol. A.
C. Art. IV de Ecclesia p. 154 Constitutiones Apostolicæ, hodie
80. exstantes, pro genuinis non habeantur, notat, Ebionitas vere hæ-
97. reticos fuisse affirmat, Ignatii epistolas breviores interpolatis non
136. ubique præfert, Marcosios & Heracleonitas non fuisse fictitios
hæreticos, & Imp. Julianum vere Apostatam fuisse, concedit. In
211. seculis IV, V, VI & VII notæ fere deficiunt, vel rariores tamen
sunt, quæ in seqq. copiosiores iterum redeunt. Caroli M. libros
320. probabilius ab *Alcuino*, Caroli autoritate, editos credit; quis Pa-
337. pa primus osculum pedis admiserit, inquirit, du Pinium & Pagi-
349. um sublestas allegare rationes, cur cultus imaginum primis se-
358. culis fuerit ignotus, observat, Concilium Nic. II a Francofurta-
no ob cultum imaginum merito damnatum, agnoscit, licet erudi-
tis non ignotum sit, Maimburgium in libro, *Histoire des Iconocla-
383. stes*, precaria afferre argumenta, quibus id neget. Godeschalcum
non negasse, quod Reformati volunt, realem corporis & sangui-
nis Christi in S. cœna præsentiam, sed transsubstantiationem, ob-
415. servat. Probationem per aquam frigidam ab Eugenio II Papa pri-
481. mitus introductam esse, monet, Cedrenum plagiarium fuisse, no-
513. tat, Kunigundæ perpetuam virginitatem cum adulterii suspicio-
548. ne conciliare se non posse fatetur, Fridericum vero Barbarossam
621. a Papa pedibus conculcatum, asserit. Harduini etiam commen-
tum; quod seculo demum XIII Societas quædam, duce Severo
Archontio, scripta pleraque omnia, quæ hodie antiquorum no-
mine exstant, composuerit, merito explodit. Nec præterit Cel.
677. Autor controversiam, an Th. a Kempis libellorum de imitatione
705, 709 sq. Christi sit autor, quod affirmat. De Joh. Husso varia congessit, ut &
723 sqq. de Conciliis Pisano & Basileensi. Scriptores vitæ Reuchlini bis
685, 738. afferuntur, aliorum doctorum biographi citantur passim, uti &
750 sqq. de Reformationis singularioribus capitibus qui ex professo scri-
829. pserunt. Memorabilis vero admodum est observatio, ubi docet,
cur consilia sua irenica non defendat, additque: *Sed vero, quæ præstantior sit sententia, non majora hominum vota, sed illustris olim dies decidet.* Nec minoris momenti nota est, ubi de

con-

controverſiis cum Spenerianis judicat: *Saltem magna pars harum controverſiarum problematica eſt.* Ceterum Cel. Autoris, quod in nova præfatione promiſit, plenius limatiusque Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Syſtema avide exſpectamus. p. 830.

VITA ALBERTI, STADENSIS ABBATIS, *Autore* TOBIA ECKHARDO.

Goslariæ, apud Jo. Chriſtoph. Kœnigium, 1726, 4.
Plag. 8.

ALbertus Stadenſis, Chronici ſatis noti conditor, cum vix quenquam nactus ſit ſatorum ſuorum meritorumque præconem, tacentibus de eo Trithemio, Geſnero, & Miræo, in animum induxit Cl. Autor, Lycei Quedlinburgenſis Rector optime meritus, vitam ejus ex ipſo illo Chronico collectam exhibere literatæ reipublicæ. Initio de nominis *Alberti* etymologia copioſe agit ac diligenter. Ad ipſius patriam quod attinet, etſi certi nihil reperit, Germanum tamen fuiſſe, vix dubitat. Eruditionem ei tribuit pro illo tempore magnam & per plures diſciplinas diffuſam: non tamen niſi mediocrem admodum ei concedens eloquentiam. Abbas monaſterii B. Mariæ prope Stadam ſive Stadium factus eſt A. 1232. Sed A. 1240 eo ſe munere libens abdicavit, & ſocietati Fratrum minorum Stadenſium adſcribi voluit: cujus ordinis tandem creatus Generalis, vitam produxit ad A. 1260. Certus tamen mortis annus non reperitur. Sui nominis memoriam conſervavit ſcripto Chronico, quo omnis ævi res geſtas ad ſuam usque ætatem deſcripſit breviter, deſinens in A. 1256. De hocce Chronico Cl. Autor copioſe diſſerit & erudite, methodum ejus, virtutes item & vitia, deſcribens accuratiſſime. Ceterum cum multa Albertus deſcripſerit ex Eginhardi *vita Caroli M.* hac occaſione C. Autor commemorat, ſuo exemplari Eginhardi adſcriptas a quopiam eſſe variantes ſcripturas Codicis MS. Florentini, easque etiam infra *p. 54–59* exhibet. Primus hoc Chronicon A. 1587 edidit Helmſtadii Reinerus Reineccius, idque non diſplicuit eruditiſſimo cuique. Demſterus namque Albertum hunc vocavit *autorem doctum ac diligentem*, Conringius *locupletem rerum ævi ſui teſtem*, Schurzfleiſchius *ſcriptorem eximium.*

 ELOGI-

ELOGIUM CONRADI FRIDERICI REINHARDI.

C*Onr. Frid. Reinhardus*, qui Academiam Halenſem hactenus, ſi quisquam alius, admodum illuſtravit, lucem adſpexit Halæ Saxonum A. cIↃIↃcxcII, pridie Kalendas Sextiles, Patre *Joanne Friderico Reinhardo*, omnis doctrinæ elegantia exculto, Regiminis, quod eſt in Ducatu Magdeburgico, Conſiliario graviſſimo: Mater *Joanna Suſanna* appellabatur, filia *Antonii Weckii*, qui Sereniſſimo Saxoniæ Electori JOANNI GEORGIO II a conſiliis & epiſtolis ſecretioribus erat, Præfectus tabularii non ſolum fidelis, ſed & ingenii claritate hiſtoriarumque & rerum Imperii cognitione præſtantiſſimus. Sexennis Dresdam cum Parente clariſſimo delatus eſt, quo hic Potentiſſimi Poloniarum Regis FRIDERICI AUGUSTI juſſu cum tota familia conceſſit, ut ibi rerum fiſcalium Conſiliarium ageret, ἀρχεῖον regeret, & exercendis metallis invigilaret. Inter alios præceptores, *Joannes Doppertus*, nunc Lycei Schneebergenſis Rector celeberrimus, dignus Schurzfleiſchio diſcipulus, Noſtro obtigit, cujus methodum ſuavem laudavit defunctus, doctrinamque ſemper miratus eſt inſignem. Eo ad munus ſcholaſticum obeundum vocato, in *Hermanni Auguſti Schumacheri* diſciplinam traditus eſt, ſcholæ provincialis Grimmenſis Collegæ poſt Rectorem primi, qui ſecundo bonarum literarum afflatu ita eum agitavit, ut argute ſubtiliterque diſſereret, puroque latini ſermonis idiomate animi ſui ſenſa luculenter exprimeret. Ex quo accidit, ut A. ↃIcIↃcc x in Salanam Academiam auſpicato curſu contenderet, hiſtoriam, *Struvio* duce, cum literis humanitatis conjungens, philoſophiam, *Mullero* & *Wuchererо* præeuntibus, diſcens, ac jurisprudentiam denique, *Wildvogelio*, *Friſio*, *Brucknero* & *Beckio* præcentoribus, cum cura ſummaque jucunditate percipiens: quam, poſt biennium, & quod excedit, elapſum, cum Fridericiana commutavit; conſcripta prius diſſertatione eleganti: *de officiis Imperii Saxonicis*, quam ſub præſidio *Struviano* fortiter defendit. Halæ vero præcipue ab ore Celeb. *Bœhmeri* pependit, Canonici juris gemmulas amans, totiusque veteris hierar-

chiæ

chiæ machinam contento rimari studio laborans; ita tamen, ut nec negligeret Conf. *Bodini* lectiones ad *Constitutionem Caroli V criminalem*, nec *Stryckii* doctrinas in Pufendorffii libellum de *habitu Religionis christianæ ad vitam civilem* vilipenderet; simulque *Thomasianas* scholas cum egregio fructu ad *Monzambanum* diligentissime frequentaret. Quo laudabili cursu absoluto, post trimestre intervallum, A. cIↃ IↃcc XIII, patre jubente, Dresdam rediit, ac dilectissimæ *Matris* funus, non sine mœrore, comitatus, aliquandiu ibidem substitit, tabularium sanctissimum assidue intrans, ac publici juris & historiarum studia privata industria perficiens, quibus pectus alebat, cum pulcherrimarum ac magnarum artium præsidiis copulans cuncta, mores semper sectatus venustos virisque primariis in aula politissima innotescens, Parenti ad senium paullatim declinanti multis nominibus dilectissimus. Unde hic demum autor ei suasorque extitit, ut Doctoris insignia honoresque ambiret, &, quid profecerit per tot annos, publice ostenderet. Cumque illi Hala potissimum placuisset, prima patria; hinc, *Bœhmero* præside, pro obtinendo dignitatis gradu, post examina cum laude exantlata, disputavit: *de civili in templa potestate*. Quo facto, non crudis, sed maturis jam studiis, lectissimis juvenibus doctrinas bene præparatas instillavit; novam interea dissertationem pro loco elaborans, de *aditione hæreditatis per alium*. Hinc gemina professio extraordinaria A. cIↃ IↃccxx ei fuit demandata, juris una, philosophiæ altera, ut sic studiosis adolescentibus ad intima sapientiæ & jurisprudentiæ penetralia adeunda ac perlustranda majori cum autoritate dux foret. Quod quo commodius atque ordinatius succederet tori sociam & domesticæ rei adjutricem quæsivit, quam in spectatæ pulchritudinis virgine *Maria Sophia* se inventurum haud vane credebat. Est enim illa *Ernesti Henrici Knorrii*, J. U. D. Consiliarii Regii, Syndici, Logistæ & Scribæ Academiæ Halens. quem populari sermone *Secretarium* dicunt, Filia primum genita, naturæ & industriæ ornamentis quam plurimis exculta. Cujus in societate sicuti *Reinhardus* suaviter animoque tranquillo vivere cIↃ IↃccxxI cœpit; ita ex hac amœna conjunctione quinque liberorum stirps succrevit, tres videlicet filii ac filiæ binæ, e quibus gemini fratres, uno die ac partu editi, iterum periere, terna super-

stite

ſtite manente prole. Ac ne diſſertationes tantum aliquæ de ejus meritis loquerentur, novis ingenii monimentis ſemper operam dedit, inque primis A. cIɔ Iɔccxxv commentationem: *de tituli Comitis Palatini Saxoniæ in litteris Henrici illuſtris origine & ſervati dein uſus ejusdem ratione*, in vulgus emiſit, multorum errores refellens ac ſingularia prorſus detegens. Quam paullo poſt libellus venuſtus eſt ſecutus, in quo fabula de Ludovico II Thuringiæ Comite, quem *Saltatorem* appellant, convellitur, quam deamarunt majores noſtri ac cœca credulitate plures repetunt deperenntque etiam nunc. Cujus rei fructum ampliſſimum hunc tulit, ut, creſcente nominis fama, ad *Strauchiana* opuſcula denuo edenda animum excitaret, præmiſſa ſimul præfatione parti primæ, quæ *de commentatoribus in Germaniam Taciti* non ſpernenda nec omnibus cognita ſuppeditat. Parata quoque ſunt, & prelo jam matura: *Vita Friderici I Bellicoſi Saxoniæ Electoris* longe eminentiſſimi; *tomi duo antiquæ lectionis monumentorum veterum*. Reliqua, in quibus erat *hiſtoria Comitum Palatinorum Saxoniæ*, itemque *Introductio in hiſtoriam Marchionum Miſnenſium*, quæ variis alioquin fabulis eſt fœdata, mors ſufflaminavit. A primis namque tenellæ ætatis annis imbecillum atque infirmum corpus in *Noſtro* obſervabatur; inque pulmonibus latitare malum nemo non agnoſcebat: idque indicabat purulentum ſputum atque pituita ab imo adducta. Ad quod quum acceſſiſſet incitatus in ſtudia impetus, auctus eſt morbus, exſiccatum corpus, oppreſſus ſpiritus, attenuatæ vires ac maxime, æquinoctio ingruente, vitioſa magis efferbuit materia, quam Medicorum artes aliquantum levare ſatagebant, non autem penitus ejicere poterant. Quare Martio menſe nuper recruduit virus, fecitque, ut in prolixum languorem incideret æger, interque abditos pulmonis receſſus oriretur abſceſſus, isque os tandem & pellis fieret. Nemo dubitet, quin, inter perpetuas mortis ſibi appropinquantis cogitationes, de vita æterna conſequenda ſollicitus is fuerit quam maxime. Quo pacto fiebat, ut ab omnibus terrenis atque domeſticis quoque rebus oculos averteret, omnibusque curis & angoribus laxatus ultimam vitæ horam lætus exſpectaret, quæ denique, inter adſtantium planctus lacrymasque, anhelanti æterna advenit, A. 1728 VIII Kalendas Majas, imminente meridie poſt horam XI.

(o)

ACTORUM ERUDITORUM,

Quæ Lipsiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. IX Sect. XI.

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES AB A. D ad MD. LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS, Ser. Ducis Mutinæ Bibliothecæ Præfectus, collegit, ordinavit & Præfationibus auxit.

Tomus IX.

Mediolàni, ex typographia Societatis Palatinæ, 1726, fol. Alphab. 8.

COnſecratus eſt hic Tomus Ser. Principi, *Antonio I* Farneſio, Parmæ ac Placentiæ Duci, quod in eo inter alia continentur, quæ ad regiones ipſi ſubjectas ſpectant. Exſtat vero hic I *Jacobi de Varagine*, Archiep. Genuenſis, *Chronicon Genuenſe* ab origine urbis usque ad A. 1297, nunc primum editum e MS. Codice Bibl. Eſtenſis & cum altero Bibliothecæ Ambroſ. collatum. Male autorem a nonnullis vocari *a Voragine*, quaſi voraginem ſacrarum ſententiarum, ut Trithemius putat, probat Cl. Editor, cum utique a patria Varagio, ditionis Genuenſis oppido, quod alii Viraginem, quaſi vicum virginis ſomniantes, alii, & rectius, Varaginem vocarunt, dictus fuerit, prout & mos tulit illius temporis, quo a patria nomen petebant plerique, & teſtatur Autor Chronici MS. poſthac edendi, qui paulo poſt mortem Jacobi noſtri vixit. Cum vero Autor, ut in aliis ſcriptis ſuis, *Legenda* imprimis *Aurea* ſeu Speculo Sanctorum (qui liber ideo ab ho-

mine oris ferrei & plumbei cordis scriptus dicitur Ludovico Vives & Melch. Cano) nugas, fabulasque & saltationes extra chorum, utpote vir simplex non raro in Historia hac admiserit, eas ex opere plane eliminandas duxit Cl. *Muratorius*, causa tamen, quare id fecerit, additis annotationibus indicata, cetera vero, quæ bonis autoribus accepta alicujus momenti esse judicavit, retinuit. II *Stephanardi de Vicomercato*, Ord. Præd. Poema *de gestis in civitate Mediolanensi sub Othone Vicecomite Archiep.* antea editum Tomo III Anecdotorum Cl. *Muratorii*, nunc novis ejusdem annotationibus illustratum & cum antiquo MS. Ambrosiano collatum. Autor, Poeta, quod mireris in illa ætate, tersissimus, qui A. 1297 decessit, res sub Othone hoc Mediolani ad A. fere 1277 gestas eleganter descripsit; quem Gerh. Jo. Vossius, Paulum Jovium improvide secutus, cum Gualvaneo de la Flamma, sequenti Volumine a Nostro inserto, permiscuit. III *Riccobaldi* Ferrariensis *Pomarium Ravennatis Ecclesiæ*, sive Historia universalis ab anno circiter 700 ad A. 1297, edita quidem antea a Jo. Ge. Eccardo inter Scriptores medii ævi Tomo I p. 1150, sed nunc ope Codicis MS. Estensis purgatior & auctior. Accessit *Compilatio historica ab initio mundi ad A. 1313*, sive ab eodem Riccobaldo, ut Cl. Eccardus autumat, sive ab Anonymo conscripta, ut & *Joh. Philippi de Lignamine*, Equitis Siculi & typographi Romani, continuatio Chronici Riccobaldiani ab A. 1316 ad A. 1469, non solum ab eodem Eccardo, verum & ante illum Romæ 1474 edita & Sixto IV Pont. cui familiaris erat Autor, consecrata. Ceterum cum Rubeus in Hist. Ravenn. *Gervasii* prænomen dederit Riccobaldo, noluit tamen Noster unici hujus testis autoritatem sequi, nec par duxit omnia Riccobaldi, qui historiam suam cœperat a mundo condito, repetere, sed antiquiora omisit: notavit præterea, *falso* a plerisque hoc opus vocari *Pomerium*, etiam in ipsis Codicibus MS. cum potius *Pomarium* dicendum sit. Præterea cum constaret, eundem Riccobaldum etiam Chronicon Romanorum Imperatorum condidisse, quod, cum frustra hactenus quæsivisset, interiisse minime dubitat, incidit tamen in ejus versionem Italicam a *Matthæo Maria Bojardo*, celebri illo autore Poematis, *Orlando Innamorato*, quod continuandum sibi sumpsit Ariostus sub tit.

Orlan-

Orlando furioso, autore, A. 1494 mortuo, adornatam & Herculi I Ferrariæ Duci inscriptam, quam nunquam typis impressam, e Classensis ac Ravennatis Monasterii Bibliotheca accurate transscriptam nactus est, & diu hæsitans, utrum re vera hic habeatur Riccobaldi Chronicon, an vero illi fuerit a Bojardo suppositum, hic tandem quarto loco, resectis tamen quæ Caroli M. tempora præcedunt, cum prolixa & erudita præfatione vulgavit, subinde Latina Riccobaldi verba ex Peregrini Prisciani, qui illa adduxerat, Chronico subjungens. V. *Historia Dulcini Hæresiarchæ Novariensis* ab A. 1304 ad 1307, autore synchrono, e Codice Bibl. Ambrosianæ a *Jos. Ant. Saxio* producta ejusque notis illustrata, cui accessit alterius autoris coævi additamentum ex eadem Bibliotheca, cum ejusdem notulis. Celebris nimirum fuit per Italiam illo tempore Catharorum, quos Gazzaros hic per ludibrium dictos videmus, Secta, dudum ante a Gerardo Secarello de Parma disseminata & a Dulcino tanto cum plausu resuscitata, ut bello sacro fuerit exstirpanda. VI *Dini Compagni Chronicon Florentinum*, Italica lingua scriptum, ab A. 1280 usque ad 1312, nunc primum ex Viri Cl. *Apostoli Zeni*, Historiographi & Poetæ Cæsarei, Codice MS. quem cum aliis Codd. diligenter collatum prelo paraverat, editum. Autor plane synchronus, qui summis in patria muneribus admotus, in ipso Codice memoratur d. 26 Febr. 1323 e vivis excessisse, Ricordanum Malaspinam, a Nostro alibi vulgatum, continuasse quodammodo videtur, qui in A. 1281 desiit. Ceterum graviter tantaque linguæ vernaculæ elegantia pro illo ævo scripsit, ut sæpe ad illum provocaverint Academici Fursuracei in suo Dictionario: & ab hoc Compagno Familiam Compagnam, quæ Taurini habitat, ab ejus fratre Guidone vero utramque Florentinam deducit Noster: an vero Dini nomen ex nomine Aldobrandini efformatum fuerit brevitatis causa, alii viderint. De scripto VII, quod *Synodum provincialem* Pergami habitam a Castono seu Cassono Mediolani Archiepiscopo A. 1311 ex MS. Codice Ambrosianæ exhibet, non est ut multa dicamus. Majorem attentionem meretur VIII Fratris *Francisci Pipini*, Bononiensis, Ord. Præd. *Chronicon* ab A. 1176 ad finem h. e. usque ad annum circiter 1314, quo Autot vixit, ex MSto & forte autographo autoris Codice, qui exstat in Bibliothe-

ca Estensi, nunc primum vulgatum. Autor, de quo parum alioquin constat, Itinerarium aliaque, versiones Latinas imprimis non plane ineptas M. Pauli Veneti de rebus Orientalium regionum, ex Italico, & Bernardi Thesaurarii de acquisitione terræ sanctæ, quem dedit Noster Tomo VIII, e Gallico sermone reliquit, quæ omnia manu exarata exstant in eadem Bibl. Estensi. Etsi vero historiam hanc ab origine Regum Francorum ordiatur, attamen cum in his, quæ A. 1176 præcedunt, utatur Scriptoribus, qui vel dudum ab aliis vel nuper a Cl. *Muratorio* in lucem sunt editi, ea negligenda duxit Noster, qui etiam in postrema hac periodo ea, quæ e Vincentio Bellovacensi aliisque descripta sunt, pleraque sustulit, ne crambem scilicet toties coctam apponeret; reliquit tamen ei, quæ ex Riccobaldo, æquali, iisdem verbis, raro tamen eum nominans, adduxit. Et quoniam Pipinus hic primus fere inter alia testamentum Friderici II Augusti historiæ suæ intulerat, quod Noster ex hoc ipso Codice in *Pleniori Expositione Jurium Imperial. & Estens. in Comaclum* C. 23 produxerat, JCtus vero quidam Placentinus in *Dissert. hist. polit. de Natura & qualitate Civitatum Placentiæ & Parmæ* p. 13, in suspicionem adduxerat, fidem hujus monumenti, etiam a Cajetano, Carusio, Martene & Durando editi, egregie vindicat Cl. *Muratorius*. IX Anonymi Synchroni *Chronicon Parmense* ab A. 1038 ad 1309, ex Codice Estensi productum, cujus quidem antiquiorem & forte autographum Codicem apud Monachos Benedictinos in Monasterio Parmensi S. Johannis exstare constat, magnopere commendat Cl. Editor, quod procul a partium studio Parmensium & vicinorum res, per Guelphorum & Gibellinorum factiones admodum turbatas, imprimis vero sub oculis suis gestas, candide descripserit, ita ut historicus Parmensis recentior Angelus passim ex eo possit emendari. Nec minorem laudem meretur X *Nicolai* Episcopi Botrontinensis in Albania Relatio *de Itinere Italico Henrici VII Imp.* ab A. 1310 ad 1313, quam etsi jam Baluzius in Vitis Paparum Avenion. ad calcem Tomi II adjecerat, dignam tamen putavit Noster, quam hic recuderet, cum imprimis e Johannis de Cermenate Historia, mox memoranda, pateat, autorem tanta apud Henricum gratia floruisse, ut cum aliis ab eo legatus mitteretur ad Clementem V, cui

hanc

hanc ipsam historiam post mortem Imperatoris inscripsit. Cum vero hæc in A. 1313 inciderit, quam secutus est sequenti anno obitus ipsius Pontificis, facilis jam est conjectura, quo tempore hoc opusculum conscriptum sit. Ingens vero huic Tomo decus addit XI *Ferreti* Vicentini *Historia rerum in Italia gestarum* ab A. 1250 seu a morte Friderici II Imp. ad A. 1318, nunc demum e Codice Vicentino publici juris facta; quem Autorem ceu poetam & historicum elegantem ac disertum, qui cum aliis paucis ejus temporis (natus autem videtur circa A. 1296) literas instaurarit, commendat G. J. Vossius de Historicis Lat. L. III P. III Cap. IX. Optandum saltem fuisset, Nostrum in meliorem Codicem incidisse, quippe duos apographos conferens, alterum altero fœdiorem reperit, & quamvis sphalmata sustulisset non pauca, multa tamen adhuc supersunt, quorum sensus ita corruptus, ut intacta fuerint relinquenda. Nollet etiam Noster, autorem nimia antiquitatis affectatione, Vicentiam *Cimbriam* & cives *Cimbricos*, Florentinos *Fæsulanos*, Pistorienses *Picenos* appellasse, & ad vituperandum culpandumque quemlibet, atque adeo ipsos Pontifices, nimis fuisse pronum. Accessere huic Historiæ quædam ejusdem *Ferreti* Poemata, nempe *de morte Benevenuti Campesani*, Poetæ Vicentini, & imprimis Poema heroicum *de Scaligerorum origine* circa A. 1329 quatuor Libris compositum, quod Noster e Veronensi Codice primus prodidit; quibus & interserta est Anonymi *Oratio in nuptias Danielis Ferreti*. Tandem iterum in fine hujus Tomi comparet XII *Johannis de Cermenate*, Notarii Mediolanensis, *Historia de situ, origine & cultoribus Ambrosianæ urbis ac de Mediolanensium gestis sub Imperio Henrici VII* ab A. 1307 ad 1313, quam Cl. Muratorius Anecdotor. Tomo II p. 31 primum dederat. Vixit is A. 1330, ut ex Gualvaneo de la Flamma patet, & scripsit stylo satis eleganti, ut inter instauratores literarum merito locum inveniat. Accessere quoque postremo variantes lectiones, e Codice vetustissimo & eodem, ut videtur, Seculo, quo Autor vixit, exarato, qui apud Comites de Capitaneis, Patritios Mediolanenses, exstat, a Viro Cl. *Phil. Argelato* excerptæ.

NOVISSIMÆ EPHEMERIDES MOTUUM

Cœlestium e Cassinianis Tabulis ad Merid. Bonon. computatæ ex A. 1726 ad 1750, autoribus EUSTACHIO MANFREDIO *& Sociis.*

Tomi II.

Bononiæ, apud Conſt Biſarrum, 1725, 4.
Alph. 4 pl. 4 Tab. æn. XV.

EPhemerides Aſtronomicas, quarum Tomos II priores produximus Supplem. T. VII p. 15 ſq. continuaturus Celeberrimus *Manfredius* in præfamine Socios nominat, a quibus in tædioſo hoc opere adjutus fuit, *Jacobum Parmam*, *Joſephum Bolſium Marcheſium*, *Joannem Baptiſtam Banderium*, *Dominicum Weber*, *Carolum Hebertum Monachum Hieronymianum*, & *Joſephum Antonium Nadium*, qui tamen poſt annum primum ſuſceptæ operæ deceſſit. Deinde docet, qua accuratione loca e tabulis depromta fuerint pro quolibet planetarum, quomodo bini ſemper & variis methodis deliquia Luminarium inveſtigaverint, & quæ ratio ſit, quod a Caſſinianis Tabulis recedendum non putaverit, licet, ipſo fatente, Ephemerides inde deductas ſæpe non contemnendis diſſidiis a cœlo aberraſſe deprehenſum ſit. Quam in rem, & ut Aſtronomis tabulis Caſſinianis (editæ hæ tabulæ non ſunt, ſed a Clariſſimis & Celeberrimis *Jacobo Caſſino*, filio *J. Dominici*, & *Maraldo*, nepote, quotidianis obſervationibus perficiuntur) utentibus gratum faciat, obſervationum in priorum Ephemeridum annos incidentium & variis in locis habitarum ſeriem ſelectam conſignat, & cum determinationibus illarum Ephemeridum confert. Tabulæ adjectæ projectiones exhibent Eclipſium Solarium, nec fere quicquam in ipſa Ephemeridum diſpoſitione mutatum eſt, quod tanquam a prioribus diverſum annotari magnopere referret.

BIBLIOTHECA HISTORICO-PHIlologico-Theologica.

Tomi VIII.

Bremæ,

Bremæ, typis Rod. Hofferi, Tom.I, 1718, T. II & III, 1719, T.IV, 1720, T. V, 1721, T. VI, 1722, T. VII, 1723, T. VIII, 1725, 8. Alph. 24 pl. 18½.

QUale opus olim *A. 1702 p. 201 sqq.* laudavimus, cum Halæ editas *Observationes selectas ad rem literariam spectantes* recenseremus, tale & hic exhibemus, haud dubie referendum inter *Acta eruditorum Germanorum ac Belgarum*. Scilicet duo clarissimi Theologi iidem ac Philologi, Theodorus Hasæus & Frid. Adolphus Lampius, Ecclesiæ Bremensis Pastores, in prima Præfatione invitarunt doctos, ut singulares dissertatiunculas novam vel Scripturæ sacræ vel Theologiæ vel Historiæ ecclesiasticæ lucem allaturas ipsis mittant certis edendas voluminibus. Ac successit eis consilium hoc ex voto, quanquam absoluto tertio Tomo evocatoque in Ultrajectensem Academiam Lampio, solus Hasæus curam hujus Bibliothecæ gesserit. Cujus in recensione ne nimium consumamus spatium, sola Dissertationum argumenta repræsentaturi sumus. In *Tomo* videlicet *primo* (continet autem quisque Tomus sex Fasciculos,) exstat Joan. d' Outreinii *Diss. ad Jerem. XXX, 21;* Jac. Hasæi *Computatio mensium itineris Paulini, quod Hierosolymis Romam suscepit, Actor. XXVII & XXVIII;* Theod. Hasæi *de titulo Psal. XXII, quo significari per* Hajeleth Haschachar *organum musicum probatur;* Frid. Ad. Lampii *Harmonia utriusque Decalogi exemplaris, Exod. XX & Deut. V; Refutatio narrationis, quam de ejectione Joan. Arndii fecit A. W. Boemius,* una cum Th. Hasæi *ad illam refutationem observationibus;* Ant. Driessen *Responsio ad dubium a Deusingio circa loca quædam Apocalypseos motum, & examen hypotheseos L.C. Sturmii de numero Bestiæ 666;* Herm. Deusingii *de eodem numero cogitationes;* Christ. Funccii *Catalogus V.D. Ministrorum in urbe Auricensi; Index librorum Theologicorum A. 1717 a Reformatis editorum;* Herm. Deusingii *Commentarius in Psalmum LXVIII;* Gerh. Outhovii *Demonstratio divinitatis Christi ex maris & ventorum sedatione, Marci IV, 39;* Hadr. Relandi *de Tryphone Judæo, Justini Martyris antagonista;* Theod. Hasæi *de XCIX justis pœnitentia non indigentibus, Luc. XV, 7;* Mart. Lutheri *Epistola inedita, cum notis Jo. Lud. Bunemanni; Historia eorum,*

quæ

quæ circa J. H. Hottingeri *Disquisitionem* de revelationibus extraordinariis, *ejusque a munere Professoris in Acad. Marpurg. abdicationem contigere*; Sam. Konig *Prognosticon de interitu regni Turcici ab A. 1717 exspectando*; *vita Joan. d'Outreinii*, & *Catalogus librorum ejus*; *nova Theologico-historico-literaria*; G. Outhovii *Specimen collationis textus V. T. Hebraici cum versione τῶν LXX*; Frid. Christ. Neubour *Annotationes philologicæ in quædam N. T. loca*; Jo. Alph. Turretini *Cogitationes de variis Theologiæ capitibus*; Jac. Hasæi *Animadversiones in quædam sacri codicis loca*; Hadr. Relandi *de* uxore domiseda *ad locum Tit. II, 5*; Jo. Ge. Eccardi *de Orosii Hormista mundi*; Dion. Alex. Roellii *de imagine Dei in homine*; *Edictum Senatus Tigurini contra fanaticos*; Jo. Laur. Moshemii *Demonstratio Sectæ Nicolaitarum adversus ejus oppugnatores*; G. Outhovii *Collationis textus Hebraici cum LXX continuatio*; C. A. Heumanni & Fr. Ad. Lampii *de Abrahami visione Christi, Joan. VIII, 56*; *Epistola, qua mendacium nunquam licitum esse demonstratur*; Jo. Diecmanni *conjectura de Ormista Orosii*; *de scriptis eristicis Driessenii, Honertii*, & *Wittichii*; Outreinii *de piscina Bethesdæ*; Steph. Viti *de liberi arbitrii conciliatione cum divina prædestinatione*; *Annotationes de Mich. Serveto*; Camp. Vitringæ F. *de lucta Jacobi cum angelo*; Deusingii *de resurrectione spirituali Joan. V, 28*; *Salus Hiskiæ per Esaiam prænuntiata*; C. A. Heumanni *Resolutio ænigmatis Apocalyptici cap. XIII, 18*; *literæ Regum, Principum*, & *Magistratuum ad Remp. Francofurtensem pro impetrando Reformatis templo*; *Anecdota Theologorum Reformatorum judicia de irenico Joan. Duræi consilio.*

Tomo secundo sistitur Outreinii & Gerh. Croesii *Diss. de velando propter angelos capite muliebri, 1 Corinth. XI, 10*; F. C. Neubour *de exercitio corporali, 1 Tim. IV, 7*; Th. Hasæi *de martyre Bremensi, Joan. van der Wyck*; Deusingii *exegesis Psalmi XCIX*; *Observatio, qua probatur, Clementem Alex. punctorum atque accentuum Hebraicorum non meminisse*; *Catalogus V. D. Ministrorum Ecclesiæ Reformatæ Amstelodamensis*; Moshemii *de die Christi ab Abrahamo visa, Joan. VIII, 56*; Outhovii *de*

mon-

montibus Sionis & Moriæ; J. G. Eccardi *de origine vocis* Kirche; *præsens status Academiæ Basileensis*; *Epistola Bullingeri ad Melanchthonem*; *vita Gerb. Croesii*; *Literæ, quibus Pontifex Rom. Archiepiscopo cleroque Bremensi commendavit Concilium Tridentinum*; *Testimonia veritatis e Nic. de Lyra Comment. in V. & N. T. excerpta*; Jo. Jac. Scheuchzeri *Specimen Physicæ sacræ*; Jo. Christ. Bielis *de purpura Lydia, Act, XVI, 14*; Steph. Viti *autoritas rationis* contra ψευδερμηνείαν loci *2 Corinth. X, 5, vindicata*; Jac. Hasæi *de* חורים*, quas classis Salomonis attulisse legitur*; *Relatio de motibus religionis causa in Comitatu Saynensi ortis*; Jo. Bapt. Ottii & Th. Hasæi *de Christi sacrificio εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, Eph. V, 2*; *conspectus Professorum, qui in illustri Gymnasio Tigurino A. 1718 docuerunt*; Heumanni *loci Phil. II, 6, explicatio*; Lud. Christ. Miegii *Observationes sacræ*; B. P. Karlii *vera ordinis ac temporis Apocalyptici ratio*; Neubourii *de battologia ethnicorum, Matth. VI, 7*; Outhovii *de voce* היום *Psal. II, 7*; Lampii *de cornu salutis fulgido*; *vita Herm. Alex. Roellii*; *Epistola de Naudæi refutatione Commentarii philosophici Balii*; *Relatio de mirabili sanatione mulieris in ptochotrophio Bremensi*; Deusingii *Exegesis Psalmi XIX*, cum *spicilegio Lampii*; Moshemii *de vera ætate libelli ab Athenagora pro Christianis conscripti*; Perizonii, Outreinii & Lampii *de loco Actor. XIII, 32*; *Documenta quædam, recentissimam Ecclesiæ Reformatæ in Archipalatinatu afflictionem concernentia*; Karlii *defensio suæ Chronotaxeos Apocalypticæ*; Jac. Hasæi *Observationes ad illustria quædam sacri codicis loca*; Yvonis Gaukes *Epistola de mirabili mulieris Bremensis sanatione.*

Tertio in *Tomo* exhibetur Moshemii *Diss. de Talismanibus Apollonii Tyanæi*; Andr. Norrellii *de avibus* arbeh, solam, chargol & chagab, *Levit. XI, 20, 21, 22*; *de vita, morte & scriptis Petri Poireti*; Mich. Rossalli *ad Apoc. II, 13 & 17*; Th. Hasæi *de throno Satanæ apud Pergamenos, Apoc. II, 13*; *Assertio juris, quod Reformatis competit, possidendi templum Francofurti ad Mœnum*; *conspectus hodiernus Academiæ Ultrajectinæ*; Jo. a Lasco *Epistola inedita ad Conr. Pellicanum*; Herm. van de Wall *Observa-*

servationes miscellaneæ; Theod. Hasæi *ad Coloss. I, 24;* Almelovenii *illustratio multorum sacræ Scripturæ locorum;* Jac. Hasæi *de inquinatis Sardensium vestimentis, Apoc. III, 4;* Heumanni *Refutatio narrationis de Johanne Apostolo in fervens oleum conjecto;* Joann. Dan. Schrammii *de vocibus* אריאל & איב *Esaiæ XXXIX, 1; memoria Jo. Rod. Rodolphi; Urpheda Christoph. Gundermanni;* Wilhelmi, Archiepiscopi Cantuariensis, *Epistola ad Theologos Helvetiæ, una cum horum responsionibus;* Heumanni *de Columba, quæ ex S. Polycarpi rogo evolasse narratur;* Outhovii *Diss. qua probat,* Rahab & Rachab *diversas fuisse mulieres;* Jac. Staalkopfii ad *Actor. XVII, 28; Relatio de celebrata Tiguri atque alibi in Helvetia memoria reformationis religionis;* P. S. *de septem Diaconis, Actor. VI, 7;* Henr. Muhlii *de etymo vocis* Kirche; Th. Hasæi *de formali significatione* τῦ קר & קרא; Jo. Jac. Breitingeri *Epistola de Synodo Dordracena;* Gaukes *de miraculis Biblicis;* Outhovii, *quod βδέλυγμα ἐρημώσεως, Matth. XXIV, 15, sit exercitus Romanus;* Bielis *de Judæis ex omni gente congregatis, Actor. II, 5; libellus supplex Regi Poloniæ, Augusto II, A. 1718 a dissidentibus oblatus;* Jo. Ge. Michaelis & Lampii *de Sanctis cum Christo in vitam revocatis;* Jac. Elsneri *ad Coloss. I, 24;* Wilhelmi, Archiepiscopi Cantuar. *Epistola ad Reformatos in Palatinatu; memoria* Fr. Burmanni *junioris, Theologi Ultrajectini;* Deusingii *Exegesis Psalmi XC & XCI;* Karlii *de vero sensu visi Danielici de quatuor bestiis;* P. S. *de Libano, ut emblemate Ecclesiæ;* Outreinii *de Melchisedeco;* Elsneri *ad Luc. XV, 22;* Herm. Reiners *Observationes sacræ;* Lampii *de βδελύγματι ἐρημώσεως, Matth. XXIV, 15;* Jac. Hasæi *de Ononychoete, Christianis affícto numine;* Outreinii *ad Matth. VIII, 11;* Lud. Wolters *Loca selecta Rabbinica e libris* Sohar & Rabboth, *Scripturam S. illustrantia; Epistolæ ineditæ Bullingeri, Buceri & Sturmii de controversia Sacramentaria; vita Johannis la Placette; vita Abr. Trommii;* Almelovenii *de tabernaculo Dei.*

In *quarto Tomo* reperitur (potiora nunc libet scripta commemorare, non omnia, ne lectori pariatur fastidium,) Moshemii *Diss. de Joanne in fervens oleum conjecto;* Heumanni *Explicatio septem*

ſeptem locorum e Proverbiis Salomonis cum mantiſſa de Lemuele; Schrœdelii *Dubia circa ideas innatas*; Montfauconii *de pueris ab Athanaſio puero baptizatis, deque anno mortis Athanaſii*; Heumanni *Explicatio ſeptem locorum ex Epiſt. ad Romanos*; *Academiæ Genevenſis hodierna facies*; Jac. Haſæi *Vindiciæ Vulgati Interpretis*; Jo. Jac. Hottingeri *memoria Synodi Dordracenæ*; Heumanni & Th. Haſæi *de Theophilo Lucæ*; *hodiernus ſtatus Academiæ Lauſanuenſis*; Jac. Haſæi *de civitate, in qua Lucas Evangelium conſignaſſe ſcribitur*; Th. Haſæi *de phraſi Hebræorum*, tegere pedes, *id eſt, ſomnum capere*; *vita Jo. Chriſt. Pfaffii*; Heumanni *de Philoſophia Chriſtiana ad 1 Joan. II, 20*; Th. Haſæi *de baptizatis Chriſto indutis, Gal. III, 27*; Jac. Haſæi *de Luca Theophilo.*

Tomo quinto continetur Schelhornii *Diſſ. de εὐτραπελίᾳ Eph. V, 4*; *vita Alberti* zum Felde; Henr. Brencmanni *Conſilium de Societate quadam literaria conſtituenda*; Heumanni *de docta ignorantia*; Relandi & Th. Haſæi *de barbaris & Scythis, Coloſſ. III, 11*; *vita* Jo. Henr. Maji, *& Catalogus librorum ejus*; Outhovii *de Sabbatho δευτεροπρώτῳ, Luc. VI, 1*; Altmanni *de gallicinio, a Petro in ædibus Pontificis audito*; Th. Haſæi *de* Levi, *Luc. V, 2 ſqq. quem Judam Thaddæum eſſe oſtenditur*; Matur. Veyſſ. la Croze *Diſſ. qua oſtenditur, ſcriptorem Quæſtionum ad orthodoxos, qui vulgo putatur eſſe Juſtinus Martyr, eſſe Diodorum Tarſenſem*; Jo. Arn. Noltenii *Epiſtola de La Crozii Lexico Ægyptiaco & Armenico*; J. C. Viſcheri *Epiſtola ex Malabaria ſcripta, in qua de ſtatu religionis in illis oris diſſeritur*; Steph. Viti *Diſſ. qua Auguſtini, Lutheri, ſupralapſariorumque ſententia a Manichæiſmi nota abſolvitur*; *vita & ſcripta Herm. Deuſingii*; J. E. Harckenrothii *Diſſ. de Rahele, qua oſtenditur, eo nomine Jerem. XXXI, 15, & Matth. II, 18, non matrem Joſephi, ſed urbem Judæ indicari*; Schelhornii *de διχοτομίᾳ ſervi nequam, Matth. XXIV, 51.*

E *ſexto Tomo* nobis commemorabuntur Sam. Battierii *Obſervationes ad loca quædam N. T.* Joannis a Laſco *Sylloge epiſtolarum ineditarum, cum annotationibus* Th. Haſæi; Schelhornii *Diſſ. de μετεωρισμῷ Luc. XII, 29*; Jo. Buxtorfii *de Alcorani editio-*

editione Arabica ejusque versionibus; *vita Jo. Henr. Ottonis*; Jac. & Theod. Hasæi *Diss. ad Esaiæ XVIII, 1, qua ostenditur, per* ארץ צלצל כנפים *Ægyptum denotari*; Jac. Frid. Reimmanni *de valle Josaphat*; V. B. S. *de Caroli M. contra imagines libris, eorumque primo editore*; Jo. Christ. Harenbergii *de cœlo tertio Pauli*; Jo. Godofr. Lakemacheri & Th. Hasæi *de palo carni Pauli dato, 2 Corinth. XII, 7*; *hodiernus status Academiæ & Bibliothecæ Bernensis*; *vita & scripta Campegii Vitringæ*; Reimmanni *specimen Lexici Paradoxologici*; Petri Zornii *de cælesti epulo sapientiæ, Prov. IX, 2*; Harkenrothii & Th. Hasæi *de monte, in quo Christus a Satana tentatus est*; Zuinglii & Urb. Regii *quinque Epistolæ ineditæ*; Harenbergii *de ovis Paschalibus*.

Tomi septimi hæ Dissertationes præ ceteris laude dignæ videntur: Gerh. von Mastricht *Canon S. Scripturæ secundum seriem seculorum N. T. collectus*; Harenbergii *de miraculo ad Siloah, Joan. V*; Joach. Christ. Jehringii *de Ukonis Walles vita, libris atque erroribus*; Krumholzii *de διχοτομεῖν, Matth. XXIV, 51*; Harkenrothii *de memorabilibus Bibliothecæ Embdensis*; *Index Professorum, nunc in Academiis Oxoniensi & Cantabrigensi docentium*; Harenbergii *de Magis Judæis, Matth. II, 1*, & *de antiquitate versionis N. T. Syriacæ*; Th. Hasæi *de gente Kaf Kaf, Esa. XVIII, 2*; G. Mastrichtii *de Jodutha*; Petri von Sarn *de angelo Satanæ colaphizante Paulum*; Harenbergii *de vento in meridie noxio, Psal. XCI, 6*; Schelhornii *de baptismo pro mortuis, 1 Corinth. XV, 29*; *Historia* Formulæ Consensus *Helveticæ*; *vita Henr. Hulsii*; Th. Hasæi *de Jodutha*; Schelhornii *de vita & scriptis Pauli Scalichii*; Th. Hasæi *de meritis Bremensium in rem Christianam ante Reformationis tempora*.

Ex *octavo* denique *Tomo* produci imprimis merentur Jehringii *Diss. de regione Tarschisch*; Jo. Alberti *Specimen Observationum criticarum in Hesychium*; *conspectus Ecclesiarum Reformatarum, quæ sunt in Polonia & Lithuania*; D. Duchatii *de ætate G. Postelli*; Justini Mart. Glæseneri *de origine vocis Musulmanni*; Andr. Rizii *de origine vocis* Ostern; Th. Hasæi *de Saxonum idolo, Ostera*; Harenbergii *exegesis Psalmi CXVIII*; *de vita*

vita & morte Rodolphi Gualtheri; Th. Hasæi *de vera origine & significatione vocis Astartes*; Conradi Mel *de lapide Puch, Esa. LIV, 11*; Anonymi *de vulpibus Simsonis*; Glæseneri & Th. Hasæi *de gemino Judæorum Messia*; Sam. Battierii *Observationes in decem N. T. loca*; Harenbergii *de rore Hermonis descendente in montes Sionis, Psal. CXXXIII, 3*; Jo. Stengelii & Th. Hasæi *de duplici Christi statu, Esa. LII, 13*; Pauli Hachenbergii *Epistola de statu Labadistarum*.

Apparet, hoc opus eo, quo exceptum fuit, applausu dignissimum esse, nec dolendum, Celeberrimum Hasæum *Bibliothecæ* huic imposuisse finem. Nam idem Vir eximia eruditione præditus laudati operis continuationem jam exhibere cœpit, emittens per vices *Museum Historico-Philologico-Theologicum*, cujus tres jam Partes prodiere in publicum.

THE SCHEME OF LITERAL PROPHECY.
h. e.
SCHEMA PROPHETIÆ LITERALIS, CONsideratum in repræsentatione controversiæ recentissimæ, cui occasionem dedit libellus, sub titulo: Discursus de fundamentis & rationibus religionis christianæ.

Londini, 1727, 8.
Alph. 1 pl. 7.

Autor hujus Schematis Prophetiæ literalis, quicquid dissimulare studeat, ab autore libri *Grounds and Reasons of the Christian Religion*, hoc est, *fundamenta & rationes Religionis Christianæ*, quem *Antonium Collins* nominari ferunt, plane non diversus, sed purus putus est ipsus, quod non tantum variis conjecturis facile est consequi; sed ab ipso etiam *Schematis* hujus autore male celatur, quippe qui in hoc libro interdum personæ, quam sustinet, oblitus, se ipsum manifeste prodit, uti inter alia pag. 361, ubi ea, quæ *Sykius* contra doctrinam de typis protulit, examinaturus, quæstio, inquit, *inter illum & me est &c.* & paulo post: *ut determinetur hæc quæstio inter nos* &c. Lubet vero

pauca quædam de origine & ſtatu hujus controverſiæ præmittere, quo facto, librum ipſum, quam breviſſime poterimus, excutiemus.

Celeberrimus *Whiſtonus*, Vir rerum mathematicarum ſcientia, quam Theologia ac interpretandi arte inſtructior, in octo ſermonibus, ante aliquot annos, pro legato Boylii, habitis, ſtatuerat: *Omnia vaticinia Veteris Teſtamenti de Meſſia unice & literaliter Salvatorem noſtrum Jeſum Chriſtum reſpicere: Syſtema vero, quod duplicem ſenſum admittit, deſtruere religionem Chriſtianam, eamque riſui & ludibrio profanorum, incredulorum & infidelium exponere.* Sed cum ipſa ocularis inſpectio & Novi Fœderis cum Vetere collatio monſtraret, hanc theſin ſæpius fallere; homo in medio luto erat. Ut ergo ſe expeditum ex impedito faceret, de fumo, ut vetus proverbium loquitur, ad flammam ſe proripere, ipſumque Codicem V. T. quam ſententiam ſuam mutare maluit, edito hunc in finem *ſpecimine reſtaurationis textus authentici V. T. & defenſionis citationum ex iſto in N. T. factarum*, quo profecto nihil facere poterat inconſultius, nihil inconſideratius. Nam ſic demum profanis & incredulis albis dentibus ridendi & religionem ludificandi ampliſſimus aperiebatur campus. Imprimis Collinus noſter, reperiſſe ſe aliquid cati conducibiliſque conſilii, ad deſtruendum Chriſtianiſmum, ratus, A. 1724 edidit *Diſcurſum* ſciolum, captioſum & virulentum, *de fundamentis & rationibus religionis Chriſtianæ*, in cujus parte altera, *nullum oraculum Veteris Teſtamenti literaliter de Chriſto agere*; in altera vero, quod facillime poterat, *Codicem V. T. quem habemus, non mutatum, ſed eundem eſſe, quo Chriſtus & Apoſtoli quondam uſi ſunt*, probare inſtituit, ut ex his præmiſſis concluſionem eliceret: *Ergo religio Chriſtiana nullo nititur fundamento, nulla ratione;* ſed ridicula & Deiſtarum contemtu digna eſt. Ne vero injurii in Autorem eſſe cenſeamus, audiamus ipſum, in libro noſtro *pag.* 7 hæc proferentem: *Schema*, ſeu argumentum, *diſcurſus de fundamentis* & rationibus Religionis Chriſtianæ, *ſequens eſt: Chriſtianiſmum fundari in illa perſuaſione, qua creditur Jeſum eſſe Meſſiam Judæorum, ſive eminentem illam perſonam, quam venturam in Veteri Teſtamento prænunciatum eſt:*

At

At de eminenti illa Persona nihil in eo prænunciatum est, literaliter & primarie (sed typice, allegorice, ænigmatice, spiritualiter & secundarie) id quod apparebit, si consideremus singulas citationes ab Apostolis aliisque hunc in finem productas, ut probetur Jesum esse Messiam, vel dari aliquem Messiam. Unde adversarii Discursus concludunt, Autorem ejus velle inferre; Christianismum esse sine fundamento; cum non habeat fundamentum rationale, sed imaginarium.

Non poterat non hic Ismael plurium manus in se concitare. Unde non modo *Whistonus* (cujus responsiones Mense Mart. anni superioris 1728 p. 116, 119 enarravimus) cum

ignem, cujus scintillas ipse dedisset,
Flagrantem late & rapientem cuncta videret;

sed etiam *Chandlerus*, *Sykius*, *Laventonus*, *Bullockius* & triginta alii, quorum catalogum Autor noster, non sine fastu & quasi re bene gesta, in Præfamine ad lectorem enumerat, calamum in petulantissimum librum stringebant. His omnibus hoc libello respondetur, præsertim vero *Defensioni Religionis Christianæ*, a Viro maxime Reverendo *Eduardo Chandlero, Episcopo Coventriensi & Litchfeldensi* A. 1725 editæ; quem adversarium, ob dignitatis, qua splendet, eminentiam, vanissimus homo, ex tam multis, præcipue videtur sibi elegisse. Liber quoque, ne vulgo destinatus videatur, Magnati cuidam (*Mylord* * * *) cujus nomen non apparet, & fortassis Autori, æque ac nobis, ignotum est, inscriptus, per omnes paginas infinitis allegationibus, nunc Anglice, nunc Gallice, nunc Latine, μετὰ πολλῆς φαντασίας, productis, turget; ut nullibi non, quantum maligna voluntas, tantum inanis scientiæ ostentatio transluceat. In ipsa tractatione Autor, quicquid sophistarum schola nefariæ habet artis, adeo in finem suum contorquet, ut non raro, ex viro bono in rabulam latratoremque convertatur. In *Capite I, II, III & IV* id agit, ut perneget, *Judæos* Messiam in sensu theologico, h. e. restauratorem & redemptorem generis humani exspectasse, multo minus autem ullam hujus rei notionem ad *Gentiles* pervenisse, contendat, qua occasione non tantum Sybillarum folia, sed etiam *pag. 34 seqq.* capita duo priora Evangelii Matthæi spuria & supposititia esse probare annititur,

atque

atque historiam de adventu Magorum, de Stella ipsis prælucente, & de infanticidio Bethlehemitico, inter τα ἄπιςα refert. *Cap. V* duodecim oracula V. T. nempe: *Malach. III, 1, Malach. IV, 5, 6, Hag. II, 7, 8, Zachar. IX, 9, Zachar. XII, 10, Dan. II, 44, Dan. VII, 13, 14, Dan. IX, 24-27, Micha V, 1, Habac. II, 3, 4, Amos IX, 11, 12, Esa. LII, 13* usque *LIII, 12*, quæ de Christo ut Messia literaliter agere, Chandlerus asserit, suo more examinat, & in omnia alia detorquet: qua in re *Judæos* & *magnum* suum *Grotium* ubivis obtendit. Cum vero vaticinia Danielis de Messia nimis clara sint, nec in aliud subjectum commode quadrent, consultius duxit Autor, nodum hunc dissecare, quam solvere, eique fini maximam partem hujus capitis & singularem *Additionem* in fine libri in hoc impendit, ut majori audacia, quam ingenio lectori, si fieri posset, persuadeat, librum Danielis a Daniele non confectum, nec tempore captivitatis Babylonicæ a Propheta, sed diu post a quodam falsario, qui Danielis nomen mentitus fuerit, conscriptum, adeoque nullius autoritatis esse. *Cap. VI* aliæ quædam Prophetiæ: e. g. *Gen. III, 15, Deut. XVIII, 15,* considerantur, & *Whistoni plenaria responsio* dignis excipitur modis. *Cap. VII* typicas Prophetias V. T. a Chandlero productas ex *1 Sam. VII, 12 seqq. 2 Sam. XXIII, 1, Zachar. VI, 9 seqq.* Autor eludere conatur. *Cap. VIII* autem, quinque Prophetias in N. T. citatas, ut, *Matth. I, 22, 23, Matth. II, 15, Matth. II, 23, Matth. XI, 23, Matth. XIII, 34, 35,* non *literaliter*, sed *typice*, esse impletas evincere satagit. *Cap. IX* tractat de vi & pondere Prophetiarum ad stabiliendam fidem veritatemque religionis Christianæ; ubi Prophetias, earumque impletionem longe præfert omnibus miraculis. Hæc enim fallacia admodum, illas autem (quas nullibi extare, nec unquam vere impletas fuisse præsupponit) certissima missionis Jesu Christi testimonia esse putat. *Cap. X* formulam illam: *ut impleretur*, toties in N. T. occurrentem, *realem impletionem*, non phrasium quandam *accommodationem*, indicare probat. *Cap. XI* de *Vaticiniis typicis* argute satis, sed malo semper animo, disserit. *Caput XII* laudibus Hugonis Grotii unice destinatum est, quas tanto quidem viro minime invidendas esse putamus; miramur tamen, Autorem nostrum, dum Grotio suo, *duplicem sensum Prophe-*

phetiarum qualitercunque firmanti, tam alacriter assentitur, eidem, *veritatem christianæ regionis* apodictice demonstranti, fidem non habere. *Capite* denique *XIII*, quod ultimum est, Chandlero falsas allegationes, & artes disputandi illicitas, imprimis vero, quod Magistratum civilem in auxilium contra adversarium suum advocaverit, Autor exprobrat, simulque felicitatem Nationis Britannicæ sub Rege *Georgio I*, cujus sacratissima Majestas, ne veritatis indagationi ulla fiat remora, cuilibet, quod verum existimat, sentire, & quod sentit, dicere permisit, in cœlum effert. Qua felicitate dum adeo abuti Anglorum aliquos videmus, merito illis, cum sagacissimo quodam eorum populari, acclamamus: *Tot benedictionibus quasi obruti, cur non estis felices?* Vid. *Pensées libres sur la Religion &c. cap. XII.*

A DISCOURSE ON THE MIRACLES OF our Saviour &c.

hoc est,

DISCURSUS DE MIRACULIS SALVATORIS nostri in ratione ad præsentem controversiam inter Infideles & Apostatas; Autore THOMA WOOLSTONIO, nuper in Collegio Sidnæo Academiæ Cantabrigiensis Socio.

Londini, sumtibus Autoris, apud bibliopolas Londinenses & Westmonasterienses, 1727, 8.

Plag. 5.

CUm Antonius Collins, Autor librorum, qui sub titulis *Grounds* & *Scheme* prostant, de quibus dictum paulo ante hac ipsa Sectione, contra communes interpretationes Scripturæ, unde argumenta pro stabilienda religione Christiana petuntur, calamum strinxisset, & orthodoxi Theologi causam suam contra eum defendere anniterentur; *Woolstonius* hic, Mediatoris quasi vices in se suscepturus, illum in numerum infidelium, hos in numerum apostatarum retulit, propterea quod illius scripta ad destruendam religionis christianæ veritatem tendere, hos vero a primitiva Patrum doctrina desciviffe existimet. Lites igitur compositurus,

 librum

librum edidit sub titulo: *The Moderator between an infidel and an apostate*, hoc est, *Moderator* aut, si mavis, *Mediator inter infidelem & apostatam.* In eo contendit, miracula a Jesu patrata, prout hodie explicantur, nil facere ad probandum divinam ejus autoritatem & quod sit Messias; immo quædam ejus miracula, prout ab Evangelistis commemorantur, nunquam fuisse patrata, sed quæ ab iis referuntur, accipi debere tanquam narrationes propheticas & parabolicas ejus, quod mysterioso quodam & magis admirando modo ab ipso fuerit factum. Opinio ista ipsum met in suspicionem infidelitatis adduxit, ut hoc nomine ex Collegio fuerit expulsus autoritate *Edmundi* Episcopi Londinensis, quemadmodum ex dedicatione colligitur, qua præsentem Discursum eidem inscribit. Sententiam igitur suam vindicaturus, hunc de miraculis discursum conscripsit, in quo hanc primitivam Patrum Ecclesiæ doctrinam esse tuetur, suamque confitetur, historiam vitæ Jesu, prout ab Evangelistis fuerit conscripta, esse emblematicam repræsentationem vitæ spiritualis in animabus hominum, & miracula esse typos operationum mysteriosarum in iisdem; quatuor vero Evangelia nulla ex parte historiam literalem continere; sed saltem Systema Philosophiæ aut Theologiæ mysticum. Et hanc quidem opinionem tanto fervore defendit, ut historiam vitæ ac miraculorum Christi in sensu literali acceptam fabellam absurdam & incredibilem, plenam contradictionum & male cohærentium appellare minime vereatur, cum e contrario sensus mysticus nihil contineat absurdi & quod dedeceat personam Christi. Rogat Theologos Anglos, ut, antequam zelo exardescant, *Theophilum Antiochenum, Origenem, Hilarium, Augustinum, Ambrosium, Hieronymum, Chrysostomum, Joannem Hierosolymitanum* & *Theophylactum* in Evangelia commentantes legant: ita etiam fore confidit, ut suum de miraculo discursum probent, sibique in prosequendo opere assistant, haudquaquam vero primitivam Patrum doctrinam persequantur. Videamus vero, quomodo Noster sententiam suam adstruat & a suspicione infidelitatis, in quam adductus est, sese liberet. Ad tres propositiones revocat, quæ in præsente discursu inculcat. Contendit nimirum, 1) miracula, quibus Jesus sanasse dicitur omnis generis morbos, in sensu literali

acce-

accepta non esse opera, quae deceant Messiam, nec validum praebere argumentum ad probandum divinam ejus autoritatem in fundamentum religionis; 2) sensum literalem quorundam miraculorum, prout ab Evangelistis referuntur, involvere contradictiones atque improbabilem & incredibilem esse, consequenter eadem aut prorsus non, aut saltem ex parte eo, quo hodie creduntur, modo non fuisse patrata, sed narrationes Evangelistarum esse propheticas & parabolicas ejus, quod mysterioso & magis admirando modo in animabus hominum operetur; 3) Jesum ad miracula tanquam argumentum divinitatis provocantem proprie & ultimo non ad ea respicere, quae in carne patravit, sed ad mystica quaedam, quae in spiritu facturus erat, quorum illa, quae in carne patravit, nonnisi mera quaedam umbra ac typus sint. Multum hic se tribuere profitetur autoritati Patrum primorum seculorum, qui religionem ab Apostolis & viris apostolicis acceperint & quos Philosophos summos & Theologos maxime orthodoxos veneratur. Ad eos provocat, probaturus, sententiam suam esse doctrinae Ecclesiae primitivae conformem, a qua discesserit praesens aetas. Primo hic utitur testimonio *Eucherii*, qui universam Scripturam tam novi, quam veteris Testamenti ad allegoricum sensum esse sumendam monet: unde infert, historiam literalem miraculorum Christi nihil probare. In specie autem de miraculis verba *Origenis* adducit, quod symbola quaedam fuerint eorum, quae Jesu virtute semper perficiuntur, quodque omnis languor & infirmitas, quam sanavit Salvator, referatur ad infirmitates spirituales animarum. Huc trahit verba *Hilarii*, quibus Christi gesta aliud portendere, Evangelicis gestis sensum interiorem inesse, gesta praesentia formam futuri peragere, pronunciat. Nec minus in eundem censum refert verba *Augustini*, quae a Jesu facta sunt, alicujus significantia esse & omne, quod fecit Jesus, sacramenta esse; nec non verba *Irenaei*, si temporalis fuerit ab eo utilitas, nihil grande praestitisse iis, qui curati ab eo sint; *Augustini*, si humano captu & ingenio consideremus Jesum facientem, & quod ad potestatem non magnum aliquid fecisse, & quod ad benignitatem parvum fecisse, item ista: si attestabantur miracula, non defuturos fuisse, qui magicae po-

tentiæ cuncta illa tribuerent. Urget denique, quod ipse Moses ac Salvator noster affirment, falsos Prophetas & Pseudo-Messias patraturos esse miracula, & quod *Paulus* doceat, antichristum editurum esse miracula ad decipiendum homines. Quærit igitur, quomodo Christum ab antichristo per miracula distinguere velis, si soli sensui literali inhæreas, cum in eodem miracula Christo cum antichristo communia sint, in allegorico non item? Ne autem neges, miracula unquam ab alio nisi a Christo & veris Prophetis fuisse facta, ad *Apollonium Tyanæum*, *Vespasianum* & famosum quendam empiricum Hibernum *Greatrex* provocat, qui miraculoso modo perinde ac Christus morbos sanavit non sine summo omnium stupore. Opportunum adeo ipsi videtur monitum *Augustini*, ne decipiamur tendentes ad contemplationem veritatis, arbitrantes ibi esse invisibilem sapientiam, ubi miraculum visibile viderimus. Quodsi excipias, miracula Salvatoris fuisse benefica; miracula impostorum nonnisi primo adspectu talia, in quibus malitiam diabolicam latentem haud difficulter detexeris; Noster denuo ad Patres provocat, qui istiusmodi declamatores, quos vocat, docere possint, si miracula in sensu literali accipiantur, Christum fecisse perinde ac impostores (absit blasphemia verbo!) quæ a ratione maxime aliena sunt immo subinde in homines injuria, ut cetera durius nec satis reverenter dicta taceamus. Quodsi urgeas vaticinium *Jesaiæ c. XXXV, 5, 6*, respondens, 1) quærit, quomodo Messiam ab antichristo distinguere velis, si is quoque ad eundem locum provocet; 2) docet, locum *Jesaiæ* Judæorum Patrumque consensu agere de spirituali Christi adventu; 3) addit, eundem loqui non de infirmitatibus naturalibus, sed spiritualibus, *Origene, Cyrillo* & *Hieronymo* interpretibus. Patres agnovisse, Christum suo tempore fuisse Messiam spiritualem, & inde probasse, quod sit verus Messias, non vero inde, quod infirmitates naturales sanaverit. Et his quidem Autor thesi suæ primæ abunde satisfactum existimat. Progreditur igitur ad secundum & ulterius probaturus, sensum literalem quorundam miraculorum Christi absurditates involvere, quædam loca Patrum præmittit, quæ sententiæ suæ favere arbitratur. *Origenes*, Historia, inquit, Scripturæ interdum interserit quædam vel minus gesta, vel quæ omnino geri non possunt,

ſunt, interdum quæ poſſunt geri, nec tamen geſta ſunt. *Hilarius* affirmat, multa eſſe, quæ non ſinunt nos ſimplici ſenſu dicta evangelica ſuſcipere. Interpoſitis enim nonnullis rebus, quæ ex natura humani ſenſus ſibi contraria ſunt, rationem quærendam eſſe cœleſtis intelligentiæ nos admoneri: ut adeo, Noſtro judice, hinc appareat ratio, cur vitæ Chriſti inſerta ſint ab ipſo minime facta & in ſenſu literali abſurda. Addit verba *Auguſtini:* evangelica ſacramenta in Chriſti factis ſignata omnibus non patere & ea nonnullos minus diligenter interpretando afferre plerumque pro ſalute perniciem & pro cognitione veritatis errorem. His præmiſſis ad miracula quædam in ſpecie expendenda progreſſus, primo loco de mercatorum ex templo ejectione diſſerit, quam in ſenſu literali acceptam præter audaciam & temeritatem inordinatum etiam quid repræſentare pronunciat *Origenes.* Cum eo conſentire *Hilarium,* diſertis verbis affirmantem, præfigurationem futurorum iſta relatione contineri: nec aliter ſentire *Ambroſium,* ſenſum literalem prorſus rejicientem, & *Hieronymum,* eundem penitus abſurdum vocantem. Similiter *Auguſtinum* a ſenſu literali recedere, quod non magnum peccatum exiſtimet, ſi mercatores hoc vendebant in templo, quod emebaturut, offerretur in templo, & *Theophylactum* totum eſſe in allegorica iſtius miraculi interpretatione. Senſus allegoricus, judice Noſtro, ex mente Patrum huc redit, in eccleſia Dei conſortium eos habere non poſſe, qui Spiritus S. gratiam nundinentur, ſua quærentes, non quæ Chriſti ſunt. Hunc eſſe perſonæ Chriſti convenientem ait, quemadmodum literalis e contrario rationi & ſenſui communi adverſetur. Progreditur ſecundo loco ad diabolos ex homine obſeſſo in ſues ejectos, qui eos ſecum in mare præcipitarunt. Quodſi miraculum ſenſu literali accipiatur, Chriſtum nihil feciſſe, quod non æque fecerint falſi doctores, *Luc. XIII,27.* Hanc igitur exorciſmi, quem vocat, ſpeciem nullius eſſe momenti in adſtruenda divinitate Chriſti. Suſpectas reddit narrationis in ſenſu literali acceptæ circumſtantias, veluti quæ de perſona obſeſſa, de grege ſuum & de eorum in mare præcipitatione commemorantur, quæ in ſenſu literali nullo modo defendi poſſe arbitratur. Rogat igitur eundem defendentes, quid nos facturi ſimus, ſi quis exorciſta ſimili damno

diabolum expellere prætenderet. Provocat denuo ad testimonia Patrum, quibus sensus literalis illius historiæ minime probatur. Sane *Origenem* profiteri, quod sensui literali hujus historiæ non majorem fidem habeat, quam alterius de Christo a diabolo in montem abducto ob circumstantias in sensu literali male cohærentes. *Hilarium* sensum ejus omnem typicum & parabolicum pronunciare. *Augustinum* per dæmones intelligere gentes, quæ multis dæmonibus serviebant; *Ambrosium* per obsessum genus humanum, quod ad adventum Domini vexatum fuerit furore dementi, rumpens vincula rationis; per sues autem hæreticos. Contendit Noster, si sensus literalis duorum istorum miraculorum verus habeatur, facta illa sola sufficisse, ut in judicium traheretur Christus, nec opus fuisse, ut falsis testimoniis gravaretur. Quærit etiam ex Theologis Angliæ, si talia de *Muhamede* narrarentur, annon inde illaturi sint, ipsum fuisse magum & incantatorem. Tertio loco accedit ad transfigurationem Christi, in monte Tabor factam, & inde porro ad aquam in nuptiis in vinum conversam, sanationem paralytici atque cœci, maledictionem ficus, ipsam conceptionem Christi & ejus a mortuis resurrectionem, atque Theologos Angliæ orthodoxos provocat, ut vel trium miraculorum de mercatoribus ex templo ejectis, de diabolis ex obsesso homine in sues conjectis & de transfiguratione in monte Tabor facta sensum literalem, si possint, ab absurditatibus, contradictionibus & male cohærentibus liberent: persuasissimus enim est, id nunquam ab iis fieri posse, sed sic fore ut impossibilitatem ipso opere experiantur. Tertiam thesin se probare non posse ait, nisi secunda accuratius discussa quam hac vice licuit. Id vero se alias facturum promittit, atque tum se ostensurum pollicetur, majorem ignorantiam ac stupiditatem ea concipi non posse, quam qua quis sibi imaginatur, Jesum ad miracula provocantem tanquam divinæ autoritatis & officii mediatorii testimonium, ea intelligere, quæ ab ipso in carne facta juxta interpretationem literalem supponuntur. Se Jesum & Messiam spiritualem venerari juxta illud *Joannis Hierosolymitani*: Quos in corporibus morbos sanavit Christus, hi in animabus existunt & supremam ejus opem requirunt. Facile apparet, Autorem autoritate Patrum in rem suam abuti,

uti. Etsi enim Patres præter sensum literalem Scripturæ etiam mysticum in sermonibus ad populum utiliter urgendum admiserint; non tamen ideo literalem in dubium vocarunt, multo minus negarunt. Imprimis vero tenendum est, Patres sensum mysticum elaturos, propterea quod eum populo ædificando aptiorem judicarent, de sensu literali durius subinde locutos, quam par erat: id quod etiam ab iis in aliis subinde casibus factum esse constat. Iidem majoris fecerunt sanationem infirmitatum spiritualium, tanquam humano generi magis salutarem, quam infirmitatum naturalium; non tamen ideo negarunt, quod has miraculoso modo sanaverit Salvator & vi sensus mystici vaticinium *Jesaiæ* ad omne tempus Novi Testamenti extenderunt: ut alia taceamus, quæ breviter dici vix possunt. Hæc interim celare Lectorem noluimus, ut cavere virus discat, & inania ac futilia Autoris argumenta perspiciat. Ceterum nuper accepimus, Regni Anglicani Senatum, libri perversitate motum, eum igni damnasse, Autorem vero impium, ut pœnam meritam subterfugeret, ad Judæorum cœtum nefarie transivisse.

AN ESSAY TOWARDS A NATURAL HISTORY of the Bible.

h. e.

TENTAMEN RESPICIENS HISTORIAM naturalem S. Scripturæ, & quædam pertinentia ad occasionem revelandi principia Mosis.

Londini, 1725, 8.

Plag. 20.

AUtor anonymus initio libri dicit, se paucis, (alio forte tractatu) exposuisse descriptionem a Mose suppeditatam, de agente illo, seu potentia, quam Deus creavit ad formandum hunc nostrum, & alios globos, & ad dirigendam universalem illam operationem, quam naturam vocamus. Jam quæri, quomodo Moses p. 2.
consentiat cum philosophia naturali, & unde eam hauserit. Pri- 4.
mum autor ex librorum antiquissimorum, Mosis, & Jobi inspectio-

ctione eorum autoritatem adversus contemtores se demonstra-
turum dicit, & ad objectionem ex *Act. VII*, 17, quod Moses erudi-
tus fuerit in omni sapientia Ægyptiorum, adeoque hinc discere
potuerit sine peculiari revelatione, quæ ad historiam naturalem
pertinent, respondet: hinc probari non posse, sapientiam Ægy-
ptiorum eximiam fuisse, sed saltem id sequi, habuisse eos suas
quasdam scientias. Has vero admodum exiles, & in usu equo-
rum ac curruum in bello, inque religione & politia misere con-
stituta sitas fuisse ait. Siquidem & methodus eorum memoriam
personarum & actionum propagandi tam obscura & parum in-
telligibilis fuerit, ut 270 annis post mortem Josephi, Rex ille Ægy-
pti, qui crudeliter vexavit Israelitas, nihil ea de re sciverit, quod
cuidam antecessorum suorum tantos thesauros & quintam par-
tem proventuum terræ in perpetuum procuraverit, & populum
omnem in summa fame servaverit Josephus. Potuisse eos non ni-
si rudem hominis figuram delineare, & columnam erigere, aut
cumulum lapidum congerere, in memoriam actionis cujusdam
p. 7. magni momenti. Uti Daniel neque ex Judæorum, neque Chal-
dæorum probe cognita Philosophia, sed ex mera revelatione di-
vina, detegere secreta, & Nebucadnezari somnium suum enarra-
re potuerit: ita & Mosen, a quo librum Jobi conscriptum censet,
non nisi ex instinctu divino, postquam artem scribendi ab ipso
Deo in monte Sina fuerit edoctus, tam secreta & incognita de cre-
atione rerum literis consignasse. Porro ad objectionem impro-
bam, quod Moses artes politicas in Ægypto, & fraudes sacerdo-
tum inter Midianitas edoctus, sub prætextu revelationis rerum
abstrusarum, pubernationem rudis & superstitiosi populi aggres-
sus sit, respondet: nullam Mosi causam fuisse falsa narrandi, aut
fraudibus utendi, sive se ipsum, sive Deum respexerit: si enim de-
tectæ fuissent fraudes, ipsi infamem impostoris titulum exspe-
ctandum; Deum vero hoc pacto non tam honore, quam contu-
II. melia affectum fuisse. Neque concedendas esse hypotheses de ho-
minum eo tempore, & speciatim populi Israelitici ruditate, siqui-
dem meliores philosophi tum exstiterint, quam hodie, & popu-
lus Israeliticus fuerit omnium in orbe doctissimus. Et si vel maxi-
me rudis ille fuerit, potuisse divina providentia libros Mosis, uti

&

& factum, usque ad eruditum hoc seculum conservari, & rigoro- p. 13.
so examini subjici. Qui tam perverse rationes subducant, nullo modo intelligere potentiam, sapientiam, & scopum Dei. Tum inania esse, quæ de Ægytiorum Philosophia jactantur, unde Moses sua haurire potuerit: siquidem Ægyptiorum hic sit character, quod fuerint monstra omnium stupidissima. Neque hominem, si vel maxime creationi mundi interesse potuerit, hujus rationem pervidere, aut si omnia inspicere & intelligere ei datum fuisset, posteris hæc enarrare potuisse, ita ut ante revelatam scribendi artem incorrupte hæc notitia propagari potuerit. Si diabolus pro- 15.
babilem, eamque revelatæ oppositam narrationem de formatione mundi concinnare valuisset; hanc eum per oracula editurum fuisse. Tum & Philosophorum gentilium varias hypotheses & opiniones de origine mundi a se ipsis destrui. Solius igitur Dei maximum beneficium esse revelationem tam abstrusarum rerum.
Non sufficere, id quod quidam horum opinatorum (*Imaginers* 18.
vocat Autor) afferat, scriptores sacros fuisse viros bonos, & fide dignos, etsi divina inspiratione caruissent: quoniam nemo prudens etiam viro bono talia, qualia Moses scribit, sine sufficienti testimonio afferenti, crediderit. Manifestum ergo esse, quod ex divina revelatione creationem mundi & alias historias, in quibus sæpissime mandatorum divinorum mentio fiat, Moses descripserit. Inter ipsos Judæos tempore Mosis & sequentibus seculis 21.
multos fuisse incredulos, Deo rebelles, obmurmurantes, irrisores, qui tamen fidem historiarum sacrarum, & miraculorum tantum abest, ut labefactare potuerint, ut suo sæpe exitio confirmarint. Inter gentes vero alias Hebræis antiquissimam cum Chaldæis, a quibus discesserint, contentionem fuisse. Cum diaboli, qui nil æ- 22.
que proprium ac rebellionem habeat, statim post hominem conditum præcipuum studium fuerit, opera Dei Deo opponere, & alio detorquere; & sacrificia statim a Deo vel instituta, vel approbata sint; Autor collatis variis Scripturæ locis probabile reddere conatur, abusum sacrificiorum apud vulgum ante diluvium præcipuam hujus causam fuisse. Deinde novam de scopo exstruendæ 25.
turris Babylonicæ in medium affert hypothesin. Quod enim dicitur *Gen. XI* de uno universæ terræ labio & sermone eodem, hoc

nihil aliud, quam consensum in cultu divino denotare ait, eumque
in finem loca Scripturæ S. quibus labiorum in Deo colendo men-
tio fit, uti *Jes. XXIX, 13, Hos. XIV, 12, Jes. XIX, 18, Jerem. III, 9,
Hebr. XIII, 15*, adducit. In verbis *Gen. XI, 4: Agite ædificemus
nobis civitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad cælos usque;*
interpretes male addidisse illud *pertingat*, asserit. Omissa enim
hac voce, quæ nec in textu Hebræo exstat, horum verborum hunc
p. 28. esse sensum: se urbem suæ exstruere velle commoditati, fastigi-
um vero turris dedicare ætheri ceu Deo, idque imposito altari.
Tum & illud: *faciamus nobis nomen, antequam dispergamur
in universam terram*, eo tendere, ut ædificatores turris, prævi-
dentes imminentem excrescenti multitudini dispersionem per
orbem terrarum, constituta hoc pacto religione magnam impe-
trent nominis celebritatem, ita ut secundum Deum suum hono-
rentur ab omnibus, qui in hac metropoli regibus & sacerdotibus
p. 33. accepti esse cupiant. Sed divina deinde, non ira quidem, quod
vulgo putant, verum gratia confusum esse eorum labium, h. e. uti
Autor exponit, turbatam confessionem fidei, per exortas dissen-
siones in religione constituenda; unde opus imperfectum relin-
quentes in diversa discesserint: neque omnes quidem falso cultui
fuisse implicitos. Cultum vero illum *cæli* fuisse cultum *Belis* seu
Baalis, ad quem & *Nimrod* vi & fraudibus homines induxerit,
dictus inde *potens venator coram Domino.* Atque ob hunc cultum
perversum Babylone institutum, hanc dici grandem meretricem,
matrem scortorum & abominationum terræ, *Apoc. XVII, 5.* Sem-
34. per inde fuisse contentionem inter eos, qui cælum, & qui Domi-
num cæli coluerint; eamque ob causam Tarah & Abrahamum
cum familia a Chaldæis fuisse expulsos, tanquam blasphemos in
Deum ipsorum. Hanc suum hypothesin permultis S. Scripturæ di-
ctis confirmare studet, quibus Deus dicitur *Deus altissimus, Do-
minus exercituum, possessor cæli & terræ*, & quæ sunt hujusmo-
40. di; nec non iis, quibus de Chaldæorum, Ægyptiorum, Cananæo-
rum, gentiumque vicinarum, tum & ipsorum Israelitarum idolo-
79. latria agitur. Fusius deinde exponit, quomodo ætheri & aeri, o-
mnem materialem effectum in his terris producenti, sub variis
nominibus & imaginibus, tanquam supremo Deo servierint anti-
quis-

quissimi hi populi; quorum idololatriæ Moses opposuerit historiam creationis; nec non primum decalogi præceptum, de non colendis Diis alienis, & alterum, ex hypothesi Reformatorum, de non fingendis signis aut imaginibus Dei. Imagines autem ætheris, & corporum cœlestium fuisse tales, ut eorum attributa & operationes commode repræsentarint. Hinc Solem & Lunam p. 87.
designari per figuram capite coronato, & radiante, & manu armata sceptro, vel gladio. Porro ætheri, aeri, Soli, tanquam Diis data 88.
nomina designantia Regem, dominum, potentem, uti *Baal*, *Moloch*, *Milcom*, *Adra-Melech*, *Ana-Melech*. Hinc & Mosen jussum cultores Baal-Peoris suspendere coram Sole *Num. XXV*, 4. Ipsos quoque Reges & principes nomine Baalis & Beli frequenter appellatos, uti *Belam*, item *Baal-Chanan*, Reges Edom, *Gen. XXXVI*, *32, 39*, *Bal-Adan*, Rex Babyloniæ, item *Belschazar*, quod nomen & Danieli tributum *Dan. I*, 7, *Esch-Baal*, *Merib-Baal*, *Jerub-Baal*. Nomina idolorum Baal cognominibus montium, ci- 89.
vitatum, peculiarium insignium &c. fuisse distincta. Urbes etiam 92.
frequentissime nomina a Diis traxisse, uti *Baal-Meon*, *Baal-Gad*, *Kirjath-Baal*, *Beth-Dagon*, *Ir-Schemesel*, *Beth-Schemesch*: ex *Schemesch* factum videri *Chemosch*, & inde *Camos*. Vim divinam 96.
ætheris, Solis, Lunæ repræsentatam fuisse per varia animalia, imprimis per bovem, cui juba crispa, denotans radios ignis & lucis: (unde & μοσχολατρία Israelitarum in deserto, & vitulorum cultus a Jeroboamo institutus in honorem Baalis, *2 Reg. XVII*, *16*, *Tob. I*, *5*,) tum & per arietem, capram, columbam: unde hæc Deo immolare jussus Abraham, *Gen. XV*, & præcipua ex his animalibus, quæ apud gentes fuere signa & imagines Deorum, divino jussu oblata ab Israelitis sacrificia, qui ea propter Ægyptiis fuerint abominationi. Quod vero per Baal & Meloch nihil aliud desinarint, quam ætherem, Solem, ignem, ex cultu patere, quando primogeniti per ignem traducendi, *Ezech. XX*, *31*. Cultum illum in montibus, collibus, turrium fastigiis, tectisque imprimis fuisse peractum: atque huic persuasioni de beneficiis τῶν Baalim, sive 112.
ætheris, aeris, & corporum cœlestium opponi varia Prophetarum loca, uti imprimis *Hos. II*, *5—17*. Dum, quæ huc pertinent in historia Abrahami, uberius exponit Autor, eumque a cultu, forte &

ob neglectum cultum, a supplicio ignis per discessum ex Ur-Chal-
p. 116. dæorum ereptum esse ait; de Melchisedeco etiam agit, eumque
120. ipsum Christum esse, aliquot argumentis probare nititur. In sequentibus Sodomæ & Gomorræ crimen gravissimum, igne cœle-
126. sti vindicatum, cultum ignis idololatricum fuisse autumat. Inde pergit ad statum Israelitarum in Ægypto, eapropter afflictum,
127. quod a sacris Ægyptiorum abhorruerint. Deum in igne Mosi quoque, uti Abrahamo, *Gen. XV*, apparuisse, ut ostenderet, se
129. ignem, numen gentilium, in potestate habere: omniaque miracula in Ægypto a Mose patrata eo tendere, ut demonstretur, Deum Israelis esse autorem naturæ, quippe in quam absolutum ejus
130. esse imperium, illa manifestissime ostendant. Singula igitur miracula, spectante infinita etiam adversariorum multitudine patrata, peculiarium criminum redargutionem respicere, & literis consignata fuisse, ipso Deo artem scribendi circa id tempus revelan-
131. te, ut eorum magno numero, & quorundam diuturnitate ipsius Creatoris omnipotentia, tum & ministri ejus autoritas & veraci-
134. tas in perpetuum comprobaretur. Hinc, cum per Pharaonem ætheris aerisque operatio Deo fuerit opposita, & ejus ministrum Mosen magi æmulati sint, Deum se omnibus superiorem demonstrasse, atque imperium suum ostendisse in lucem, tenebras, ventum, nubes, ignem, aquas. Deinde & varii generis sacrificia, a Deo præcepta, cultui elementorum, & speciatim sacrificia per ignem cultui ignis fuisse opposita: neque minus pessima cultus idololatrici adjuncta, e. g. victimas humanas, scortationes, helua-tiones, auguriorum & oraculorum captationes simul severe fuisse
141. prohibita. Cum Ægyptii motum corporum cœlestium & revolutionem Solis annuam designarint per serpentem in circulum volutum, & ore caudam admordentem; primum miraculum patratum fuisse mutatione projecti baculi in serpentem, qui magorum baculos itidem transformatos deglutierit, ita ut magi & Dii imaginarii, & diabolus, adjutor eorum, fuerint victi ac superati. Ad
142. perficiendum alterum miraculum, quo aquæ omnes in Nilo, minoribusque Ægypti rivis, fontibus, & lacubus in sanguinem mutatæ, (inter alia in pœnam, quod recens natos Israelitarum pueros in undas projecissent,) eandem potentiam necessariam fuisse Au-

tor

tor ostendit, quæ initio sanguinem in animalibus produxerit, magos autem nihil aliud fecisse, nisi quod in foveam quandam ope diaboli nonnihil sanguinis, quo omnia aquarum receptacula erant
plena, transportandum curarint. Eodem modo non nisi eandem p. 147.
potentiam, quæ primum ranas formarit, tantam multitudinem ranarum per universam Ægyptum producere potuisse. Magos vero saltem ex illis nonnullas ope diaboli in flumen transvectas ex eo propulisse. Pediculos autem, contemptissimum animalculum, non æque ut sanguinem & ranas, sistere potuisse, quod Deus prohiberet. Simili modo reliqua exponit miracula,
etiam illud observans, per favillas fornacis, quibus in aerem spar- 157.
sis, Ægyptii & magi ipsi oppleti sint ulceribus, pœnam eos dedisse crudelitatis, qua antea ad fornaces lateribus coquendis afflixerint
Israelitas. In ultima plaga ipsum etiam aerem, Deum ipsorum, 169.
adhibitum ad insinuandam materiam miræ pestis, qua omnis pri-
mogenitus perierit. Dum deinde Israelitas persecuti Ægyptii, ho- 177.
rum quoque Deos, qui *Num. XXXIII, 4* puniti dicuntur, h.e. sacra eorum insignia cum magis & Rege principibusque simul fuisse rubro mari submersa, populum vero Israeliticum adhibita columna nubis & ignis a Deo hinc inde ductum, aqua etiam e petra per mi-
raculum & coturnicibus saturatum. Mannam autem ministerio 18[illegible].
aeris ex atomis illis, e quibus in plantis & frugibus semina producuntur, divina potentia modo extraordinario in grana collectis, concrevisse. Philosophia itaque Mosis naturalis, quam hoc libro
explicatum id Autor, ei in compendio hæc est: ille, qui aerem, 189.
nubes, ventos, ignem, aquas, & omnem rerum naturam in potestate & ad nutum paratam habet, solus est omnium creator, solus summus Deus, cui soli, neutiquam autem rebus ab eo creatis, cultus religiosus debetur. Perfecit autem ille miracula sua ministerio *spiritus*, h. e. principii illius activi, quod interpretes *Gen. I, 2*, *ventum* vocant, cum tamen ventus saltem ad effectus ejus, eosque
inferioris notæ pertineat. Lux, ignis, nubes lucida sæpe in Scriptu- 193.
ra dicuntur gloria Dei, quod iis ad manifestandam nunc præsentiam suam gratiosam, nunc terribilem potentiam, gloriose utatur.
In sequentibus attingit etiam miraculum Josuæ, Solem, Lunamque 207.
stare jubentis, id quod ita exponit: Solem dici lumen majus, Lu-

nam vero lumen minus, cumque mandatum hoc de ipso Solis aut Lunæ globo intelligi non possit, ita capiendum esse, quod optaverit Josua continuationem lucis majoris, Sole forte ad occasum vergente, in Gibeon, & minoris in valle Ajalon; & quod propterea allocutus sit primum illud movens in hoc systemate, votique compos fuerit factus, usque dum gens Israelitarum ulta esset hostes
p.229. suos. Porro rationem sacrificiorum, quam supra attigerat, fusius exponit: eum nempe, qui per ignem sacrificarit Deo, hoc ipso renunciasse cultui ignis, & qui combusserit hujusmodi animal, quod repræsentarit operationem ignis vel ætheris, summa contumelia fictum hoc numen affecisse. Tum & varias leges rituales, e. g. illam de offerendis Deo frugum & pecudum primitiis, gentilium opinioni, qui ætheri & aeri fruges acceptas ferebant, oppositas fuisse docet, varia loca Scripturæ pro scopo suo adducens &
245. exponens. Inter alia Satanam, quem divina concessione per ignem cœlo delapsum Jobi greges & famulos interemisse, ac vehementi procella domum, in qua congregati erant liberi, evertisse, imprimis ob cultum idololatricum inter gentes ipsius sugge-
245. stione ætheri atque aeri præstitum, *principem potestatis aeris Eph.*
252. *II*, 2, dici statuit. Liberationem Israelitarum proximum saltem & externe apparentem scopum miraculorum in Ægypto patratorum, finem autem ultimum & potiorem fuisse, ut educeretur ecclesia ex spirituali Ægypto h. e. servitio creaturarum & elemen-
277. torum, quæ Apololus appellet *egena elementa*. Cultum autem elementorum apud alios populos fornicationem, apud Israelitas autem, populum Deo desponsatum & sacratum, adulterium dici, & præcipuam occasionem fuisse revelandi creationem, formationem, & usum corporum cœlestium, & potestatis ætheris. Ex
266. horum vero cultu factum, ut sacerdotes gentilium astrologiæ, variisque divinationibus superstitiosæ plebi illudentibus operam dederint. Denique dicta ad scopum maxime facientia summatim repetit, & S. Scripturæ autoritatem contra malignos ejus contemptores, quæ non intelligunt, ridentes atque exagitantes, nervose defendit. Ceterum liber eruditus, cujus singulares quasdam hypotheses Theologis examinandas relinquimus, nullam præfationem aut dedicationem, nullam in capita aut paragraphos distinctionem, & indicem habet nullum.

EXER-

EXERCITATIONUM THEOLOGICARUM
Decas, de summa sapientia ex Proverb. VIII, 22--36; Autore
BERNARDO SEBASTIANO CREMER.

Harderovici, apud Guilielmum Lunterbos, 1724, 4.
Alph. 1 pl. 2.

Lis aliquando & gravioris momenti concertatio inter triumviros Fœderati Belgii circa sacratissimum de Trinitate caput fuerat exorta. *Unus*, ut antitrinitariorum strophas, in generatione proprie dicta fallax aliquod præsidium quærentes, fortius eo everteret, naturalem Filii a Patre generationem, & Spiritus S. ab utroque naturalem processionem, ibat inficias. *Alter* quicquid generationis erat, ad œconomiam relegabat, omni a natura Dei filiatione penitus exclusa. Refutaturus utrumque *Tertius*, in eam incidit opinionem, unicam tantum relationem, generationem scilicet naturalem dari, quare *Filius* vocetur Mediator, omni ad alteram naturam respectu penitus profligato. Hujus igitur in disceptationis momentum inquisiturus Cl. Autor, ea quæ huc spectabant, sibi excutienda sumit, facto ab oraculo hoc Salomonis initio. *Prima* Exercitatio, *Summa Sapientia* inscripta, sacri Scriptoris in oraculo nostro scopum, sermonisque per priora novem libri capita seriem tradit. p. 21.

Secunda de Summæ Sapientiæ generatione naturali ex comm. 22 præcipiens, variis eam & elegantibus, ex contextu haustis adstruit argumentis. Servatorem, utriusque naturæ habita ratione, Sapientiæ titulum mereri monet. In divinis enim unam sanctissimæ Triadi sapientiam esse: ejusque decreta per Spiritum S. humano generi exposuisse Christum *Eph. I, 8, Col. III, 16. Possessio* igitur necessaria & naturalis, seu generatio cogitanda. *Viæ Dei* ejus consilia, horumque executionem notant. *Initium viarum*, vel in appositione ἀρχὴν τῆς κτίσεως Θεȣ̃ *Col. I, 15* describit. Est namque activum divinorum operum principium Filius Dei, eo quod in A hoc & Ω decernat cuncta Pater & peragat: vel elliptice loquendo *ante* vel *in* ex *Joh. I, 1*, subaudire jubet.

Tertia adversus Altingium, divinitatis Christi argumentum 41.
hic

hic latere negantem, omniaque potius ad œconomiam N.T. & ad unctionem seu in mediatorium munus constitutionem trahentem, decertat: simulque contra Henricum Morum, Semi-Arrianos, Remonstrantes, & H. A. Roellium procedit, quem tamen etiam contra Theologos Leidenses, quantum ad indifferentiam decretorum divinorum, vindicat atque tuetur.

p. 57. *Quarta* ad v. 23 *Summæ Sap. unctionem œconomicam* seu constitutionem Filii Dei in Christum, & fundamentum salutis sistit, quæ ut ante mundum, ab æterno decreta *Eph. I*, 4, ita a Patre per Spiritum S. in tempore fuit peracta. Refellitur hic Wesselius, de generatione naturali unctionem interpretatus.

69. *Quinta Oeconomicam generationem Sap. S.* sensumque com. 24–26 traditura, ingeniose rationes conquirit, quare *cum dolore se editam*, eadem profiteatur; easque in singulari erga genus humanum benevolentia, & excandescentia in peccatores æterna,
74. sibi reperisse videtur. Obiter oraculum Psaltis *Ps. LXXII*, 17, excutit, obviam ibi vocem *Jinnon*, per filium œconomicum, qui & filius naturalis, reddens. Eandem uberius materiam Exerc. *Sexta* perorat: notatoque iterum Wesselio, duplicem imo triplicem generationem, ob utramque videlicet naturam, munusque mediatorium, in Messiam cadere adstruit, idemque assertum Patrum & Doctorum Eccl. Ref. consensu munit.

109. *Septima omnipræsentiam Sapientiæ Summæ* ex curatiori v. 27–29 excussione demonstrat.

125. *Octava*, v. 30 illustratura, de genuina vocis *Amon* notione est
130. sollicita; quam per alumnum seu filium minorennem in sinu gestatum ex *Joh. I*, 18, vertendam esse Cl. Autor judicat, ita quidem, ut partim ad generationem naturalem ac subsistendi ordinem, partim vero & imprimis quidem, ad statum Ecclesiæ sub promissione minorennem, ad plenitudinem usque temporis habeatur respectus, coll. *Hos. XI*, 1, *Zach. III*, 8, *VI*, 12.

141. *Nona de S. Sapientiæ lusu in cœlo & terra sub promissione*, ad v. 30, 31 agit. Scilicet quicquid alumnus ille, Patris ut captaret favorem, moliebatur, ejus in V. & N. T. apparitio, coll. *Matth. XI*, 17, omnisque apud Patrem interpellatio, lusus nomine venit. Futuram quippe urgebat ille obedientiam, acquiescente in ea cum læti-

lætitia Patre. Ipsa & hilaritatem atque tripudia filiis Adami impetrabat, quos ad solos Electos constringit Cl. Autor.

Decima tandem, *Summæ Sap. in carne manifestationem* exponens, commata 32—36 de plenitudine temporis intelligere jubet, qua conspiciendum se Ecclesiæ Mediator exhibuit, & ad auscultationem verbi, ac constans obsequium eidem præstandum, Judæos Græcosque invitavit. *Complementum* quoque *vaticinii* ex vitæ Christi historia luculenter commonstrat. p. 165. 186.

Ceterum Cl. Autor nulla agnoscit Exemplaria nisi sua signata manu.

D. MICHAELIS ALBERTI, REG. MAJ. BORUSS. Consil. Aulici ac Prof. Med. & Philos. Natur Publ. Ordin. Systema Jurisprudentiæ Medicæ.

Tomus I.

Halæ, typis & impensis Orphanotrophii, 1725, 4.
Alph. 7 pl. 6.

Tomus II.

Schneebergæ, impensis Caroli Wilh. Fuldæ, 1729, 4.
Alph. 4 pl. 41.

INtra limites nimis angustos coercere Medici officium, qui curam & sollicitudinem ejus in sanitate integra conservanda & labefactata restituenda tantum collocatam esse existimant, dudum indicavit B. Johannes Bohnius Lib. de duplici Medici officio, Clinico & Forensi: dantur enim casus, ubi JCti Medicorum expetunt judicia in ferendis sententiis, ne rei mitiore, innocentes graviore afficiantur pœna; de quibus quæstionibus ad Jurisprudentiam pertinentibus Medici superiori & nostro seculo peculiares ediderunt tractatus, Fortunatus puta Fidelis, Paulus Zachias, Caspar a Reies, Rodericus a Castro, Caspar Bravo, Paulus Ammannus, Michael Bernhardus Valentinus, Johannes Friedericus Zittmannus, Andreas Ottomarus Gœlicke, Hermannus Friedericus Teichmeyerus, aliique. Ea tamen inter hos scriptores deprehenditur

differentia, quod alii Theoriam solummodo tradiderint, atque docuerint, ut Responsa ad quæstiones illas prudenter sint formanda; alii vero exemplis seu responsis Facultatum privatorumque Doctorum rem illustraverint. Utrumque præstitit Clariss. *Alberti* in præsenti systemate Jurisprudentiæ Medicæ. Postquam enim hodiernis Medicis Medicinam Sectariam relinquere & Eclecticam, i. e. magis rationalem sequi consultum visum fuit, Cl. Autori quæstiones, in quarum decisione non unanimes esse solent Medicorum & JCtorum doctrinæ, Lectori proponere & de iis sententiam suam aperte & perspicue explicare, ac exemplis corroborare placuit. Priorem igitur Tomum divisit in duas partes, in quarum prima, Didactica seu Theoretica, singula illa dogmata, quæ in Medicina Forensi occurrere solent, proposuit, adjunctis ubique JCtorum ac Medicorum celebriorum citationibus, imo apposuit etiam aliqua, quæ hactenus non fuere vulgaria, licet scitu digna, utilia & curiosa, ut ex Conspectu Capitum mox uberius apparebit; addidit insuper cuilibet specialiori tractationi nonnullos casus, qui privatæ suæ decisioni hactenus fuerunt commissi, quos ea intentione cum succincta epicrisi commendavit, & divulgavit, ut assidui Philiatri illis elaborandis & in judicium quoddam sive responsum forense convertendis operam dare potuerint, quo ipso hac ratione præparentur, ut aliquando idonea Judiciis Civilibus aliisque Collegiis exhibeant decisa. In Parte secunda, quæ Practica, Casuistica, & exquisite Forensis est, multos obtulit casus, quos elaborandos & expediendos officium Decanatus, quotiescunque in ipsum transferebatur, ab eo postulavit, quibus utplurimum compendiosam & nervosam epicrisin apposuit; adjecit etiam in Appendice similes casus & responsa ab honoratissimis Collegis suis elaborata. Tomus alter itidem Practicus est, eadem methodo concinnatus, in quo pariter ac in Parte II Tomi I ejusque Appendice passim addita sunt excerpta ex Actis ad Facultatem transmissis, sententiæ Dicasteriorum, imo nonnunquam ipsæ defensiones reorum, contra quos inquisitio fuit instituta, quandoque judicia Medicorum impugnantes. Ex conspectu Tractationum in Tom. I P. I obviarum judicabit L. B. de præstantia libri. Post Præcognita scilicet Jurisprudentiæ Medicæ in

Capi-

Capite 1 tractat Clar. Alberti de Scientia, Experientia, Conscientia, Prudentia & Autoritate Medici in Casibus Forensibus, seu de Officio & Decoro Medici Forensis; in 2 de Potentia & Impotentia generandi prolem, & Hermophroditis; in 3 de Virginitate integra & læsa, de Stupro ac Sodomia; in 4 de Debito Conjugali, Conceptione & Graviditate; in 5 de Superfœtatione, Mola, & Monstris; in 6 de Animatione Fœtus & Abortu; in 7 de Partu legitimo & illegitimo; in 8 de Primogenitura & Assimilatione Parentum; in 9 de Fœtu vivo, mortuo, & Infanticidio; in 10 de Morborum Simulatione & Dissimulatione, seu de Morbis veris & fictis; in 11 de Morborum & Mortis Recognitione; in 12 de Tortura; in 13 de Homicidio per venena; in 14 de Homicidio malitioso per manum & instrumenta violenta; in 15 de Homicidio artificioso seu Medico; in 16 de Autochiria Medica; in 17 de Inspectione Medico-Legali; & in 18 de iniquis Advocatorum Stratagematibus in casibus Medico-Legalibus. De cetero monemus, Partem I Tomi I latino, Partem vero II cum Appendice, ut & Tomum II vernaculo idiomate exhiberi, epicrises si exceperis, ab Autore additas; præmissamque operi Præfationem JCti consummatissimi, Christiani Thomasii, paucos ante menses beate defuncti, in qua in differentiam & convenientiam quatuor Facultatum Academicarum, in specie in convenientiam Medicinæ & Jurisprudentiæ inquirit; causas investigat, cur JCti consilia a Medicis petant, non vero hi ab illis? de Scriptoribus Medicinæ Forensis differit, & præsens opus modeste commendat.

JOANNIS PHILIPPI BURGGRAVII, JUN. Doctoris Medici Francofurti ad Mœnum, de Viribus Auri Medicis, & Pharmacorum ex Auro reliquisque Metallis paratorum Indole, Commentatio.

1) AUrum dicitur illud metallum, quod reliquis omnibus ponderosius, ductilius, & ad ignem fixius, imo cum antimonio fusum, hujus vires elidens reperitur. 2) *Metallum* est corpus malleabile, ad ignem fusile, frigore vero in solidum iterum con-

crescens. 3) *Principium metalleitatis* in metallis esse *mercuriale*, probat α) *pondus*, majus quidem in auro, & minus in aliis metallis quam ipsius mercurii vulgaris, ob rationes mox dicendas: β) *amalgamatio*, quæ facilius cum metallis mollibus ductilibusque ad sensum magis quoque mercurialibus, difficilius cum metallis minus ad sensum mercurialibus, ut cupro, nunquam cum ferro, ob copiosam ejus terram stypticam, facillime omnium cum auro succedit: γ) *malleabilitas*, mercurius enim vulgaris a fumo ex plumbo fuso exhalante quodammodo coagulatur, ut mallei ictus admittat, &, quod hic probare volo, malleabilitatem metallis dare docet. 4) *Principium consistentiæ & fusilitatis* est *Sulphur*, non vero sulphur vulgare ex pingui & acido constans, sed simpliciter pingue & inflammabile. 5) Omnes enim metallorum croci solo igne parati, & nulla ignis tortura in metallum fusione iterum cogendi, addito tali pingui, mox pristinam suam recuperant metallicam indolem. Exempli loco sit crocus Martis Kunckelianus & crocus Saturni sola ignitione paratus, quorum uterque irreducibilis solo addito oleo lini facile reducitur. 5) Crocus Martis Kunckelianus ex ejus præscripto Art. Arar. p. 48 seq. ita paratur: Rec. limaturam martis tenuissimam & purissimam, indas ollæ capaci tantum quantum digiti latitudini æquat, plus vero minime; ollam opertam furno calcinatorio vel simili committas, ut flamma illam continuo lambat, hæc Martis limatura in pulcherrime rubrum & tenuem pulverem fatiscit, ita ut totam expleat ollam & vel ipsum ollæ operculum attollat. Hic pulvis eximendus, & remanebit in ollæ fundo eique tenaciter accreta haud exigua ferri portio, quæ cum olla dicto iterum furno committenda, & sic in similem etiam abit pulverem qualis prior fuit. 6) *Principium coagulans Mercurium in metalla* omnibus metallis idem & *salinum* esse videtur: nulla enim suppetit ratio, cur in singulis metallis diversum sit. 7) Paucam vero quantitatem *hujus* coagulantis principii ad sat magnam Mercurii quantitatem in metallum figendam sufficere, monstrat exemplum Mercurii vulgaris a vix visibili fumo plumbi utcunque coagulandi. 8) Aurum reliquis omnibus metallis ponderosius esse dixi §. 1. Aurum pondere proxime sequitur Mercurius vulgaris. Hic probe depuratus

se

se ad aurum habet ut 14 ad 19. 9) Quo igitur in aurum transeat, debet se ipso gravior fieri. 10) Videtur vero Mercurium ab omni heterogeneitate defæcatissimum æquare si non superare ipsum auri pondus. Consentiunt Philosophi. 11) Vel cum Mercurius in minimis fere suis partibus sit in globulos divisus, cum unus ejus globulus in millenos fere iterum dissileat, debet is ita constringi coagulando, quo interstitia moleculas Mercurii divisas intercedentia comprimantur, sicque volumen Mercurii decrescat, pondus vero voluminis increscat. 12) Sed prius §. 10 magis verosimile sit. 12) Hic idem auri defæcatissimus Mercurius §. 10, principio illum in aurum coagulante fixus, cum multo sulphure §. 4 mixtus, & ductilitatis auri ejusque fixitatis ratio existit. 13) Videtur enim quod Mercurius vulgaris, ob peregrina saltem admixta ad ignem fugax sit, defæcatissimus vero aureus neutiquam. 14) Reliqua omnia post Aurum metalla, a corporibus alienis, eorum Mercurio & Sulphuri in metalla coagulatis admixtis id fiunt quod sunt. 15) Et prout peregrinum hoc quod metalla, si ita, ubi non verba curo, loqui licet, specificavit, huic metallo demis & alteri addis, unum in alterum mutas. 16) Unde v. gr. si cupro plus addis de terra ferri styptica, cuprum facile in ferrum mutabitur, & ex parte a ferro stypticam terram abstrahendo, illud ferrum erit cuprum. Conf. *Beccher* Suppl. I ad Physic. Subterran. p. 667. 17) Omne metallum igitur in sua radice Aurum est, consensu quoque Philosophorum. 18) Ratio igitur possibilitatis metalla ignobiliora in aurum transmutandi, & ratio operationis in hoc negotio lapidis ita dicti Philosophici in eo hæret, ut separetur ex metallis ignobilioribus perfecte illud quod ipsis præter Mercurium & Sulphur accrevit. 19) Cum enim tale ignobile metallum in aurum transmutandum ab ipsa natura metallicam suam consistentiam jam fuerit adeptum, hinc, si modo illud peregrinum ablatum fuerit, Mercurius & Sulphur, ejusdem metalli, ambo jam metallica, sic sui juris & pura facta, sponte in verum aurum concrescent. 20) Hinc plumbum Auro & Mercurio proxime pondere accedens, facilius in aurum mutatur, & plus sub hac mutatione largitur auri, quam argentum. Consentiunt Philosophi. 21) Videtur hanc metallorum medicinam primario ex Vitriolo petendam

dam esse. 22) Ex pondere specifico auri, seu si mavis Mercurii, auri & reliquorum metallorum, inveniri poterit quantitas Mercurii, seu si mavis auri, quam quodlibet præter aurum continet metallum. 23) Quoniam vero quodvis metallum, excepto auro, & Mercurio vulgari, specie levius sit, patet, satis parum genuini Mercurii illis inesse, & qui vulgo ex illis etiam paratur Mercurius currens, minime defæcatissimus extrahi, quanquam Mercurio vulgari quocunque modo hactenus recepto depurati, purior. 24) Hoc ipsum peregrinum §. 14, quod Mercurium & Sulphur in metallum concrescentia specificat, est unicum quoque fundamentum illius virtutis medicæ, quam specifica metalla exerere solent, quamque eorum quodvis cum nullo alio metallo communem habet. 25) Sic ut in exemplo supra allato §. 16 pergam, a stypticæ ferri terra, acido quodam vel extra vel intra corpus humanum cum ipso ferro soluta, ferro communis virtus adstrictoria; & ab ejusdem terræ minori quantitate in cupro liquoribus C. H. salinis soluto vel tantum arroso, hujus septica virtus dependet. 26) Aurum itaque, cum ex Mercurio & Sulphure purissimis concreverit, nihilque peregrini admixtum habeat, nullam facultatem Medicam cum ullo alio metallo communem habet. 27) Quemadmodum enim reliquorum metallorum virtus Medica, a peregrino illo §. 14 eorum Mercurio & Sulphuri admixto dependet juxta §. 24, ita auri vis Medica, unice ab ejus Mercurio & Sulphure purissimis petenda est. 28) Existentiam *Mercurii in auro* *Isaacus Hollandus*, magnæ in foro Chymico fidei vir, tractatu de salibus & oleis metallorum demonstrat, eumque ex auro se elaborasse currentem testatur, sumendo auri calcem vel per aquam fortem vel per Mercurium factam, hanc in vase aperto per tres & ultra menses, continua levissima ignitione, seu calore paulo majori quam plumbum liquefaciendum requireret, detinere jubet, ita spondet fore, ut aurum in calcem spongiosam impalpabilem, & sub hac mensura valde levem sit abiturum (quale quid in antecedentibus de ferro §. 5 retuli) ex hac calce deinde sola sublimatione, separari posse pollicetur cinerem quendam volatilem facile in Mercurium currentem redigendum. Eundem ex auro Mercurium parari posse *Kunckelius* probatæ quoque fidei Vir Laborat. P. III

III c. XI p. 262, Deum testem advocat, atque suum assertum tam verum esse pronunciat, ac se regnum cœlorum visurum confideret; modum tamen parandi communicare recusat. 29) *Sulphur in auro* olfactu percipiendum docuit *Borrichius* de Sapient. Hermet. & Ægypt. p. 415. Dicit nempe *Abasverum Paynck*, ἐργασίας Chemica paucis secundum, paulo ante mortem hæc ad illum retulisse. „ Capio foliorum auri purissimi unciam dimidiam, cum„ que saliva propria, totis quatuordecim diebus, in mortario vitreo „ subigo, donec videro omnia in nigram abiisse massam, odorem „ sulphuris omnium naribus manifestissime offerentem, quam „ post, aqua simplici elutam, jam ad usus medicos reservo, jam ex „ retorta vitrea in guttas aliquot rubicundas propello, reliquiis ad „ eosdem labores custoditis. „ His addit *Borrichius*: „ Et ne „ cui saliva illa improbetur, ecce eundem sine saliva odorem: „ *Rutgerus Timplerus* apud *Prævotium* in Hortul. Med. auri so„ lutionem Philosophicam ita proponit: Auri, inquit, folia gra„ norum sex septemve pondere, mortario vitreo imponantur, pi„ stilloque vitreo (adhibito operculo ex ligno confecto) continuo „ atterantur, donec in pulverem nigerrimi coloris sulphur redo„ lentem abeant, qui pulvis nullo modo in metallum abit. Hoc „ propria experientia habeo. Paucissimis (quod sciam) hic mo„ dus resolvendi aurum innotuit. In aliis metallis facilius succe„ dit. „ 30) Sed nec Sulphuris solaris tantam esse præstantiam ac vulgo existimatur, persuadere videtur ejus analogia cum quovis pingui vulgari communive juxta §. 4. Ad hæc observatione constat, quod aurum crebriori cum borrace fusione tandem palleat, nativum vero suum colorem ex consortio cum cupro facile recuperet. Unde patet Sulphur in utroque esse unius ejusdemque generis. 31) Sed parti mercuriali in auro, natura jam defæcatissimæ, nullique peregrino corpori nuptæ, in omnibus metallis nil par reperitur. 32) Hæc igitur §. 31, si ita præparari poterit, ut vasa & viscera nostri corporis pervadat, erit Medicina incomparabilis. 33) Scimus enim Mercurium vulgarem omnes quotquot edit sane eximias in corpore humano virtutes, solo suo præstare pondere. 34) Cum liquoribus enim nostri corporis circumvectus in quæcunque obstructa vasa impingens, quum ratione sui ponderis gra-

vius

vius illidat, quam ullum aliud hactenus notum medicamentum, hinc omnium optumum est aperitivum; & cum eadem ratione massulas omnium humorum dividat, omnium optumum est etiam colliquativum. Ab utroque hoc effectu omnes ejus dependent virtutes. 35) Quodsi igitur perpendo, Mercurium vulgarem, utut studiosissime depuratum, nihilominus se habere ad aurum ut 14 ad 19, vide §. 8, adeoque aliis peregrinis rebus iisque forsan arsenicalium indolem sequentibus adhuc inquinatus sit, unde non raro & tantos in corpore tumultus excitat; quodsi, inquam, hæc mecum reputo, distincte intelligere mihi videor, quod aurum ita præparatum, quo vasa & viscera nostri corporis subire, & cum humoribus in orbem moveri poterit, multis parasangis Mercurii virtutes sit superaturum, omnesque suos effectus longe benignius præstiturum. 36) Ulteriori igitur solicito examini & scrutinio illud *Langelloti* in Ephem.Nat.Cur.Dec.I An. III Obs.59 communicatum experimentum commendo: Aurum nempe foliatum q. p. in minimas particulas concisum mortario vitreo densissimo vel, & quod melius, aureo indere jubet, inque eo charta tantum tecto, ne pulvis vel aliud quid incidere queat, noctes atque dies, continua molæ in hunc finem fabricatæ & ab autore depictæ agitatione, tam diu terere, usque dum in pulverem subnigrum convertatur, cui trituræ utplurimum 14 dies atque noctes insumendæ sint. Si vero quis de die saltem velit operari, integro mense opus erit. Dein pulvis hic retortulæ non nimis profundæ sed planæ, quales Anglicæ esse solent, ejusdem autoris monito immissus, igne arenæ, per gradus, eoque tandem fortissimo pellendus, & sic stillabit paucas quidem sed rubicundissimas guttas, quæ vel per se, vel cum spiritu vini tartarisato digestæ, verum exhibent aurum potabile, non fucatum, vel ulla alia peregrina qualitate infectum. Residuo quod notante *Langelotto* facile quoque tritu poterit resolvi, acetum ut vocat Philosophicum ex vitriolo & sulphure cum spiritu vini longa digestione confectum affudit, & sic iterum rubicundam tincturam accepit, magnarum, ut laudat, virium. Paucissimum quod superfuit, borracis beneficio in corpus reduxit, sed pondus ei debitum defuisse ait. 37) Præter dictam auri præparationem præstat & illa, quando cum Mercurio

arcte

arcte conjungitur. Constat enim, Aurum & Mercurium, vulgarem nempe probe depuratum, ponderosissima in rerum natura esse corpora per §. 8 & invicem amicissima per §. 3. β. Mercurius hinc aurum ita subigere valet, ut secum in vasa corporis derivare valeat, & fiat præstantissimum aperiens medicamentum. 38) Exempli loco hac vice sit Aurum diaphoreticum, quod *Poterius* Pharmac. Spagyr. Lib. III Sect. X elaborare docuit. 39) Quotquot ceterum novi ex auro præparata pharmaca, non tam ab auro, quam, si compositio penitius examinatur, a corporibus salinis ipsi inter præparandum accretis, suam mutuantur virtutem, quam eandem tamen & alia longe vilioris pretii medicamenta præstant. 40) Plurima vero talia ex auro præparari vulgo dicta pharmaca præter nomen ex auro nihil continere solent. 41) Omnium maxime vero ii qui vires auri medicas in sulphure auri extrahendo venantur, a vero aberrare mihi videntur per §. 30. 42) Quæ vero ex auro præparata pharmaca revera aurum continent, quanquam non nisi per accreta salia agant per §. 39, nihilominus actio ipsorum horum salium ob conjuncti auri nativum pondus, intenditur, & illa pharmaca in tantum ob aurum quod continent operari, dici possunt, in quantum horum salium actio ab auro concreto augetur. 43) Hinc illa ipsa pharmaca, quo plus linguam feriunt, aut plus salium continent, eo magis sunt cathartica & efficacia, ac in primas potissimum operantur vias. 44) Hinc aurum fulminans legitime præparatum, & ab acrioribus ac magis superficialiter ipsi cohærentibus salibus liberatum, sed salibus neutris minus acribus stimulatum, strigmenta glutinosa & pituitam tenacissimam primas vias oblinentem, ac convulsionum, imprimis in pusionibus sæpe sæpius causam, optime incidit, & expellit. Ideoque & in febribus quartanis egregie se gerit. Alvum purgat & morbi mineram destruit.

S. P. C. EMENDATIONES ET EXPLANAtiones locorum quorundam Orationis primæ Themistii.

I. THemistius multis in locis adhuc deformis est, ex vulneribus, quæ librarii pro cetera sua importunitate ei quoque

 in-

inflixerunt. Conabimur ergo quædam hic ſanare, ut nativa hominis pulchritudo agnoſcatur. Qua quidem in re brevitati nos inſerviemus temporis, & lectores de veritate emendationum noſtrarum judicaturos ad comparationem orationum Themiſtii ipſarum amandabimus. Loci enim ſinguli ex cohærentia totius ſermonis rite intelligentur.

II. Orationis primæ initium illud eſt: Νῦν σοι πρῶτον εἰσέρχεται λόγος, ὦ βασιλεῦ, ἐλεύθερός τε καὶ ἀψευδής· καὶ ῥῆμα οὐδὲ σμικρὸν ἑκὼν εἶναι πρόοιτ' ἄν, οὗ τὰς εὐθύνας οὐχ ἕξει δοῦναι φιλοσοφία. Hiç primo mireris, Themiſtium audere dicere, primam hanc eſſe orationem, quæ ad Conſtantium habeatur libere & vere. Deinde verba ἑκὼν εἶναι plane non videas, quomodo huc pertinent, quia cum finitimis nihil habent cohærentiæ. Verum parva vocabulorum illorum immutatione ſententia præclara efficitur hunc in modum: Νῦν σοι πρὸ ἐτῶν εἰσέρχεται λόγος, ὦ βασιλεῦ, ἐλεύθερός τε καὶ ἀψευδής· καὶ ῥῆμα οὐδὲ σμικρὸν ἑκόντι μοι πρόοιτ' ἄν, οὗ τᾶς εὐθύνας οὐχ ἕξει δοῦναι φιλοσοφία. *Adoleſcentuli nunc ad te, Imperator, libera adit & commentis aliena oratio, ac ne exiguum quidem verbum volenti mihi excidat, cujus rationem reddere non poſſit Philoſophia.*

III. Pag. 2 A iſta reperias verba: οἱ δὲ ἔτι καὶ μᾶλλον, οἷον ἤδη σου θιγγάνειν δοκοῦσιν, οἱ τὴν ἐνόπλιον χορείαν διεξιόντες. Hic ferri non poſſe οἷον, quia non ſit ad conſtructionem idoneum, facile intelligitur. Subſtituenda eſt alia terminatio. Οἱ δὲ ἔτι καὶ μᾶλλον οἷοι ἤδη σου θιγγάνειν δοκοῦσιν, οἱ τὴν ἐνόπλιον χορείαν διεξιόντες &c. *Qui autem te magis etiam attingere poſſe videntur, ſunt ii, qui ſaltationem in armis enarrant* &c.

IV. Pag. 2 D: τὸν θεὸν, οὗ τάδε πάντα ἔργα τε καὶ γεννήματα, ἆρα ὁμοίως εὐπετὲς καταμαθεῖν αὐτόν τε καὶ τὰ ποιήματα; ἢ πρὸς ταῦτα μὲν ἡ φύσις ὄμματα ἐξ ἀρχῆς ἐτεκτήνατο, καὶ πάρεσιν εὖ γενομένοις ὁρᾷν ἥλιόν τε καὶ σελήνην, καὶ τὰ λοιπὰ ἄστρα, καὶ τὸν ξύμπαντα οὐρανόν· ἐκεῖνον δὲ κατιδεῖν ἀγαπητὸν, ὅτῳ καὶ εἰς χρόνον ἐξ αὐτῶν ἐκείνου ἐφίκετο. Harduinus ad hunc locum corrigi jubet particnlam ὅτῳ. Sed ſi maxime pro ea ὅσοις ſubſtitueretur: tamen nulla ſententia exiſteret commoda, quia ὅσοις cum ceteris vocabulis non congruit. Verum omnes

ſen-

ſententiam bellam facile percipimus, ſi ita legerimus: ὅτω καὶ τις χρόνῳ ἐξ αὐτῶν εἰς ἐκεῖνον ἀφίκοιτο. *Utrum Deum, cujus hæc rerum univerſitas opus eſt & fœtus, æque facile eſt cognoſcere ipſum, atque opera? an natura ad hæc quidem oculos principio fabricata eſt, ut homines bene a natura informati Solem & Lunam & reliqua ſidera atque omne cælum videant, ſed ſatis præclare de iis agatur, ſi cum cognoſcant, quandocunque tandem ex iis ad eum perveniant?*

Pag. 3 C: συγχωρήσωμεν ὑπὲρ αὐτοῦ κήρυγμά τι κηρύξαι τῷ λόγῳ. Vertenda putem hæc verba: *liceat orationi noſtræ de ſe ipſa præconis partes ſuſcipere.* Aliena videtur verſio iſta Petavii: *Sed antequam illud indagare & ejus inſiſtere veſtigiis aggredior, quoddam velut de ipſo præconium facere permittam orationi meæ.* Neutiquam de animali illo cœleſti, cujus ante meminerat Themiſtius, præconium hic profitetur: ſed de ſua ipſius oratione. Id quod inſequentia ejus verba clariſſime docent. Decepiſſe videtur Petavium particula αὐτοῦ pro αὑτοῦ poſita. Cujus utriusque permutatio frequens eſt, ut alibi multis exemplis demonſtravimus.

Pag. 3 D verba illa quoque mendis deformari videntur: ἀλλ᾽ οὖν ἡμῶν τῷ κηρύγματι καὶ τάδε προσκείσθω, ὦ ἄνθρωποι, κἀκεῖνο ἔτι γινώσκειν, ὅτι &c. Nam etſi ſæpe infinitivi vel δεῖ vel μέμνησο vel μέμνησθε ſubintelligant: tamen hic id ſuſpicari nolim, ſed malim legere: κἀκεῖνο δεῖ γινώσκειν. Verſio autem clarior foret fortaſſe, ſi ita mente conciperetur: *Iis autem quæ de me præmonenda putavi, accedat nunc illud etiam, ut hoc quoque teneatis* &c.

Ibid. ad nomen βαλανείοις adſcribi velim, ſermonem Themiſtii non ex noſtris moribus interpretandum eſſe, ubi ea quæ in balneis dicuntur, ut tralatitia & fabulæ male audiunt: ſed ex moribus Romanorum, apud quos balnea multo honeſtiora erant, & cum honeſtiſſimorum conviviorum quaſi pars quædam, tum vitæ communis commendatio habebantur.

Pag. 4 A. Ταύτας (φωνὰς ὑμῶν) ἁπάσας συλλέξας ὁ λόγος ἡμέτερον συντέθεικεν ἔρανον.) Hæc item verba mendo laborant.

borant. Ὑμέτερον scribi debuit, sententia enim est: *has voces omnes colligit oratio nostra quasi munera quædam liberalitatis vestræ.* Ἔρανος enim erat munus, quod multi conferebant in unum aliquem alienæ opis indigentem. Themistius igitur ea quæ sit dicturus, ejusmodi munera esse ait auditorum suorum. Indicant hanc emendationem & interpretationem etiam subsequentia verba: καὶ ταῦτα ξὺν νῷ ἀκούσεσθε παρ' ἡμῶν, ὅσα λέγετε εἰκῆ πρὸς ἀλλήλους.

Pag. 4 B: Ἐγὼ νομίζω τὸν φιλάνθρωπον βασιλέα τέλειον εἶναι τῆς τοῦ πράγματος ἀρετῆς, καὶ οὐκ ἔσθ', ὅ,τι προσδεῖν αὐτῷ εἰς ὁλόκληρον εὐφημίαν. Malim, οὐκ ἔσθ' ὅ,τι προσδεῖ. Nam post illud οὐκ ἔσθ' verbum νομίζω subaudire, quod præcesserat, duriusculum videtur.

Pag. 4 & 5 interpunctio commutanda & versio ad interpunctionem accommodanda est istis in verbis: Ὁρᾶτε οὖν, ὅτι τὸ σμικρὸν ἐκεῖνο ῥῆμα διακρούοντί μοι ἅπας ὁ τῶν ἀρετῶν ἑσμὸς ὑποφθέγγεται. Μᾶλλον δὲ καθ' αὑτὸν ὁ λόγος βαδίζει; καὶ οὐκ ἐπερείδεται βασιλεῖ, τοῦ προελθεῖν ἀσφαλέστερον; *videtis igitur, quemadmodum exiguum illud vocabulum pulsanti & excutienti mihi totum virtutum examen respondeat. Num autem oratio mea per se procedat potius, nec innitatur Imperatore ipso, ut citra offensionis periculum progrediatur?* Si interrogatio hæc prætermittatur, uti adhuc neglecta est, sententia omnis obscura est, & consequentem etiam orationem vix intelliges ac ne vix quidem.

Pag. 5 A: Ἦ γὰρ οὐ τοσοῦτον μὲν πλεονεξίας ἀφέστηκεν, ὁπόσον καὶ χαλεπότητος; Petavius vertit: *Etenim nonne tantum ab cupiditate, quantum ab morum asperitate distat?* Fateor, particulam ἦ sæpe reperiri in interrogationibus. Sed ab hoc loco prorsus aliena videtur. Malim legi: τί γάρ; οὐ τοσοῦτον μὲν πλεονεξίας ἀφέστηκεν κ. τ. λ. *Quid enim? nonne tantum ab avaritia abest, quantum a morositate?* Ita & elegantia Græci sermonis legi postulat, & vis orationis ipsius.

Pag. 6 A. Omissæ parentheses enervant orationem & perturbant. Vide igitur, lector, ut nos quidem illam reformatam velimus. Φημὶ δὲ ἔγωγε καὶ τὴν πολυύμνητον δικαιοσύνην κτῆμα

μὲν

μὲν εἶναι κάλλιςον βασιλεῖ (τί γὰρ θειότερον δικαίου πολλὰ ἀδικεῖν δυναμένου;) καὶ σωφροσύνην γε. αὖ παραπλησίως (τί γὰρ ὄφελος ἄρχοντος μὴ ἐλευθέρου; τοῦτο δέ ἐςιν ὁ τύραννος, ὃς ἅμα τε τῶν ἄλλων κρατεῖ καὶ δοῦλον ἑαυτὸν τοῖς πάθεσι παραδίδωσιν.) ἀλλ' ὅμως αὗται ἅπασαι ποῖόν τι εἶναί μοι δοκεῖ; ἑκάςη μὲν γὰρ αὐτῶν ἰδίᾳ σκοποῦντι κοινός τις ἀνθρωπικὸς εἶναι κόσμος· βασιλικὸς δὲ γίνεσθαι τηνικαῦτα, ἡνίκα ἂν αὐτὴν ἐπισφραγίζηται φιλανθρωπία. *Dico equidem etiam celebratissimam illam justitiam pulcerrimum esse bonum Regis. (Quid enim divinius eo qui, quum multa injuste agere possit, justum se tamen prastat?) Idem de temperantia dixerim. (Quid enim utilitatis praestet Rex non liber? Tyrannus quidem est is, qui dum aliis imperat, ipse pravis cupiditatibus in servitutem se permittit.) Sed tamen quid tandem omnes hæ virtutes esse mihi videntur? singulæ illarum separatim consideratæ communis quidam ornatus hominum, qui tum demum regius existat, quum hominum amore obsignetur.* Pauca hic admonebo, quæ lectorem meum reminisci velim. Primum ἄρχων ἐλεύθερος a Themistio dici videtur is, quem Stoici item sic appellent. Stoicis autem nemo videbatur liber, nisi qui pravarum libidinum & appetitionum vinculis exolutus esset. Id quod vel ex Ciceronis Paradoxis constat. Deinde lectio vetus ἀλλ' ὅμως ταύτας ἁπάσας τοιάνδε εἶναί μοι δοκεῖ merito a me repudiata est, quia commodam sententiam nullam fundit, & insequentem sermonem omnino obscurat. Denique γὰρ illud in responsionibus mirificam quandam vim habet, quam illi perspectam habebunt, qui Platonem diligentius lectitarint. Nihil igitur in tota hac oratione, quam attuli, vel obscurum est vel indefensum.

Pag. 6 C cassa est & inanis lectio illa ἑκάςου γάρ, οἶμαι, κατὰ φύσιν ἴδιος ἀρετῆς τύπος οὕτως ἐνούσης ὠφέλιμος καὶ παρὰ τοῦτο μέγα βλάβος, εἰ μὴ ταύτην ἔχοι Petavius mentem Autoris egregie expressit. Sed verbis ejus nec ipse nec Harduinus medelam attulit. Omnino difficilis est medicina. Quid nobis videatur, alibi exponemus. Illud unum ad eandem paginam annotabimus, verba illa οἰμώζεται μὲν οὖν ὁ τοιοῦτος, εἰ μὴ σφόδρα εὐλαβὴς εἴη καὶ ἥμερος interrogandi signo esse notanda: alioqui repugnabit Au-

tor sibi ipse. Nam negavit paulo ante, fabro & textori φιλανθρωπίαν necessariam esse. Quomodo igitur φιλανθρωπίας proprietates, considerantiam & mansuetudinem, jam ei vindicabit ut necessarias virtutes? Vertemus igitur verba illa hunc in modum: *Malum erit igitur huic tali, nisi in tractandis hominibus circumspectionem & lenitatem adhibuerit?*

COLUMNA ROSTRATA, OR A CRITICAL History of the English Sea-Affairs.

hoc est,

HISTORIA CRITICA RERUM AB ANGLIS mari tum olim tum præcipue ultimis tribus bellis cum Batavis gestarum, fide Documentorum, & exterorum Historicorum testimoniis firmata, Autore SAMUELE COLLIBERO.

Londini, apud Rob. Robinson, 1727, 8.

Plag. 20.

CUm bella maritima cum Batavis seculo proxime elapso gesta a *Burcheto* in libello peculiari Gallico haud condigne conscripta cerneret Autor, in *Hezenilii Novavillani* vero *Historia Belgica* Gallico idiomate pariter vulgata & in scriptis publicis sibi obviis plura deprehenderet, quibus veritati historicæ insignis lux posset accendi, ipsemet eo annisus est, ut, annexa simul Notitia de factis Heroicis Anglorum maritimis, omnia in unum collecta publico communicaret. Præmittitur Opusculo succincta *enarratio negotiorum Angliæ navalium* ad nostra usque tempora. Saxones videlicet, littoris Germanici accolæ, tanta rei maritimæ scientia erant
p. 7. prædititi, ut tempora a maris fluxu computarent, & classe adeo valida instructi, ut Britanniam in suam redigerent potestatem. Nec
8. illis viribus diu post eosdem fuisse destitutos, litigia inter Offam Merciorum Regem & Carolum M. de libertate navigandi enata monstrant. Neglecta paululum rei maritimæ cura sub finem Heptarchiæ Danos ad turbanda Anglorum littora invitavit, quos Egbertus, rerum per universam Angliam potitus, fortissime propulsavit.

vit. Eadem fortuna gavisi sunt Athelstanus ac Edgarus, donec hoc p. 10
defuncto, Angli rem navalem haud sollicite curarent, unde Dani
post bellum per duo secula acerrime continuatum, & prœlia plus-
quam centies terra marique majori plerumque suorum damno
commissa, superiores evaserunt. Attamen haud ultra 24 annos du-
ravit illorum imperium; hinc solio admotus Eduardus Confessor, 11.
vires maritimas restauravit, iisque regnum a piratica Danorum &
Hibernorum securum reddidit. Secutus ipsum Haraldus usurpa-
tor, Daniæ Regem Haraldum Hardfagerum, Angliam denuo pe-
tentem, exercitu, classe, vitaque privavit; mox a Guilielmo Conquæ-
store, Eduardi donatione, & consensu Pontificis subnixo, cum ex-
ercitu cæsus. Haud ita multo post sub Richardo & Eduardo I Pa- 14.
læstinam Cyprumque Angli, navibus appropinquantes, territarunt;
Eduardus III, Eduardus Niger, Henricus V, & Bedfordius classe &
exercitu Anglorum ad incitas pœne Gallos redegerunt; tantaque
Anglicæ virtutis gloria orbem implevit, ut Dux Britanniæ Armori-
canæ contra Carolum VIII Gallorum Regem, immo & Lusitani de-
mum 1664 contra Hispanos, milites suos Anglico vestitu in aciem
producentes, hostibus terrorem Panicum incusserint. Nihil deni- 15.
que deesse videbatur rei nauticæ Anglorum præter commercia, ne-
glecta antea summo exterorum commodo, a Maria vero primum
genti suæ vindicata; quæ inde solertia Elisabethæ in immensum ad-
auxit. In Cap. I origines Anglorum & res mari contra Danos ge- 16.
stæ proponuntur: unde inter alia notamus, Hollandiam & Selandi-
am Belgarum ab Hallandia & Selandia Normannorum, has oras 20.
pervagantium, nomina mutuasse; Edgarum tribus classibus, qua- 27.
rum quævis 1200 navibus constabat, mare a piratis liberasse, & o-
mnibus Scotiæ insulis, ac maxima Hiberniæ parte devicta, titulo
Domini Maris & Commerciorum Protectoris fuisse usum: unde
aliquando naviculam, cujus clavum ipse regebat, Rex Scotiæ Ken-
netus, Cumbriæ Rex Malcolmus, Maccusius Rex insularum Scoti-
carum, & quinque Reguli Walliæ remis impellere coacti. Cap. II
res Anglorum maritimas usque ad Elisabetham sistit, in quo refer-
tur, Richardum I, e Palæstina reducem, Leges maritimas, ab insula 32.
Uliaria dictas, in unum corpus collegisse; & victoria navali ab E-
duardo III contra Hispanos reportata, monetam auream, *Rose No-* 41.
bles

bles vulgo dictam, prima vice fuisse cusam. Cap. III explicantur res
p. 80. ab Anglis mari gestæ, regnante Elisabetha, ubi animadvertimus,
eam ad Dominium maris demonstrandum monetæ *Cataractam*
aliquando imprimi jussisse, hoc ipso innuentem, in sua manu esse
positum, Oceani vias occludendi; certe Danos & civitates Hanseaticas, frumentum in Hispaniam advehere cupientes, summa pertinacia transire per proxima littori Anglico maria haud passam. Cap.
IV commemorantur res maritimæ Anglorum usque ad restaurationem Caroli II; ubi perspeximus, res Anglorum sub Cromwellio
98 sq. nimis extolli, Batavorum vero nimis deprimi, causis rei a Batavis
126. minus prospere gestæ penitus omissis; Batavos his malis pressos, feliciora
189. sibi fata Auriaco restituto promisisse: præterea Gallos 1653
adhuc rei nauticæ adeo fuisse expertes, ut Haytonus Anglus cum
unica navi bellica octo naves Gallorum bello aptas, tribus captis,
reliquis misere dilaceratis, fugaverit. Cap. V referuntur res maritimæ Anglorum usque ad rerum conversionem sub Jacobo II, in
quo notavimus, Autorem genti suæ nimis addictum, bella maritima sub Carolo II ita descripsisse, ut, Batavos eo adactos fuisse, quo
leges pacis ab Anglis dictas subirent, persuadere conetur, de quo
196. aliunde rectius constat. Dowglassium inter alia Scotum, monitum
licet, ut se periculo subtraheret, incendio navis suæ perire maluisse
prædicat, dicentem: *Se non passurum, ut quidam ex Dowglassiis lo-*
197. *co cessisse absque mandato speciali dici queat*. Batavos memorat, ne
invidendi illius facinoris prope Chattamum superesset memoria,
navem Regiam, *Caroli Regis* nomine insignem, destrui curasse;
Cornelii Wittii vero imaginem, in Curia Dordracena hancce ob
causam suspensam, a plebe discerptam, & caput patibulo, reliquas
243. vero partes stationi excubantium fuisse affixas. Cum Galli Anglis juncti prœlia maritima otiosi spectarent, Batavum nautam ex
socio quæsisse refert: *cur Galli e longinquo naves suas sisterent?* cui
alter lepide responderit: *Gallis, qui Anglorum operas ad pugnandum conduxerint, id tantum fuisse demandatum, ut adspicerent,
num Angli facta tanta mercede digna edituri sint.* Cap. VI res
mari ad pacem Trajectinam usque gestæ in medium producuntur;
Cap. VII denique reliqua negotia maritima, usque ad inducias Anglorum cum Hispanis factas.

❁ ❁ ❁

ACTORUM ERUDITORUM,

Quæ Lipsiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. IX Sect. XII.

COROGRAFIA PORTUGUEZA &c. AUTOR ANTONIO CARVALLO DA COSTA.

h. e.

ANTONII CARVALLI DE COSTA, PRESbyteri habitus S.Petri, Mathematici, patria Ulyssiponensis, Chorographia Lusitaniæ, seu Descriptio topographica Regni Lusitanici, cum originibus omnium provinciarum ac civitatum, notitia item Virorum illustrium ac Genealogiis familiarum nobilium, fundationibus cœnobiorum, Catalogo Episcoporum, ut & descriptione Antiquitatum, ac rerum naturalium, ædificiorum porro & aliarum rerum notabilium.

Tomi III.

Ulyssipone, apud Valentin. de Costa Deslandes, Typogr. Reg. T. I 1706, T. II 1708, T. III 1712, fol.

Alph. 20 ½.

ETsi gratiam novitatis propemodum amiserit hoc opus, tribus Tomis absolutum, quorum primus Regi *Petro II* gloriosissimæ memoriæ, secundus moderno Regi *Johanni V* & tertius *Mariæ Annæ* Reginæ consecratus est, nihil tamen nos ab instituto nostro alienum facturos arbitramur, si ejus in gratiam Germanorum aliorumque, ad quos raro perferuntur li-

bri Lusitanici, vel paucis mentionem faciamus. Equidem nonnullos fatetur hoc argumentum jam attigisse, imprimis Rodericum Mendes Sylvam, in Descriptione universali Hispaniæ & Lusitaniæ, qui tamen Antiquarii magis quam Geographi munere functus, præterea errores admisit non paucos, à Nostro passim emendatos; nec felicius rem successisse exteris, Petro Avito & Jo. Bapt. Ricciolo, quippe instrumentis, quæ in archivis provincialibus latent, destitutis. Ipse vero non modo cum fructu usus est Scriptoribus Lusitanis, Roderico de Cunha, Caspare Estacio, Georgio Cardocio, Ludovico Marino de Azevedo, Andrea Resendio & Emanuele Severino de Feria, quos quidem non tam correxit, quam supplevit; verum & multos passim Codices MSS. & documenta avthentica nactus, iter quoque ipse per universam Lusitaniam suscepit, quo magis de omnibus confirmaretur. Et optandum quidem erat, ut Tabulæ quoque Geographicæ huic operi accedere potuerint, cum præter eas, quas Ant. Alvarus de Cunha & Jo. Reghius, e Soc. Jesu Mathematicus insignis, dederunt, nullæ satis accuratæ prostent; at quod nunc fieri non potuit, in secunda editione se præstiturum sperat. Ceterum id maxime dedit operam, ut etymologias nominum erueret, rerum passim gestarum eventus commemoraret, nec mirabilia naturæ, aut ipsa miracula, si qua traduntur, taceret, quanquam de his liberum Lectori judicium relinquat. *Tomo I*, præmissis nonnullis de climate & situ, quem omnium in Europa optimum censet, deque solo, quod præsertim Hispanico longe præfert, tum ob ipsam terræ fertilitatem tum ob fœcunditatem ingeniorum, prædicat imprimis stupenda Lusitanorum facta, victorias terra marique deportatas, itinera longinqua & navigationes per ipsam zonam torridam, quam veteres inhabitabilem putarunt, bis susceptas, aliasque, quibus jam satis confirmati sint, de quo olim dubitatum, dari nempe antipodes. Inde in etymologiam inquirit Lusitaniæ & Portugalliæ nominum, vulgarem sententiam secutus, observatque, Portugalliæ nomen antehac non nisi ad urbem Bragantiam & vicina loca extensum, quique hæc habitaverint, Bragenses dictos fuisse; sed eos tamen, postquam inde paulatim ejecti Mauri fuissent, pariter in nomen Portugallicum transiisse. Fines deinde Lusitaniæ

con-

confiderat, eamque in longitudine 95, in latitudine 50 & in circuitu ad minimum 294 milliaria Hiſpanica complecti teſtatur. Tum probata in ſex provincias diviſione, ſingulis Operis ſui Tomis duas deſtinat, eoque in Tomo I tum eam, quæ fluvios Minium inter & Durium, tum quæ intra montes ſita eſt, vulgo *tra los Montes* dicta; *Tomo II* provinciam Bairam & Alentejam; *Tomo III* Algarbiam & Extremaduram, & in ea imprimis Ulyſſiponem, quam Reginam reliquarum & divitiarum totius Europæ emporium vocat, ea quidem ratione expendit, ut ubique locorum ſitus, nominum originem, Viros illuſtres, res notatu digniores, veterum imprimis Romanorum monumenta, Ducum, Bragantiæ præſertim, e quibus Reges familiam hodie ducunt, tum Principum aliorum, Marchionum, Comitum, Baronum ac Nobilium, quorum ſimul ſedes indicantur, Genealogias & geſta illuſtriora luculenter & magno apparatu deſcribat. Plura de libro eleganti, ſed non novo, dicere ſuperſedemus.

CHRONICA DO PRINCIPE D. JOAM, REY que foy deſtes Reynos Segundo.

i. e.

CHRONICON REGIS LUSITANIÆ JOhannis II; in quo ſummatim pertractantur res, quæ contigerunt inde a die ejus natali usque ad mortem Patris ejus Alphonſi; Autore DAMIANO DE GOES; dicatum Regi Johanni III.

Ulyſſipone Occid. ex officina Muſices, 1724, 8.

Alph. 1 pl. 4½.

Conſtat hoc Chronicon *Damiani a Goes*, cujus alia multa jam dudum proſtant, centum & quatuor capitibus, in quibus præcipua inſunt ſequentia. Poſtquam Autor per aliquot capita de nativitate Principis Johannis, de ejus ablutione ſacro lavacro, & cerimoniis in ea obſervatis, Infantis D. Petri in prœlio ad Alfawubeyram interfecti oſſibus transferendis, & Reginæ Iſabellæ, matris Regis Johannis, obitu egit, conſilia ab Henrico, Johannis I p. 13.

 filio,

filio, de navigationibus Indicis suscepta narrat, quoniam à nemine
p. 18. memorabilis ea res sufficienter exposita fuit. Causas, quæ illum
ad hoc institutum commoverunt, & media ad hunc finem obti-
22. nendum caute circumspecta proponit. Navigationes & terras iis
33. detectas memorat; singularia quædam ad Insulas Azores perti-
35. nentia observat, & statuam lapideam in Insula Corvo repertam
describit, hominis equo insidentis, ac una manu jubam tenentis,
altero brachio extenso ac solo indice versus occidentem directo,
38. quam veteres incolas, Norvagos, Gothos, Suecos, velut monu-
40. mentum aliquod ibi reliquisse putat. De Regis porro Alphonsi
expeditione in Africam ad oppugnandam urbem Alcacer nonnul-
42. la disserit. Antiquitatem & situm hujus urbis delineat, Regem,
inquiens, Maroccanum, Mansorem, singulis annis Granatam ad
Christianos invadendos profectum fuisse, cum autem iter eo dif-
ficile viæque nimis asperæ essent, urbem hanc, a Mauris Casar
ezzaghir, قصر الصغير i. e. castellum parvum dictam, situ ac
47. optimo portu commodiorem ædificasse. Hic non modo primam
50. oppugnationem, verum & alteram, qua capta fuit, describit. Inde
56. Rex Septam contendit, urbem nobilem & antiquam, quæ Roma-
norum tempore Civitas Romanorum dicta fuit, postea in Gotho-
rum, ac tandem Saracenorum potestatem venit, donec A. 1415
Rex Johannes tempore Abuzaïdi Regis Fessani omnibus delitiis
63. immersi expugnata est. Rex inde in regnum revertitur, & pacem
71. cum Duce Britanniæ, quam petierat, init. Africam ad oppugnan-
74. dam urbem Tingim repetit; mox cum Rege Henrico Castellano
76, 77. de nuptiis filii cum Johanna tractat: Infans Ferdinandus urbem
81, 85. Ansam in Africa expugnat; Rex vero urbis Ziliæ in Africa oppu-
87. gnanda consilium capit, quem Princeps Johannes comitatus est.
92–94. Mox ob naves aliquot Lusitanicas ab Anglis interceptas, bellum
inter Regem Anglorum Eduardum & Alphonsum oritur, brevi,
97. illo pacem flagitante, compositum. Hinc cum magno exercitu
in Africam Ziliam invasurus tendit, quæ Maurorum lingua Aze-
la vocatur, ac a Romanis condita fuit, post a Gothis Saracenisque
108. occupata, tandem in Alfonsi manus pervenit, qui Templum, quo
114. Mauri confugerant, & Castellum magna illorum clade expugna-
119. vit. Rex Fessanus Moley Schah illam recuperare annititur, cum

quo

quo inducias facit. Mauri paulo post urbem Tingim deserunt p. 121.
ultro, quam illi Tangia appellant, a Romanis olim exstructam,
licet nonnulli Scriptores Arabici a principe quodam Sedde-
do, filio Hadi, conditam fuisse tradant. Rex in regnum suum re- 125.
versus, Tingi relicta, Johannam filiam suam in Monasterium 130.
Odivellense mittit, Ferdinandi affinis sui ossa ex Fessa transferen- 132.
da & in monasterio Batalhensi sepelienda curat. Inde de causa 135.
belli inter Ferdinandum Regem Castellæ & Arragoniæ, ac Al-
phonsum Regem Lusitaniæ agitur, & quæ variorum opinio de Jo-
hanna, Regis Henrici Castellani filia, fuerit, disquiritur. Cum 146.
vero ipse Henricus, qui Johannam hanc heredem regni institue- 152.
rat, magnatum Castellanorum consilio ad Isabellam sororem re-
gni successionem transferre fuerit conatus, & Isabella contra vo- 159.
luntatem ejus Ferdinando nupserit, hinc Nostro occasio nata, ut 162.
fusius de Ferdinandi genere & familia dissereret. Mox quid agi-
tatum fuerit de hac ipsa Johanna, nunc Carolo Duci Aquitaniæ, 166.
nunc Alfonso Regi Lusitaniæ desponsanda, ostenditur, & de Regis 170.
Henrici obitu ac testamento, deque iis quæ post ejus mortem eve-
nerunt, agitur, quæque inter Regem Alphonsum ac Castellanos
magnates quosdam, Johannæ fautores, acta sint, describuntur.
Cumque Rex legatum ad Ferdinandum Castellæ Regem misisset, 181.
qui posceret, ut Johannam Reginam Castellæ agnosceret, ad bel-
lum deventum est. Equidem Alphonsus, traditis interim filio 194, 197.
Johanni Regni habenis, Castellam intrabat, quippe Johannæ jam 204.
matrimonio junctus, eoque Castellæ, Legionis & Lusitaniæ Re-
gem se vocans. Quæ hic Alphonsus, adversa licet plerumque 209.
fortuna, pacem omnem aspernatus, gesserit, non est ut pluribus 211.-312.
percenseamus. Id notat Noster, eundem vitæ Isabellæ insidias 322.
struxisse, & itinere ad Regem Galliæ Ludovicum XI suscepto, ad 336.
Lusitaniæ proceres scripsisse, ut Johannem Regni successorem
constituerent, rebus vero infectis in Lusitaniam rediisse, ubi fili- 366.
us Johannes Regis titulum, quem obtinuerat, ipsi modestissime
concesserit. Tandem observat, bellum inter Alphonsum & Ferdi- 390.
nandum Pontificis Sixti opera fuisse sopitum, Alphonsum vero 394.
ex mœrore obiisse, postquam monasterium S. Francisci de Vara-
tojo fundasset.

MEMORIA VIRORUM IN SUECIA ERUditissimorum ridiviva, seu Semi-Decas I Orationum Funebrium, cum Præfatiuncula Editoris C. N. B. D.

Rostochii & Lipsiæ, apud Joh. Henr. Rusworminm, 1728, 8.
Plag. 17.

DEfunctos pro concione laudandi, ultimasque panegyres in lucem edendi antiquitatem aut utilitatem qui negaret, vel elegantiorum litterarum expertem, vel præclarorum facinorum osorem se proderet. Quod ut stabiliamus, non opus est aliunde conscriptis copiis. Initium quintæ, de quibus nobis in præsentia sermo erit, *Orationum Funebrium* plus satis id edocet, quarum Collectoris scopum, quem in Præfatione declarat, deprehendimus non alium, nisi ut per exempla (possunt autem, uti vel ex p. 12 & 217 seqq. patebit, permulta allegari) labefactet, imo destruat calumnias, quibus Boreales populos, ut graviore sub cœlo natos, ab eruditorum cœtu excludendos, plusquam dictatorio fastu pronunciarunt, qui sibi solis sapere visi sunt. Sed larga messis instat; hinc omissis ambagibus ad rem ipsam nos accingamus.

Olavi Suebilii, qui hic agmen ducit, Upsaliensium Theologorum, dum viveret, antesignani, natale solum fuit prædium Roby, intra secundum a Calmaria, Smolandiæ metropoli, lapidem situm, in quo anno 1624, parente Georgio, lucem aspexit. Studia, quæ per aliquod tempus ob ætatis imbecillitatem in parentum contubernio hauserat, jam extra limen proferenda erant. Eligebatur Calmaria, ubi honestis artibus imbutus, Regiomonte Upsaliæque optima noster Suebilius superstruebat. Hic vix e celeberrimorum istius ævi virorum ludo egressus, doctorem agebat. Præficiebatur quippe Generosissimis juvenibus Nicol. Tungelio, &, A. 1649 laurea magisteriali redimitus, Joh. Gyldenstiernio, ex quo, rudi ac informi ligno, egregio Mercurio fabricato, ad exteros Gyldenstierniis comitibus, licet horum Metoposcopo quodam infelice vate, haud auspicato excurrebat. Iter autem fecit per Daniam, Holsatiam & Saxoniam inferiorem, Helmstadium, unde post tres circiter menses proficiscens venit Argentoratum, ibique per integrum biennium mansit. Hinc A. 1655 petiit

Ita-

Italiam, ejusque urbes principes Venetias ac Romam, hinc Lutetiam Parisiorum, in qua octo menses commoratus, domum revertitur per Belgium A. 1656. A. 1657 ætatis XXXIV Calmariensis Gymnasii Rector, & proxime insequente Theologiæ ibidem Professor ac Pœnitentiarius provincialis constituebatur insuper. Interjectis duobus lustris docendi munus in nova Carolina Londini Scanorum Academia submisse recusantem Carolus XI Concionatorem Aulæ supremum ac summi Consistorii Præsidem Nostrum creat. Anno tandem 1681 cum ante sexennium Theologiæ Doctor Upsaliæ salutatus fuerat, ibidem summo Ecclesiasticorum honorum fastigio impositum, inque patricios sub *Adelbergii* titulo lectum legimus. Thori sociam, ne quid intactum linquamus, A. 1658 sibi sumsit Elisabetham Guldenadleriam, eamque viginti annos ante quam ipse Archiepiscopus & Academiæ Upsaliensis Procancellarius, qui A. 1700 d. 29 Julii annum LXXVII agens mortuus est, decederet, duodecim liberis procreatis amisit. Programma, quo Arrhenius Upsaliæ Rector funus Suebilianum indicat, cui perlustrare volupe sit, ad Pippingii Theologorum Memorias Tom. III no. LXXXVII ablegamus, quod cur Editor noster non, prout Orationem in Normanni obitum, quæ apud citatum n. XC extat, iterum typis describere curaverit, perspicere haud possumus.

Hic *Laurentius Normannus*, qui vita frui cœpit in Sudermanniæ quodam prædio, Norby dicto, patre Johanne, a Tranæo, Strengnesiensis Gymnasii Rectore, omnibus doctrinis, quibus puerilis ætas impertiri debet, eruditus fuit, ejusque & Hamburgensium Ezardi, magnifica quæque de eo præsagientium, spes haud fefellisse, imo excessisse, visus est. Licet Upsalia, ubi studia Academica prosequebatur, magnos eruditionis proventus Nostro attulerat, popularium suorum doctrina haud contentus, ab exteris eruditionis incrementa capere anhelabat. Cujus voti compos futurus, invisit Kilonum, Lubecam, Hamburgum & Amstelodamum; ulterius enim progredienti adversa valetudo ingentem faciebat remoram, suosque Penates repetere suadebat. Honorum, ad quos ascendit, origo accepta est referenda Comiti de la Gardie, cui Noster quondam a secretis erat. Tanti Mœcenatis patrocinio

suf-

ſuffulto obvenit Profeſſio Extraordinaria Philoſophiæ ac LL. Or. hinc Logices & Metaphyſices, hinc Græcæ Linguæ, hinc Theologiæ, quam ſpartam nactus, ut omnes conſummatiſſimi Theologi, imprimis acerrimi adverſus hæreſes ςρατιώτȣ partes explere queat, peregrinas orthodoxæ fidei Academias, juſſu pariter ac ope Regis adjutus, duplici vice adiit, ac litterarum cum temporis ſui clariſſimis condidit commercium. Inde redeunti Upſalienſis Bibliothecæ curam, Theologiæ triennio poſt Profeſſionem primariam, &, quod ultimum, Gothoburgenſem Epiſcopatum Rex clementiſſime demandat. Anno tandem ſeculi, quo vivimus, tertio d. 21 Maji, ætatis LII, ſuperſtite dulciſſima uxore Eliſabetha ex Romanorum gente, decem liberorum matre, præmatura morte finiit vitam. Quanto Eccleſiæ, quanto Reipublicæ, quanto Muſarum, præcipue Atticarum, damno, ex ſcriptis, quæ ejus indeſeſſa opera ex eruditorum ſcriniis in lucem protraxit, augurari licet. Dignus igitur, ut amplo, quod inſtare Upſalienſis Academiæ t. t. Rector Joh. Esbergius Programmate hic recuſo docet, funere efferretur; dignus, ut Olaus Broms nomine nationis Sudermannicæ eleganti, quod orationi ſubjunctum invenimus, carmine ipſum caneret.

Nunc *Erici Aurivilli* vitam ductu Orationis & Programmatis Dan. Durbergeri contexamus. Uſus eſt patre M. Olavo Chriſtophoro Aurivillo, Knutbyenſis pagi Paſtore, qui ipſum A. 1643 d. 31 Jul. ex Barbara Caſſiopœa tulit. Hi puerum ſuum vix decem annorum Gevalienſium Rectori ac Con-Rectori in diſciplinam traditum, tribus poſt annis almæ matri Upſalienſi Academiæ ulterius formandum credunt. Philoſophiæ ſtadio, auſpice fratre natu maximo Petro, impigre decurſo, ad auguſta Themidos delubra recta graſſatur via, cui, minime Vacunæ, litaſſe duæ diſputationes ſatis loquuntur, quarum alia *de Jactu & Naufragio*, alia *de Actionibus bonæ fidei & ſtricti juris* inſcribitur. His aliisque diligentiæ æque ac doctrinæ ſpeciminibus editis quis melior dux ceteris eligi potuiſſet. Id probe perpendens æquiſſimus ingeniorum æſtimator Carolus XI Aurivillo noſtro A. 1678 extraordinarium & A. 1685 ordinarium, inter Upſalienſes Juris Profeſſores aſſignabat locum. Quanto ſtudio hoc munere functus fuerit, vel ex

præ-

prælectionibus ejusdem in Institutionum Justinianearum Prooemium tresque priores titulos, quas manuscriptas dodrantalis crassitudinis quartæ formæ volumen confecisse, Orator noster testatur, colligere poteris. Jam ejus excessum tanto magis lugebis, si, multa cum in Jure, tum in litteratura Suionica meditantem, mortem prævenisse audieris. Vita enim concessit anno seculi nostri secundo d. 5 Febr. ætatis LVIII, relicta vidua Anna, Joh. Loccenii filia, e qua olim quatuor filias susceperat.

Quartum inter has orationes locum tenet *Petri Lagerlöfvii* funebris laudatio, cui frequentes interesse cives suos rogat Carolus Gyllenborg, Upsaliensis Academiæ t. t. Rector. Patria Lagerlöfvio contigit Vermelandia A. 1648 d. 4 Nov. a Magno Schivedio genito. Primis litterarum fundamentis partim intra privatos parietes, partim Carolostadii jactis, mirum quanta Upsaliæ superstruxerit. Accepimus quippe, Latinos & Suecicos versus, de Orthographia linguæ Suecicæ, bigam Disputationum, quarum prima Mathematica A. 1673 *de Comparatione corporum cœlestium ad tellurem*, altera Physica *de Fontium Fluminumque Origine* A. 1675 fuerit ventilata, eum composuisse. Ex qua re sibi conciliavit gratiam Laurentii Flemmingii, ut filium ejusdem nominis in Daniam, Belgium, Angliam, Galliam Germaniamque educeret; gratiam Comitis de la Gardie, ut ipsum a secretis & Bibliotheca haberet; gratiam denique Regis, ut A. 1682 Dialectices & Metaphysices, ac triennio præterlapso Poeseos, & A. 1687 Eloquentiæ professione ornaret, eumque Regium Historiographum constitueret, & ut eundem in consortium Antiquæ & Hodiernæ Sueciæ cudendæ adsciſceret, a quibus, ut & a carissima conjuge Elisabetha Brommanniana, duobusque ex ea procreatis filiis, ad beatorum cœtum transiit A. 1699 d. 7 Jan. annorum L.

Orationum tandem, quas Collector noster exhibet, agmen claudit Borealium Mathematicorum facile principis, *Andreæ Spolii*, cui eadem cum Suebilio patria, ingeniorum pariter ac glebæ uber Smolandia. Quamvis obscura villula, Malen dicta, ejus cunabula, quamvis nullis claris majoribus A. 1630 d. 15 Jun. natus, quamvis Petro Spolio, Andreæ parenti, exiguæ essent facultates, filium tamen suum primum domi, postmodum Jenecopingæ in-

ſtrui curabat. Gryphiswaldia, cujus doctoribus hactenus operam dederat, ubi *de Artis Logicæ Natura* publice diſputaſſet, excurſione haud inamœna Stetinum, Francofurtum ad Viadrum, Regium montem, Berolinum, Wittebergam, Dresdam Lipſiamque avocabatur, indeque ad patrios Lares cum rediiſſet, ibidem doctoris extraordinarii in Eccleſia provinciam cepit. En Theologum nunc Martis alumnum. Upſaliam enim Spolius decedens, omnes ſuas cogitationes ad Matheſeos præceptorum intelligentiam confert, nec felici ſucceſſu deſtitutus. Id, quod Carolo Stœblado manum ducente exorſus fuerat, eodem autore pertexendi, peropportuna ſeſe offerebat occaſio. Fidei enim ſui Spolii tot inſignibus experimentis probatæ committebat tres ſuos filios ad peregrinas terras deducendos. Jam Belgium, Angliam, Galliam, Italiam atque Siciliam luſtrando magnos ſcientiæ ſuæ profectus feciſſe, egregium, quod Lutetiæ Pariſiorum, id Ludovico XIII mandante, Matheſin magno applauſu profeſſus fuerit, ne plura afferamus, erit documentum. Hæc aliaque haud minora extra patriam degendi retinacula abrumpens, patriæ ſe reddebat, idque bonis, ut dicunt, avibus. Matheſeos quippe docendæ ſpartam in nova Carolina Academia naniſcebatur, quam, Londino Scanorum belli furore deſolato, licet deſerendi, Regisque caſtra ſequendi neceſſitas urgebat, dexteritate tamen ejus eidem Regi melius innoteſcente, Matheſeos itidem Profeſſionem in Academia Upſalienſi, pretium ob perpeſſos labores aliquanto poſt tulit, quo Noſtrum uti frui licuit ad diem usque primum Menſis Auguſti A. 1699, quo annorum LXIX vitam cum morte commutabat. Ex matrimonio, quod ipſi cum Martha Lindelia interceſſerat, habuit octo liberos. Orationi, ex qua hæcce dedimus, juncta eſt Inſcriptio, qua Nicol. Stiernberg, Acad. Upſ. Bibliothecarius, Spolii vitam in brevi quaſi tabella complexus eſt. Jam vitas V illuſtrium Sueciae virorum tibi expoſuimus, plura haud minus ſcitu lectuque jucundiſſima, ſi e re tua videbitur, ex ipſis orationibus delibare poteris. Argumenta, Platonem aliosque veterum Philoſophos multa Chriſtiana dogmata fuiſſe aſſerentium, p. 51 ſeqq. exploſa leges, leges p. 229 ſeq. criticam in vocem *Almanach* inquiſitionem, leges alia, quæ huc tranſcribere longum foret. Quod ut faciat,

 cias,

cias, invitat te fluidissimus multamque antiquorum lectionem redolens stilus Normanni, qui omnium, si II Orationem, quæ a Carolo Lundio in ejus obitum fuit habita, demas, autor est, quas perlustrandi dulcedinem legendo ac relegendo nobis magis magisque fuisse auctam sincere testamur. Rogamus igitur Editorem nostrum, quisquis sub C. N. B. D. lateat, ut, quos haud parvo numero in promtu ipsum habere judicamus, eruditos Suecos ab oblivione semel inita ratione vindicet. Et jam accepimus, alteram quoque Semi- Decadem Operis hujus prodiisse, de qua dicemus proxime in Actis ipsis.

REMARKS ON THE GOVERNMENT OF several Parts of Germany &c.

h. e.

GUILIELMI KER, ARMIGERI ET QUONdam nationis Anglicæ Consulis apud Amstelodamenses, Observationes circa modum regiminis diversarum provinciarum Germaniæ, Daniæ, Sueciæ, nec non Hamburgi, Lubecæ, & civitatum Hanseaticarum, imprimis autem Belgii Fœderati.

Londini, 1727, 8.

Plag. 11.

ITinerum ac rerum longe lateque peregrinando observatarum descriptores id faciunt, ut, Socratis exemplo, alii sapientiam domi possint acquirere. Hunc finem quamvis Nobilissimus libelli hujus Autor minus sibi proposuerit, quippe qui in præfatiuncula ad lectorem expressis verbis, in gratiam, non domi se tenentium, sed peregre proficiscentium, se scripsisse declarat; nobis tamen ejus lectio utilior illis, quam his, futura videtur. Vix enim quippiam in eo reperimus, quod in peregrinantium usum præcipue tendat, præter curatam commemorationem, quot denariis, florenisve, cymba ductoria *Briela Roterodamum, Roterodamo Delfium* & ita porro conduci soleat: reliqua omnia magis domi, quam foris, prodesse poterant. Neque

enim dissimulandum est, multa cum utilia, tum jucunda, in brevi hoc tractatu sparsim adducta inveniri, quorum aliquot exempla dabimus.

p. 29 seq. Incomparabilis Amstelodamensium cura & sollicitudo, ut egeni membrisque, vel mente capti alantur, otiosi autem & facinorosi emendentur, omnem laudem omnemque admirationem exsuperat. Viginti pauperum millibus hæc civitas lectum æque ac cibum quotidie præbet. Ptochotrophia quam plurima, splendide, quasi Principum palatia, exstructa egentissimorum hominum turbam recipiunt. Sunt domus, ubi *Viri senes*, sunt ubi *mulieres vetulæ* nutriuntur. *Viduæ* trecentæ ingens quadratumque palatium habitant. Exstant receptacula pro *furiosis* & mente captis; exstant xenodochia & orphanotrophia pro *pueris*, pro *puellis*, pro *Civium*, pro *extraneorum* liberis, pro *expositiis*, structuræ fastu, picturarum ornamentis & cubiculorum munditie plane stupenda; in horum quibusdam mille & quingenti, in aliis octingenti, in aliis quingenti pueri optime aluntur, instituuntur & tam sancti habentur, ut malles Consulis filium, quam illorum quempiam lædere. Hæc xenodochia rectores habent viros, vel fœminas, vitæ inculpatæ gloriam, cum divitiarum pietatisque fama, præ se ferentes. Neque his inferiora sunt ergastula illa, quibus liberi inobedientes, mendici inertes, homines desidiosi, aleatores, vel cauponarum assidui hospites; nec non mulieres meretrices, ebriosæ, rixosæ, includuntur & labori applicantur, aut, si rem segnius agant, bubulis castigantur exuviis, donec ad meliorem frugem redeant. Tot rebus personisque sustentandis ne unquam impensæ deficiant, tum mira civium liberalitas, tum insignis Magistratus Amstelodamensis sapientia efficit; utrisque omnem lapidem moventibus, ut fisci pauperum collocupletentur.

Status Belgii fœderati absolutum Ecclesiæ suæ caput *sunt*: unde Theologorum synodis continuo interesse solent duo ex summo Magistratu, qui si intelligant, moveri quæstionem de rebus Rempublicam ejusque Gubernatores concernentibus, illico exclamantes: *Pax Domini! (Hola myn Heeren Predicanten!)* silentium imponunt Allotrio-Episcopis. Res politicas pro concione

cione sacra tractare nefas est; qui fecerint, aut carcere includuntur, aut excluduntur civitate. Istos contra Ecclesiæ ministros, qui bene quieteque, ut par est, se gerunt, populus tanquam Deos terrestres veneratur.

Societatem mercatorum, quæ *Indiæ orientalis* vocatur, esse *Rempublicam in Republica*, non inconcinne dicitur, si consideremus amplissima privilegia & summam potestatem, qua gaudet; divitias incredibiles atque immensa territoria, quæ possidet; innumeros ministros subditosque, quibus imperat; exercitum denique triginta hominum millibus, & classem navibus majoribus ducentis constantem, quorum virtute *Hispanis*, *Lusitanis* & diversis *Indiæ Regulis*, tot provincias hæc societas extorsit; ut religionem Christianam, una cum suis coloniis suoque commercio, ad extremos usque mundi terminos perduxerit. p. 41.

Censionibus infinitis populus Batavus vexatur, quorum catalogum locupletem Autor exhibet. Ne exemplo careamus: *Lac* censetur primo, *ut lac*, tum postquam in *butyrum* coagulatum est; porro *oxygala*, tandem etiam *serum*, censui subjacet. Præterea quæcunque ad vitam communem necessaria sunt, publice fere locantur. Hinc nemini, nisi conductoribus, licitum est ex frumento suo panem pinsere, vel cerevisiam coquere, neque domi habere molam manuariam, qua vel sinapi, vel fabas tostas, (*Coffe*) possit conterere; gravissima proposita pœna, si quis contra hanc legem peccaverit. 54.

Provinciam *Clivensem* cum soli fertilitate, tum amœnitate fluviorum Angliæ simillimam esse, Autor asserit: *Francofurtum* autem ad Mœnum, ob eximia privilegia & ingenium liberale incolarum, *parvum Londinum* appellat. 92. 100.

Colonia Agrippina, seculo XVI a Clero Romano nimium se subigi passa, fato, quod plures alias magnasque civitates pessundedit, de pristini splendoris fastigio vehementer delapsa est. Jesuitis enim tantum autoritate apud Magistratum valentibus, ut omnes e civitate ejicerent Protestantes, hi, partim Hamburgum, partim Amstelodamum profecti, Coloniam civibus vacuam reliquerunt: unde quotidie nunc videas amplissima ædificia ruinam minari, videas intra urbis mœnia latifundia, olim 99.

domibus superba, vomere verti, vitibusque & frumento conseri; in spatiosissimis autem plateis vix decem homines uno tempore obambulantes offendas; nisi forte *monachi* fuerint, vel *sorores religiosæ*.

p. 107. Kerium, cum ad *Argentoratum* veniret, cupido incessit hanc civitatem, quam ante sub Imperatoris protectione libertate gaudentem ter viderat, sub novo etiam Domino invisendi; sed ita deformatam invenit, ut, nisi excellens Basilica pulchræque ædes & viæ eandem urbem esse monuissent, vix recognoverit: adeo idem effectus est despoticæ potestatis, & superstitionis.

122. Respublica *Lubecensium*, Regibus quondam formidabilis, jam commercii flore divitiisque *Hamburgo* longe inferior est; cujus mali causam inconsiderato *Lutherani* ministerii zelo Autor adscribit, quod Magistratui persuaserit, ut cum Romano-Catholicis, Calvinistas, Judæos aliosque in religione a se dissentientes, ipsos etiam Anglos, urbe sua excesse juberet, qui omnes concessere Hamburgum, magno hujus civitatis commodo, majore autem Lubecæ detrimento.

146. Patridomaniam *Suecorum* quorundam Autor notat, qui paradisum in Suecia situm, eamque provinciam, ob rebellionem protoplastarum, in tot tantosque montium & scopulorum cumu-
147. los conversam fuisse jactitant. Sueciæ *Theologos* nec opibus nec eruditione cum Germanis comparandos esse censet: Clerum autem inferiorem, præsertim in locis ab *Holmia* remotioribus, vitæ etiam & morum dedecus cum ignorantia conjungere perhibet; idque inde evenire, quod, deficientibus in pagis diversoriis, Parochus hospites recipere, & in exequiarum vel baptismorum compotationibus *cerimoniarum Magistrum* agere ex consuetudine teneatur.

Plura recensere ex hoc libello supersedemus, etsi non pauca satis memorabilia supersint. Id autem lectorem fugere nolumus, Autorem nostrum valde credulum fuisse; unde pag. 98 & 99 Episcopum quendam Moguntinum a muribus in medio Rheno vivum devoratum, & p. 142 Suecos omnes sacerdotes Romanos atque Jesuitas, sine discrimine ætatis, castrare, serio narrat: quo etiam pertinet, quod p. 113 Electorem Brunsuicensem Ernestum

Augu-

Augustum *Nobilem Germanum*, Ducem autem Cellensem *Nimrodum* cognominari refert. Nomina propria urbium & personarum mirificè sæpe detorquet, e. g. p. 96 *Heldershiem* pro *Hildesheim*, p. 97 *Herminsbein* pro *Ehrenbreitstein*, p. 123 *Termond* pro *Travemunda*, p. 102 *Landgrave of Armstad* pro *Landgrafio Hasso-Darmstadiensi*, p. 16 *Marshal Turin*, pro *Turennio*, p. 99 *Hockomore Wine*, pro *Vino Horhheimensi* &c. In fine libri Autor, φιλοπατρίᾳ, communi nationis suæ, sive vitio, sive virtute, ductus, complures paginas implevit, ut per inductionem probaret, Londinum esse urbem totius Europæ longe maximam & frequentatissimam: quod tam operose demonstrari, si quid judicamus, opus non erat.

Ceterum non dissimulamus, librum hunc jam A. 1688 Amstelodami prodiisse, & nuper demum, cum Joannis Ker a Kersland Commentarii (*Memoirs and secret Negotiations*) tribus Tomis 1728 in 8 editi, magno, malevolorum imprimis, plausu exciperentur, ob nominis affinitatem recusum & tertio Tomo illorum Commentariorum adjectum esse. At cum ille locum in Actis nostris non inveniat, huic tamen concedere voluimus, quod, licet novus non esset, incidit tamen in eam periodum, qua Acta nostra in lucem prodiere.

REMARQUES D'UN VOYAGEUR.

h. e.

OBSERVATIONES PEREGRINATORIS

cujusdam circa Bataviam, Germaniam, Italiam, Hispaniam, Lusitaniam, Africam, Brasiliam & Insulas quasdam maris mediterranei.

Hagæ Com. apud M. G. de Merville, 1728, 12.

Plag. 17½.

CRiticos, qui librum suum in hoc tantum evolvent, ut menda & peccata inveniant, Autor noster in præfatione admonet, se esse præparatissimum, ut, quidquid de stylo suo dicere ipsis placuerit, sine molestia audiat: an pari modo præparatum gerat pectus, ad audiendum ea, quæ de rebus factisque enarratis censores dicturi

cturi sunt, nobis equidem non liquet: veremur autem, ne plura circa hæc, & graviora, quam circa stylum, moneri possint. Ut enim urbium populorumque origines, quas, falsa veris miscendo, ubivis ad nauseam Noster percenset, silentio transeamus; multa alia ejus ἀνιςωρησίαν produnt. Exempli causa p. 83 de *Christiano Brunsuicensi*, Halberstadiensium Episcopo, miram mire narrat fabulam, scilicet: *Notum est*, inquit, *hunc Præsulem, Halæ in Saxonia inferiore, nobilis puellæ, quam perdite amabat, in Sacello quodam Collegiali, statuisse effigiem, quam ii, quos latent hæ facetiæ, eo cultu illic venerantur, quem imaginibus deberi credunt.* Quis autem Halam in Saxoniam inferiorem collocaverit? quis illic imagines colit? Pag. 87 de Reformationis negotio ὑςεροπροτέρως hæc refert: *Monachus quidam Dominicanus, nomine Tezel, prædicabat in Saxonia in favorem indulgentiarum, eo ipso tempore, quo earum abusum Lutherus taxabat. Hic Reformator certior factus, quæstum istius indulgentiarum nundinatoris florere Magdeburgi, paulo post eodem profectus, profitebatur illic doctrinam suam, demonstrabat necessitatem Reformationis, & maximam Civium partem a Communione Romana separabat* &c. Pag. 104 Controversias *Protestantium* curiose sane explicat, his verbis: *Lutherani, qui Augustanæ Confessioni subscripserunt, & reliqui fere omnes, non distinguuntur a Protestantibus, nisi discrepantia expressionum, quibus utuntur, quarum sensus cum horum* (h. e. Protestantium) *opinionibus plane convenit, &c.* De fœdere *Hanseatico* p. 118 ita loquitur, quasi illud fœdus adhuc hodie subsisteret: *Complures equidem urbes inferioris Germaniæ nomen Anseaticarum retinent:* (inquiens) *verum præter Lubecam, Hamburgum, Bremam & quatuor vel quinque alias, nullæ dantur, quæ sint veræ Anseaticæ, quarumque Deputati intersint conventibus, sive ordinariis, sive extraordinariis, qui habentur pro communi utilitate Societatis.* Pag. 220 *Tusculum* Ciceronis villam fuisse docet, quod æque certum esse omnes sciunt, atque illud quod p. 230 refert, nempe *Mazanielli*, rebellis Neapolitani, verum nomen fuisse *Angelus Maya:* cum neminem fugiat, *Tusculum* & *Tusculanum* inter se differre; *Mas' Aniello* autem contracte dici, pro *Tomaso Aniello.* Ducentis ejusmodi nævis scatet hoc

opu-

opusculum, cui maturescendi tempus se denegasse Autor fatetur, quod satis quidem malum: illud autem longe pessimum est, quod & lectori denegavit facultatem discernendi, an eorum, quæ de tot tamque diversis mundi regionibus in medium affert, testis oculatus, an auritus sit, an vero aliunde observationes suas transcripserit, id quod potissime crederemus; nisi *Peregrinatoris* nomen sibi ipsi indidisset. Utut hæc sunt; certe plus sibi, quam aliis scripsisse, atque ea magis, quæ legit & memoriæ impressit, quam quæ vidit, Anonymus noster in hunc libellum congerere voluisse videtur. Distribuit autem omnem materiam per capita tria & viginti, quorum I agit de *Belgio*; II de *Clivia* & *Geldria* Ducatibus; III de Episcopatu *Monasteriensi*, *Osnabrugensi*, *Paderbornensi* & *Hildesiensi*; nec non de *Westphalia* & Ducatu *Magdeburgico*; IV de *Saxonia* inferiori; V de *Suevia*, *Bavaria*, *Salisburgensi* Principatu & Comitatu *Tirolensi*: item, de *Carinthia* & territorio *Tridentino*; VI de regione *Veronensi* & *Vicentina*, ut & de statu *Venetiarum* ac *Ragusæ*; VII de principatu *Pedemontano*, Ducatibusque *Sabaudiæ*, *Mediolani*, *Mantuæ* & *Etruriæ*. VIII de tractu *Bononiensi* & *Ferrariensi*, deque *Romania* & *statu Ecclesiastico*; IX de urbe *Roma*; X de Regno *Neapolitano*; XI de *Calabria* & utraque *Sicilia*; XII de Regno *Tunetano* & *Sardinia*; XIII de *Catalaunia* & *Barcinone*; XIV de *Arragonia* & Insulis *Balearibus*; XV de *Valentia*, *Murcia* & *Granata*; XVI de *Vandalitia* & *Hispania* in genere; XVII de *Columnis Herculis* & Regno *Fezensi*; XVIII de omni *Africa*; præsertim vero de imperio *Maroccano*; XIX de Regno *Tripolitano* & *Algeriensi*; XX de *Æthiopia* & *Abissinia*; XXI de *Lusitania*; XII de *Brasilia* & coloniis Lusitanorum in *America meridionali*; XXIII de Insula *Jarsai*, illustriss. familiæ *Carteretorum* patria.

ELOGIUM PHILIPPI OUSEEL.

EDitus fuit *Philippus Ouseel*, Viadrinæ Academiæ Theologus & Medicus celeberrimus, Dantisci, Patre *Michaele Ouseel*, Matre *Esthera van Huysteen*, fortunis & honestate ornatissimis parentibus, qui exemplo majorum, ex quo Gallia excedere ob per-

 secu-

fecutionem coacti funt Oufeelii, commercia magnaria fectati funt. Ita & Avus & Proavus, Abavusque mercaturam fectati, & folus fere in familia patris *Michaelis* frater *Jacobus* litteris deditus Profeffionem obiit apud Groninganos, qui cœlibem vitam agens, in animo habebat, Noftrum, utroque parente in prima juventute orbatum, ad fe vocare, cui etiam copiofiffimam bibliothecam fuam deftinarat, imo unicum heredem fuum teftamento fcribere, eumque quafi pro filio adoptare, qui licet fpe hac excidiffet, *Jacobo* illo A. 1686 d. 20 Jun. rebus mortalibus erepto, ab inftituta ftudiorum via tamen non receffit, genio fuo obfecutus, ærumnofam quidem inftitutionem expertus, cujus tædium pofito fibi ob oculos patrui fulgore & ftudiorum præmio difpunxit. In patria mox depofitis tirocinii rudimentis, Bremam convolavit, *Alerfii* in primis opera in Hebræis litteris ufus, *Schwelingii* in Philofophicis, quo præfide etiam publice difputavit. Inde anhelans majora, A. 1691 Groningam, hinc Franeckeram, Leidam properavit, magnosque ibi & celebres viros fectatus eft, diligenterque audivit, eorum famam cum ingenio contulit, quidque vulgo eximeret viros claros, affecutus eft. Theologicam doctrinam ut unice habebat cordi, ita ad alia quoque divertebat, & præter elegantes artes, quarum ftudium haud perfunctorie contriverat, linguis imprimis eruditis operam dedit, quæ deinceps in Orientalibus acquievit. Franeckeræ *Rhenferdio* præfide de redemtione Marcofiorum & Heracleonitarum difputavit, cui doctiffimo Viro eruditus comes a latere erat; *Braunio* etiam Groningæ affueverat, & ex familiaritatibus doctorum, quibus Belgium abundat, thefaurum fibi fcientiarum congefferat. Hinc A. 1697 mare tranfiit, falutavitque ingenia Britannicæ nationis, quorum acumen miratus & linguæ facultatem confecutus, abdidit fe in eorum bibliothecas, & eruditos congreffus celebravit. A. 1698 domum reverfus, homiliis pro concione recitandis operam dedit, in quibus cum aliquamdiu vehementiffime fe exercuiffet, & tamen fedes quietas fata nondum aperirent, A. 1706 denuo Belgium petivit, & Lugduni in Bataviæ ocello Theologiam & Philologiam facram avidæ talium juventuti tradidit, fimul tamen & Medicinæ ftudium libans, ita ejus amore correptus fuit, ut fe immitteret penitius, & poft diurnam no-

ctur-

cturnamque aliquot annorum operam strenua diligentia eo pervasit, ut summos in ea, uti & postea in Theologia, honores admitteret. Unde A. 1709 d. XIIX Jul. in Franeckerana Academia *de lepra cutis Hebraeorum* erudite disputavit, pro morboque gravissimo, minime autem letali, nec ullo modo contagioso, incurabili tamen, habuit, ac licet Tacitus cum scabie suilla contulisset hunc morbum, quae etiam causa sit, quamobrem eo animali abstineant Judaei, sicut etiam Medici quidam recentiores carnem suillam favere leprae infirmis valde rationibus contendunt, quod tamen Hebraeis haec ratio ignota esset, eam praetervectus ex sanguine corrupto & stagnante potius praeter causam moralem fontem mali derivavit. Ex hoc Viri ingenium aestimet lector, quod rapax fuit & ardenti impetu, ut simplici facultate unius studii non acquiesceret, sed grassari mallet etiam in aliena latifundia. Haesit tamen & in reliquis accurata industria, imprimis postquam A. 1711 Germanorum ecclesiae Leidensi Pastor praefectus est, ubi pertinaci opera erudita quaedam meletemata procudit. Nempe uti Hebraeae linguae mirabili flagrabat amore, omniaque conquirebat, quae ejus sensus explanarent, curam ipsius adverterant notulae distinctionum, quarum vim si penitus perspectam haberet, id sibi usu venturum putabat, quod ei qui in vulgaribus linguis recte interpungeret, ex quo saepe sensum impeditis & obscuris locis oriri meminerat. Itaque ut tanto magis studiosos ad hujus rei indagationem concitaret, suam facere visus est controversiam inter maximos in Orientali Philologia viros agitatam, *de Origine* horum *apicum*, quam uterque *Buxtorfius* cum Rabbinis divinam agnoscunt, *Capellus* autem & *Morinus* & *Waltonus* cum uno *Elia Levita*, recentiore & XVI seculi Judaeo, novitatis postulant. Noster ergo in ancipiti bivio constitutus maluit Buxtorfianas partes cum nonnullis Germanis sequi, quia videbatur ipsi illa opinio tutior & religiosior, altera autem contentioni ingenii, tametsi eruditae, magis favere. Quare cum primitiae Leidenses, *Introductio in accentuationem Hebraeorum metricam* A. 1714 in vulgus prolata esset, eruditissimi Theologi illius Academiae laudarunt Ouseelii nostri eruditionem atque industriam, diligentiam indefessam atque enixum de re litteraria bene merendi studium, a controversia ipsa tamen

temperarunt, in rebus hujusmodi ad Philologiam ſpectantibus, ſuo quemque ſenſu abundare paſſi: quid ſententiæ autem de iſta opera tulerint ceteri in Belgio clariſſimi in hac facultate Viri, *Fr. Burmannus* Amſtelodami, *Hadr. Relandus* Trajecti Batavorum & *C. Vitringa* Franeckeræ, ipſi per Epiſtolas ad Noſtrum perſcripſerunt. Pari modeſtia verſati ſunt Leidenſes ſequenti anno in cenſendo altero Tractatu *de Accentuatione Hebræorum proſaica*, quando gratulantur Autori novum hoc eximiæ in litteris Hebraicis peritiæ ſpecimen, de ingenti tamen accentuum horum apparatu, eorundemque ratione non ferunt judicium, perſuaſum nihilominus habentes, doctrinæ de iis accuratiſſime ab Autore deſcriptæ prudentem uſum multum facere poſſe ad pleniorem faciliorem que divini Codicis Hebraici intelligentiam aſſequendam. Itaque ſic poſtquam ſuffragia tulerat eruditionis & induſtriæ omnium, qui de ingeniis judicare poterant, tetigit iis animum memoria hujus Viri, qui in aula valebant aliquid, ac Potentiſſimo Pruſſiæ Regi ejus doctrinam poſt *Holtzfuſſii* obitum commendarunt, fuitque adeo A. 1717 Regiis litteris Francofurtum ad Viadrum evocatus ad capeſſendam Profeſſoris Theol. & Paſtoris Reformati provinciam. Quarum utramque rite ſuſcepit, gravi etiam oratione ad Academicos habita de verbo Dei, ornavitque non tantum ingenio, ſed etiam honeſtate & fide. Modico illo tempore, quod illic egit, diſputavit aliquoties, imprimis *de Decalogo*, de cujus diviſione & aliis huc ſpectantibus reconditas hypotheſes ſibi formaverat, aliaque haud vulgaria parturiebat, quorum etiam lineamenta ducta videmus, ſed ſpes hæ omnes nunc, poſtquam eruditum os conticuit, conciderunt. Matrimonium inivit A. 1719 cum Nobiliſſima Virgine *Anna Chriſtiana Ringia*, quæ dulci & jucunda copula animum ejus tenuit, multaque quæ in Leidenſi mora præ Viadrinis ipſum deliniverant, abunde ſuffecit. Improle tamen fuit hoc fœdus, & tantum animi bonis fœcundum, dum conjux conjugem ita devinxerat, ut ſemper deſiderio abſentis afficeretur alter. Erat noſter Vir perpaucorum hominum, amicis tamen deditiſſimus, quibus ſe communicabat plane non modo conſilio, ſed etiam re. Domi erat ſobrie elegans, nec moroſe religioſus, ſed comprimebat omnem ſpeciem & ſplendorem, malebatque

que esse, quam videri, Theologus. In congressibus moderatus & lenis, ut etiam duriusculos conciliaret sibi, quorum tamen non appetebat familiaritates. Ingenia æstimabat non ex garritu, sed ex nisu ad altiora, putabatque, nisi ex tuo ad arcem eruditionis exornandam aliquid contulisses, infelicem operam in studio posuisse. Quid enim illa millies repetita, inquiebat, sibi volunt, nisi ut pro solidis cibis contrita tantum alieno ore sumas? unde etiam fastidium in litteris nunc oriri, haud vane augurabatur. In Collegiis urgebat studium linguarum, & moram trahebat in fundamentis, donec videres, non modo quo impetus ingenii duceret, sed etiam, quo favor inclinaret, ut reliqua usu potius & exercitatione, quam intentione mentis & ingenii firmo muro imponeres. In Ecclesia prius docebat vita, quam oratione, officiaque Christiani celebrabat nulla affectatione aut ambitu, nullo etiam lenocinio verborum, sed rebus malebat inhærere, quam verbis, contentionemque addebat animo parem, sed corpusculo ejus nimiam, ut etiam extrema sibi festinasse nimio concionandi labore nonnullis videretur. Ita sui negligens & alieni commodi promotor, consilio amicorum tamen hortensi studio nonnihil vacabat, quod etiam saluberrimum corpori experiebatur, & æstivis diebus in suburbano vel libris vel amicis horulam impendebat, flosculis ibi magis intentus, quam in sermonibus suis. Legebat tamen & Livium ibi, Curtium, Columellam aut alium rei rusticæ autorem, quibus libris alebat non tam otium, quam stilum, quo utebatur gravi & digno re Theologica. De illustri genere suo sapiebat modice, nihil inflatus ista fortunæ illecebra, quam multi hoc tempore magno redimerent, iste in minimis putabat, cumque aliquando *Henrici Clutinii Oisel-li*, quem Thuanus citat lib. 82 ad A. 1585, Romæ Oratorem Regium, & Mezerayus inter cetera amplissima elogia appellat *Henry de Clutin Loisel, Conseiller d'Etat, homme de plume & d'epée*, qui præter Romam etiam in Hispania & Germania legatum egerat, meminisset, nihil inanibus motus est, sed professionem sacri studii, qua solus omnium Ouseeliorum insignitus esset, his gloriolis multum præferebat. Valetudinis erat languidæ & irritabilis valde ad omnem injuriam venti cœlive, quod tamen magis ille sentiebat, quam alii observabant: imo sæpe pro suggesto dixit, cum alii se

lecto daturi fuissent. Ex sedentaria vita collegerat pravos humores, qui deinceps se in sudores solverant statos & nocturnos, & in vitio viscerum abdominis colliquativos, & ita complures menses corpusculum exederant, ut sæpenumero languores sentiret. Ex his lenta febris visceralis orta cum asthmate sicco, & sub finem ostendit se mictus cruentus: quæ symptomata omnia tandem in diarrhœam colliquativam cum ægri interitu terminabantur, qui sequebatur A. 1724 d. 12 Jul.

ELOGIUM PETRI WOLFARTI.

PEtrus *Wolfartus*, Medicinæ Doctor, Serenissimi Principis Hasso-Cassellani Consiliarius atque Archiater, in Societate Carolina Natur. Curios. Polyænus, Physicus Provincialis, Facultatis Medicæ perpetuus Decanus, Physices & Anatomices in Illustri Carolino, quod Cassellis, est, Professor, natus est Hanoviæ A. 1675 d. V Idus Quintileis, Avo usus *Jo. Grafftio Wolfarto*, Sereniss. Principis Arausionensis Archiatro, Patre *Christophoro Joachimo Wolfarto*, Illustriss. Comitis Hanoviensis Archiatro, & utriusque Hanoviæ Physico, matre vero *Barbara Elisabetha Schunckia*. Quamprimum ætas puerilis ferebat, in literarum studiis in patrio Gymnasio ita formabatur, usus cum aliis ducibus, tum vero maxime eruditissimo Parente, ut A. 1693 Gissam concesserit. Ubi felicissime usus est publica privataque cum aliorum, tum maxime Celeb. *Valentini* institutione, suamque & diligentiam, & eruditionem, & prudentiam in publicis disputationibus, modo respondentis, modo opponentis partibus functus, optimo cuique maxime probavit. Gissa vero discessurus A. 1696, habita de *Febre Hæmoptoica ad praxin Clinicam accommodata* disputatione summos in Medicina honores summa cum laude consequutus est. Gissa Hanoviam rediit in succum & sanguinem ea privato studio paternis consiliis conversurus, quæ in Academia audiendo discendoque consequutus erat. Relicta iterum A. 1698 Hanovia, susceptoque per Bataviam, Angliam, Galliam itinere undique ea prudenter collegit, unde perfici confirmarique Medicam sapientiam prudentiamque intellexit. Maxime vero nunquam non ea prædicavit felicissimæ memoriæ

Vir,

Vir, quæ duce celeberrimo *Ravio* Amstelodami in Anatomicis, Chirurgicisque didicerat. Ex itineribus in patriam redux, in praxin, quam vocant, Medicam incubuit, suamque laborantibus & opem & consilium egregie probavit. Hac Viri celebritate adductus Sereniss. Princeps Birckenfeldensis instituto itinere nostro Archiatro usus est. Hanoviam iterum redux A. 1700 felicissimo matrimonio junxit sibi *Mariam von den Velden*. Eodem anno utriusque Hanoviæ Physicus, & A 1703 in Illustri Hanoviensi Gymnasio Anatomiæ & Physices Professor constitutus est. Cum vero illustriora essent tanti Viri merita, quam quæ Hanovia capere posset, a *Carolo* Sereniss. Principe Hasso-Cassello Aulicis Medicis adscriptus, jussusque deinde est Professoris in Anatomia & Physica experimentali partibus fungi. A. 1708 Academiæ Cæsareo-Leopoldinæ Naturæ Curiosorum Sociis nomine Polyæni accessit. Tandemque A. 1716 Medici Provincialis, A. 1717 Archiatri, & A. 1720 Consiliarii, & perpetui in Collegio Medico Provinciali Decani honores consequutus est. Donec tandem magis magisque vires ejus, quibus antea integris firmisque usus est, affligerentur. Cui rei ἀνορεξία cum accederet, oculique certissimas periculosi Icteri notas præ se ferrent: paulatim lethalis morbus ita incrementum cepit, ut licet animi, quo singulari utebatur, vigorem præ se ferret, labefactata tamen morbi vi viscera lethale cauma conceperint. Quod quo pertineret, cum præclare b. m. Vir intelligeret, die 2 Decembris promeridiano tempore & matutino 3 Decembris suos secedere jussit, piisque se & meditationibus & precibus beato ex hac vita discessui præparavit, quem etiam Cassellis A. 1726 d. III nonas Decembris felicissime consequutus est. Ex suavissimo, quo 26 annis usus est, matrimonio, 5 filios duasque filias, Parentibus dignissimos, suscepit. Filiorum natu maximus *Christophorus Joachimus* Licentiæ in Medicina honores consequutus, celeberrimi Parentis vestigia ægrotantibus feliciter consulendo premit. Felicissimi vero ingenii fœtus, quantum quidem cognoscere licuit, sequentes celebrantur disputationes librique: de China Chinæ, Gissæ 1695; de Antlia Pneumatica, Gissæ 1697; Clavis Philosophiæ experimentalis, Hanoviæ 1704; ibidem de Fontium Origine; Vale Hanoviæ, & salve Cassellis, Francof. ad M. 1707; Amœnitates Hassiæ Inferioris

ris subterraneæ, Cassellis 1711; de Leone, Cassell. 1711; Physica curiosa experimentalis, Cassell. 1712; de Acidulis Embsensibus, Latine 1715, Germanice 1716; de Acidulis Brabacensibus, Herbornæ 1721; de Acidulis Geismariensibus, Cassellis 1725; Historiæ Hassiæ Inferioris Naturalis Pars prima, Cassellis 1719.

INDEX AUTORUM, quorum Libri aut Inventa hoc Volumine recensentur.

I Libri Theologici & ad Historiam Ecclesiasticam spectantes.

Nota. Cum per typographi negligentiam post p.376 redeat p.337 usque ad finem continuata, paginas denuo redeuntes a p.337 ad p.376 a prioribus distinximus, addita his litera *b*.

Cypria-

II Libri Juridici.

III Libri Medici & Phyſici.

IV Libri Mathematici.

F. K.

V Libri Historici, Geographici &c.

VI Libri Miscellanei.

Q. Horatii

INDEX RERUM NOTABILIORUM IN HOC VOLUMINE OBVIARUM.

De

Athoth,

Bona

De S.

Foetus

Gog

Homo

Mari-

Refor-

Scriptu-

2.*Cor.*

Tamer-

Vocum

ERRATA.

P. 52 l. 10 lege *quid mirum &c;* p. 59 l. 28, lege *quo ipso;* p. 87 l. 1. 2 *tractum* lege *tractu in;* p. 127 l. 5 lege *actionem luminis;* p. 131 l. 11 lege *Imperatorem;* p. 176 l. 29 pro *se* lege *sed;* p. 215 l. 16 lege *aleas;* p. 264 l. 33 lege *transportandum;* ibid. l. 35 lege *multiplicari;* p. 340 l. penult. lege *composita;* p. 369 l. 12 lege *Condæi;* p. 371 l. 26 lege *respuit;* p. 449 l. 2 lege *religionis;* p. 456 l. 27 lege *gubernationem;* p. 461 l. 25 pro *id* lege *it.*